WiMBP
Opole

II

9 St.

Akc V/Mr 311/16/62/C

ACTA ERUDITORUM

ANNO M DC LXXXVIII

publicata,

ac

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DN. FRIDERICO,

Regnorum Daniæ ac Norvagiæ Hæredi &c. &c.

DICATA.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Potentissimi Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Prostant apud J. GROSSIUM & J. F. GLEDITSCHIUM.

Excusa typis CHRISTOPHORI GUNTHERI.

Anno M DC LXXXVIII.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DN. FRIDERICO,

Regnorum Daniæ ac Norvagiæ, Gothorum item ac Vandalorum Hæredi Excelsissimo, Duci Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarsiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorst &c.

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

Miraberis dubio procul, SERENISSIME PRINCEPS, devotissimum quidem nostrum, at profectum ab ignotis, peregrinumque adeo cultum, quem REGIÆ TUÆ EXCELSITATI humillima voluminis hujus dedicatione imus exhibitum. Eo enim a Te disjungimur terrarum intervallo, ut quinam simus, quove instituto hæc Eruditorum Acta componamus, fugere hactenus Tuam gravioribus intenti notitiam facile potuerit. Ast non perinde & Tu, CELSISSIME PRINCEPS, peregrinus nobis es, nec intra Regnorum, quibus quondam gubernandis Te Fata destinarunt, fines Tua se Virtus ita continet, quin fama illius dudum ad nos penetraverit, imo Europam pervaserit universam. Utiq; quotquot ex Septentrione ad nos, seu uberioris capiendi in Academia animorum cultus causa, seu mercaturam facturi perveniunt, deprædicare satis excellentem illam ingenii vim Divinasque dotes nequeunt, quibus ornatum Te & instructum Naturæ benignitas voluit; miris vero modis propensissimum Tuum in elegantiores litteras affectum collaudant, quas eo studio ac alacritate diceris complecti, ut eorum, quos Regiæ educationi Tuæ præfectos habuisti, vota & expectationem superes quam longissime. Ignosces nobis, SERE-

SERENISSIME PRINCEPS, quod de vivido illo ac effulgenti undique animi vigore, quo ad Heroicam Augustissimi Parentis Tui fortitudinem jamdudum eniteris, nihil nunc dicamus. Tametsi enim hunc quoque, qui litteras ingenuas profitemur, merito suspicimus; non alia tamen re magis ad venerationem summorum Principum accendimur, quam ubi liberalium Eosdem artium ac disciplinarum studiis favere cognoscimus: quibus nimirum nulli dubitamus mansurum decus suum, quamdiu Reges & ad fortunam Regiam nati, non tantum ea non despicient, sed vel fovebunt gratia sua ac beneficiis, vel amplexabuntur Ipsimet, & quod Tu, SERENISSIME PRINCEPS, facis, in deliciis sunt habituri. Itaque quod Litterati Orbis Historiam, qualemcunque his Actis nostris complectimur, Tuo litterarum amantissimi Principis Nomini consecrare sustinuimus, id nec vitio nobis a quoquam verti poterit, & REGIA CELSITUDO TUA, ut speramus, minime indignabitur. Neque tamen ea sola causa fuit, quæ in hanc sententiam, an audaciam nos adduxit; sed accessit præterea, quod Serenissimæ Domui Electorali Saxonicæ, sub cujus clementissimo imperio ætatem agimus, & sanguinis sanctissima junctus es propinquitate, & novo nunc arctissimoque vinculo innecteris. Perantiqua est utique Regiam Danicam

inter

inter & Electoralem Saxonicam Domus affinitas, neque unquam instaurata illa ac renovata per sacro-sancta fuit connubia, quin provinciæ hæ fructum inde amplissimum fuerint consecutæ. Gaudet etiam Patria nostra hodienum, ne ad remotiora tempora respiciamus, per Dei Optimi Maximi gratiam, MATRE indulgentissima, Tua AMITA, quæ Regiæ non magis splendore majestatis, quam pietatis cæterarumque tanto fastigio dignarum virtutum clarissimis radiis Saxoniam nostram collustrat. Ast nova nunc nobis publicæ felicitatis spes ostenditur, ex quo peractis nuper auspicatissimis sponsalibus, publice innotuit, Serenissimum Electoratus Saxonici Hæredem, JOHANNEM GEORGIUM IV, Dominum nostrum Clementissimum, Regiam Sororem Tuam, SOPHIAM HEDVVIGEM, sanctissimi thori Sociam; Te vero, EXCELSISSIME PRINCEPS, quem Consobrinum hactenus habuerat, Affinem juxta conjunctissimum deinceps habiturum. Tantum abest, ut eo nomine, quod partem Operis, cujus aliquot volumina Serenissimis Principibus Dominisque nostris hucusque fuerunt dicata, REGIÆ nunc CELSITUDINI Tuæ inscribimus, adorare velut aliena Numina videri debeamus. Tanquam a Tuis itaque, SERENISSIME PRINCEPS, manu gratiosissima accipe tenue quidem, quod offerimus, sed devotissimi obsequii nostri & reverentiæ subjectissimæ, tum virtutibus Tuismet, tum Regiæ Domui debitæ, nec unquam temerandæ monumentum. Quod superest, Deum Immortalem veneramur supplices, ut sub Excellentissimi WIBII, *Regnorum Paternorum Administri, quo Gubernatore dexterrimo uteris, moderamine Regiarum porro virtutum cultu efflorescas, quo Potentissimo Parenti jucundum aliquando præstare queas curarum regnandi levamentum, Heroeque summo, ubi confectus annis vitæque ac gloriæ satur fuerit, in cœlum recepto, amplissimis, in quorum spem & salutem natum Te vides, Regnis atque provinciis pie, juste, prudenter ac feliciter moderari. Dab. Lipsiæ Kalendis Decembr. A. MDC LXXXVIII.*

REGIÆ CELSITUDINI ac SERENITATI TUÆ

devotissimi

Actorum Collectores.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM!

SEptem elapsi jam anni sunt, ex quo Acta hæc Eruditorum, Historiam Rei Litterariæ & novissimam quidem complexa, publicare per mensium intervalla cœpimus. Neque hactenus illius nos instituti seu puduit seu pœnituit, quo consultum illis inprimis, vimus, quibus vel integrum non est comparare sibi libros novos, vel otium perlegendis illis non suppetit. Id unum dolemus, non potuisse a nobis libros omnes recenseri, qui spatio septennii hujus, quo Hungaria excepta, reliquo fere orbi Europæo publica pace frui licuit, Musæque adeo tranquillitate etiam sua per Dei gratiam gavisæ sunt, in lucem publicam prodierunt. Ea enim fuit eorum copia & multitudo, ut quamplurimi in Actis hisce locum hactenus non invenerint eorum etiam, qui primos inter memorari debuissent. Tametsi vero, postquam irato terris Numine, bellici motus undique visi sunt ingruere, ampla adeo & luxurians bonorum librorum messis expectanda nobis deinceps non sit: decrevimus tamen, peculiarem Supplementorum tomum, suas in sectiones discernendum edere, in quem libri, qui ab anno 1681, quo auspicati hæc Acta sumus, huc usque lucem aspexerunt, hactenus autem a nobis silentio prætermissi fuere, referantur, nec omnes tamen, sed plerique. Nam & hoc loco repetendum ducimus, quod in Actorum A. 1684 Dedicatoria ad Serenissimos Principes Dominosque nostros Clementissimos, JOH. GEORGIUM IV & FRIDERICUM AUGUSTUM, Epistola professi sumus, minime damnari a nobis aut vilipendi libros, quorum nulla fit in Actis nostris mentio, seu incuria nostra, seu quod ad nos non pervenerint, seu quamcunq; ob causam aliam. Daturi vero sumus operam, ut sub initium anni proximi, prima Supplementorum Sectio prodeat, quam reliquæ, non certis quidem intervallis, sed prout commodum nobis fuerit, subsequentur. Denique nec id ignorare Lectorem Benevolum volumus, cogitare nos de rerum, quæ his Actis continentur, uberiori indice, qualem desiderarunt multi, conficiendum vero in se Vir quidam clarissimus recepit.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anni M DC LXXXVIII.

VITI LUDOVICI A SECKENDORF COMMENtarius historicus & apologeticus de Lutheranismo, seu Reformatione religionis: in quo LUDOVICI MAIMBURGII Historia Lutheranismi Gallice edita, Latine versa exhibetur, corrigitur & suppletur.

Francofurti & Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch. 1688, in 4.

QUam charum & inæstimabile majoribus nostris visum est, nobisque adhuc merito videtur coliturque beneficium, singulari Dei gratia per ministerium D. *Martini Lutheri* in emendanda religione & restituenda Christianorum legitima libertate exhibitum: tam odiosum id & olim fuit, & nondum esse cessat Romanæ Hierarchiæ assertoribus; nec desunt ex iis quotidie, qui id omnibus modis controversum nobis faciant, & si penes se stet, totum destruant. Manifestius hoc est, quam ut ulla egeat probatione; res enim loquitur. De scriptoribus vero ut nunc tantummodo dicamus, nemo quidem numerum eorum inire aut nomina referre noverit, qui ab annis centum & septuaginta calamum contra Lutherum ejusque doctrinam strinxerunt: cujus pugnæ, sicut ipsius reformationis Lutheranæ (aliquando & bellorum ejus causa excitatorum) maximum theatrum semper fuit & nunc quoque est Germania nostra. Quanquam pene incredibile sit, tot fuisse viros cætera non indoctos, qui eadem fingendi & calumniandi protervia, millies refutata recoquerent, & dissimulatis ut plurimum aut futili cavillatione elevatis, quæ responsa erant, easdem nugas orbi obtruderent. Sed viderunt illi impudentiæ suæ

fructum. Licet enim nemo noſtrum a fidei profeſſione, qua ſemel ſincere imbutus eſt, per calumnias inſulſiſſimas moveatur (alias enim mutationum in religione cauſas & impulſus eſſe ſcimus) hoc tamen obtinent criminatores, ut repetitis iſtis næniis ſuos faſtidio veritatis & odio noſtri magis magisque impleant; quod tanto facilius præſtant, quia apologiarum noſtrarum lectione iisdem interdicunt. Longe vero facilius exteris, ut linguæ ſic & hiſtoriæ noſtræ plerumque ignaris imponunt. Inde fit, ut cum hi quoque de rebus Germanicis ſcribere velint (quod Galli nunc frequenter factitant) accedente librorum noſtrorum prohibitione, non habeant unde veritatem hauriant. Itaque *Cochlæus*, *Surius*, aliique paris ingenii autores, omnem illis paginam faciunt.

Ita poſt ſexcentorum Lutheromaſtigum ejusque hiſtoriæ falſariorum malignos conatus, e Jeſuita factus regius Hiſtoriographus *Ludovicus Maimburgius*, non minori odio & invidia adverſus religioni noſtræ addictos, aut Lutheri nomen non averſantes, accenſus, *Hiſtoriam Lutheraniſmi* Gallico ſermone contextam anno 1681 evulgavit. Quæ etſi verborum lenociniis & ſubinde inſperſis laudibus, Luthero non iniqua adeo videri poſſit, ac acerbiorum ſcriptorum libri antea in publicum editi; idem tamen propoſitum veritatis oppugnandæ & Reformationis hiſtoriam invidioſis mendaciis lacerandæ ipſum tenuiſſe apparet. Igitur cum non modo æque injurius, ſed magis etiam nociturus, ob blanditias ſermonis & quam præ ſe fert ingenuitatem, hic liber extaret, nec intra ſex hos annos quisquam ejus convellendi laborem ſuſcepiſſet; accenſus hoc ſtudio & divinæ veritatis amore, generis non magis ac antiquæ proſapiæ ſplendore, quam munerum in Saxonicis aulis præclare geſtorum gloria, literarum etiam exquiſito cultu & conſummata doctrina Vir illuſtris Dn. VITUS LUDOVICUS a SECKENDORF, integram Maimburgianam hiſtoriam excutiendam aggreſſus eſt, & quid veri ea falſique contineat, inquiſivit.

Quanquam vero nihil vulgare atque protritum de præſtantiſſimo hoc ſummi Viri ſtudio quivis ſibi promittit, omnem tamen expectationem longe ſupergreſſum in hoc opere ipſum eſſe, nemo non pervoluto diligentius libro deprehendet. E Gallico ſermone in Latinum, librum Maimburgii eleganter & fideliter convertit, quod

quod hanc linguam illa eruditis inter noſtrates, theologos cumprimis, familiariorem eſſe intelligeret. Sciſſum in commata ſeu paragraphos autoris contextum obſervationibus ſuis & animadverſionibus diſtinxit, in quibus & falſa ac invidioſa notavit, veramque hiſtoriam falſæ Maimburgianæ & aliorum huic ſimilium ſcriptis oppoſuit, ac luculentiſſimis rationibus adverſus calumniatores evicit, Lutherum non faciendi ſchiſmatis ſtudio & ambitione inani, ſed cauſis graviſſimis adductum innocentiſſime ac integerrime reformationis negotium, ne prolaberentur penitus res Chriſtianæ, ſuſcepiſſe. Ex ipſis Lutheri epiſtolis ac cæteris ſcriptis ejus dogmatum, ex coævis ſcriptoribus ejus factorum fidem probavit. Ne vero ab aliis proditaſolum afferret, (quod tamen jam ſatis eſſe poterat, quando ab adverſa parte non niſi veteres næniæ ſæpius exploſæ & ſolide confutatæ identidem denuo proferuntur) ex Saxonicorum Principum, in quorum provinciis vera dogmata ſplendorem ſuum Lutheri opera primum receperunt, ſcriniis & archivis meliora manuſcripta, quam de quibus Maimburgius falſo gloriatur, impetravit, & ex iis quæ ad Reformationem ab invidioſis criminationibus liberandam facerent, produxit. In propoſito hoc exequendo quam rationem tenuerit, quam moderationem ſervarit, qua ingenuitate uſus ſit, cuivis legenti manifeſtum eſt, & in eleganti ac diſerta *Præfatione* Operi præmiſſa, nec non *Diſſertatiuncula*, quæ iſtud claudit, Additionibus ſubjecta *p. 361. & ſeqq.* ipſe expoſuit. Summa etiam capita e lemmatibus, quæ ſingulis paginis inſcripſit, licebit intelligere, & cognoſcere in quo argumento tum Maimburgii Diſſertatio hiſtorica, tum adjecta ei commentatio, additio, aut cenſura verſetur.

Univerſam autem Maimburgianam hiſtoriam ejusque ſex libros in Latinam linguam translatos & annotationibus additionibusque (in quibus quædam commentationum capita e pluribus aliis ſcriptoribus probantur, aut omiſſa ſupplentur) illuſtratos nunc publico donare etſi propoſitum habuit Illuſtris Editor; maluit tamen priorem jam modo ſtudii ſui partem, *primum* nempe Maimburgii librum complexam edere, quæ ſeptem priorum Reformationis annorum geſta, ab anno 1517 ad annum 1524 exponit, in arduo hoc negotio maxime difficilia & impedita, ac proinde accuratiori in-

quisitione prolixiorique expositione prorsus digna. Non solum enim primi conatus, quos præter omnem spem & expectationem cujusquam Lutherus suscepit, ab omni humano præsidio destitutus, Principis etiam sui Electoris Saxoniæ Friderici præsidio parum tutus, sed & gravissimi agones in congressu Augustano cum Cardinale Cajetano, in disputatione Lipsiensi cum Eccio, tum Wormatiensibus comitiis, editaque adversus ipsum Pontificis & Cæsaris severissima decreta enarrantur, immensique labores, hominis vires ferme excedentes, prioribus his annis ab eo exantlati recensentur. Incredibilia porro innumerorum adversariorum odia, ac convitia per libellos plurimos in ipsum jacta, & immensa pericula, quæ primis his annis ei fuerunt subeunda, exhibentur, ac miraculo simillimum fuisse ostenditur, vivere ipsum vel uno, nedum septem annis potuisse. Hujus sane temporis historiam vere propriam Lutheri censet illustris Auctor; quod divina adjutus ope solus absque ullo socio per hos annos gessit omnia, nulla Principum potentia subnixus, omnium Regum, Cæsaris, ac Pontificis odio & persecutionibus expositus, collegarum etiam iniquitatem (ut Carolostadii facta demonstrant) certe timorem expertus; adeo ut ipse unus ex schola, quam concionibus, prælectionibus & scriptis Wittebergæ aperuerat, in omnia mundi regna & provincias Evangelii præcones, veluti tot coloniarum duces, misisse existimandus sit. Major itaque primæ huic historiæ parti exponendæ impendendus fuit labor, tantoque prolixior extitit, quanto sæpius ipsa Lutheri adducenda fuerunt verba, quibus suam ipse sententiam diserte explicavit, unde Maimburgii & cæterorum adversæ partis scriptorum falsæ criminationes contunderentur. In sequentium annorum historia, quando Principum auctoritas, & Magistratuum approbatio, & adjutorum numerus accessit, & ad publicas Confessiones perventum est, parcius breviusque Lutheri libris se usurum prædicit illustris Auctor; majori tamen aliorum Auctorum apparatu opus futurum, qui adversus calumnias producantur, quivis intelligit.

Rationes vero quibus motus est, ut Additionum volumen bene magnum primo huic libro adjiceret, in exordio Additionibus præmisso exposuit, neque celat quæ adminicula ad progressum operis ex-

expectet. Ex his ipsis sane additionibus specimen capere licet, quantum lucis accedere possit historiæ, si (uti ab Auctore, quantum licuit, factum est) eruantur ex bibliothecis & scriniis, quæ licet olim publicata, ob paucitatem tamen pagellarum vel aliis de causis obscura & neglecta hucusque jacuerunt, multoque magis quæ nunquam sunt publicata. Accedit & alia utilitas, si ex libris editis licet, sed rarioribus aut caris, aut lingua non omnibus intelligibili scriptis, seligantur optima quæque & judicentur aut excerpantur. Utrumque ut præstaret, curæ fuit Illustri Auctori, nec ingratum futurum esse conjicimus lectoribus, ut præcipua additionum capita sive materias, & ex quibus fontibus haustæ sint, breviter indicemus. *Apologia Sleidani* ex *Hortledero*, cujus duo magna volumina (in folio) de bello Smalcaldico extra Germaniam vix fortasse ulli, intra eam non multis nota aut ad manus sunt, exhibetur p. 7. Historia controversiæ de indulgentiis A. 1484. in Misnia agitatæ, deque ea libellus *D. Joh. Breitenbachii* Jurisconsulti Lipsiensis tunc celeberrimi, p. 29. De Lutheri studiis & moribus non pauca ex historia MS. *Matthæi Ratzebergii* Medici, p. 36. 40. 41. & alibi. Vita *Spalatini* p. 42. Scriptum quoddam *Tezelii* contra Lutherum, p. 10. 49. *Henrici Altingii* historia MS. de reformatione *Palatina*, p. 56. 292 & alibi. *Spalatini* historia MS. de Friderico Saxoniæ Electore, p. 59. 61. 148. 215. & alibi. De fœdere Suevico commentatio haud inutilis, p. 68. *D. Christophori Scheurli* oratio, & alia quædam rariora testimonia de *Friderico* Elect. Sax. p. 71. De structura templi omnium Sanctorum Wittenbergæ, p. 82. Tractatus quidam de disputatione Lipsiensi olim editi, p. 89. De *Petro Mosellano* memoratu digna p. 103. Oratio *Langii* de disputatione Lipsiensi, p. 107. *Joh. Capnionis* historia p. 117. De libris *Augustini Alfeldensis*, p. 127. De *Thomæ Rhadini* orationibus, & quæ Philippus Melanchthon adversus illum scripsit, p. 180. De libello *Hieronymi Vei*, p. 170. De colloquio inter *Fridericum Myconium* & *Joh. Corbachium Dusseldorfii*, præsente *Joh. Friderico* Saxoniæ Duce postea Electore habito, narratio memorabilis, p. 195. Literæ *Melanchthonis* de Anabaptistis ad *Fridericum* Electorem antehac non editæ, p. 211. De *Emseri* scriptis, p. 221. De Reformatione urbis Altenburgensis, p. 238. Excerpta ex *Wesseli Groningensis* libris admodum raris. 240. & 351. De Reformatione *Ulmensi*, 265. Excerpta

ex ſcriptis *D. Caſp. Guttelii* itidem raris. 268. 255. De Reformatione *Zuiccavienſi*, ex MS. 279. Excerpta ex *Baazio* autore Sueco paucis noto. 284. De edicto *Philippi Haſſiæ Landgravii*, quo reformationis initium quoddam fecit. 309. De *Norimbergenſi* Reformatione, haud trita. p.313. Item de *Argentoratenſi*. p.321. De *Iſennacenſi*. p.337.357. Conciones *Andreæ Prolis*. p.348. Ex *Wicelio* quædam. p.351. Apologia *Chriſtierni* Daniæ R. p.356. Liber *Emſeri* de S. Bennone. p.359. Multa de virorum illuſtrium & doctorum, maxime vero de Theologorum, qui Lutheri doctrinam propagarunt geſtis, collecta invenient Lectores; tum digreſſiones quasdam non pœnitendas, v. g. de *Erneſto Saxone* Archiepiſcopo Magdeburgico p.142. de *Savonarola* p.147. de Imperio *Friderico* Saxoni Electori oblato. p.151. de egregia propoſitione *Maximiliani I.* Imperatoris Conſtantiæ A. 1507. proceribus Imperii facta. p.148. refutationem luculentam calumniarum novi Scriptoris Galli, Abbatis *Cordemoii*, de Colloquio Lutheri cum diabolo. p.178. de ſophiſtica *Eccii* diſtinctione *inter totum & totaliter* p.83. item 340. Recentiſſimi etiam hiſtorici regii in Gallia Varillaſii mire falſa venditantis, refutationes paſſim inſeruntur. Gratam vero paſſim commemorationem eorum facit Auctor, a quibus adjutus eſt librorum & documentorum ſuggeſtione, aliosque ad eandem benevolentiam invitat, & operæ ſuæ continuationem publici commodi cauſa prolixe offert. Cui præclaro ſtudio exequendo, quod a nemine alio vel majori fide vel doctiori induſtria præſtari poſſe arbitramur, ut otium ac idoneas vires Deus ſufficiat, cujus unicæ gloriæ omnem vitam ſummus Vir impendit, vovemus.

VOYAGE DE SIAM, DES PERES JESUITES, envoyés par le Roy, aux Indes & à la Chine &c.

id eſt,

Iter Siamenſe Patrum Jeſuitarum, a Rege (*Galliæ*) in Indiam & Chinam miſſorum.

Amſtelodami, apud Petrum Mortierium, anno 1687, in 12.

AUtor hujus Itinerarii *Guido Tachardus*, Societatis Jeſu. Una cum quinque aliis ſuæ profeſſionis Patribus, in comitatu

tatu fuit legationis Gallicæ, ad regem Siami non ita pridem miſſæ: cujus hiſtoriam, ex ipſius legati *Chaumontii* ſcripto hodœporico, *menſe Febr. ſuperioris anni p.107*, recenſuimus. Quamvis autem memorati Patres a Rege Galliæ, ſub titulo mathematicorum regiorum, p.5.11. in Indiam, & præcipue ad Sinas deſtinati eſſent, ut ibidem, cum artibus & ſcientiis, ſpeciatim Geographiæ ac Nauticæ, perficiendis, inſtituendisque pro re & occaſione nata obſervationibus, incubarent; tum ut conjuncta cum Miſſionariis Romanenſibus aliis opera religionem Chriſtianam proveherent: Tachardi tamen peregrinationem Sinenſem conſilium intercepit Regis Siamenſis, poſtquam p.238.148. inſtinctu miniſtri ſui primarii Conſtantini, religioni Romano-Ca- p.165. tholicæ addicti, ad extruendum in regia ſua Obſervatorium, Pariſino aut Pequinenſi, quod Jeſuitæ poſſident, ſimile animum applicuiſſet, unum ex his Patribus requirentis, qui cum Legato Gallico redux, a Rege Galliarum duodecim Jeſuitas, mathematicarum ſcientiarum gnaros, ſibi impetraret, quorum opera in regno ſuo propagandis hiſce ſtudiis deinceps uteretur: quam provinciam ſors ar- p.239. bitra Autori noſtro detulit.

Tachardus ergo, legati Gallici toto itinere comes, eadem fere in hoc libello deſcribit, ac Legatum, citato ſupra loco, adnotaſſe memoravimus. Quæ tamen ille preſſo utplurimum ſtylo, noſter uberius proſequitur; hinc inde etiam inſpergit *Chaumontio* intacta, & quorum gratia poſt hunc quoque meretur legi. Præcipuorum guſtum B. Lectori aliquem hic damus; eorum maxime, quæ ſtudium intentionemque *Autoris* & ſociorum propius attingunt.

Hemiſphærium meridionale paulatim ſubeuntibus deprehenſi p. 29. ſunt *defectus mapparum cœleſtium* P. Pardies, *circa ſidera auſtralia*; ob quas non levi reformatione dignas easdem cenſet. Brachiorum enim Crucis auſtralis inæqualitatem in cœlo multo magis eſſe conſpicuam, ac in chartis comparet; Lupi vero & Centauri icones tam parum congruere aſteriſmis iſtis, ut ſecundum illos difficulter in cœlo diſtingui poſſint; Trianguli ſtellas reſpectu circumjacentium perperam collocatas; nubeculam etiam nec ſitu nec figura dextre expreſſam, commemorat: pluriumque aliorum errorum dictas tabulas ex obſervationibus accurate inſtituendis reas futuras conjicit.

Poſt

p.42 sqq. Posthæc *meteororum*, in tractu Oceani subæquinoctiali obviorum, Draconum puta, Siphonum & ignium marinorum, scintillarum noctu subsultantium, procellarum, iridum Solarium Lunariumque &c. phænomena, aptam physicis disquisitionibus materiem, exponit.

p. 51.

Capitis Bonæ Spei non incuriosam descriptionem, adjecta oræ maritimæ tabula, lectori præbet: suo etiam testimonio confirmans, quæ *Chaumontium* de fertilitate circumjectæ regionis asseveravisse olim notavimus. Ubi etiam de copia cervorum, quæ supra fidem fere nobis fuit, ex ore Batavici ibidem Gubernatoris refert, visos eidem aliquando minimum decies mille, uno agmine incedentes. Præter ea porro, quæ ipse de terræ nascentibus, animalibus, incolis, incolarumque moribus, propriis partim oculis, partim aliorum relatione edoctus, commemorat; mappam accuratam, sibique fide autoris commendatissimam, Capitis & confinium versus tropicum terrarum, exhibet, cum indigenarum (quos Batavi *Hottentot* communiter appellant) recensu; a novissima *Tapperi* descriptione, ut numero, sic & nominibus populorum illorum non parum diversa: miseratus interim infelicem gentium illarum conditionem, quæ salutari Numinis divini cognitione destitutæ, impensam quidem hospitum suorum curam, in commerciis secum exercendis, detegendis comparandisque, per avia, deserta, & montium pene inaccessa, insuper etiam habito vitæ periculo, terrarum illarum divitiis, ab annis non paucis expertæ sint; nullo prorsus ardore, qui Christianos tamen maxime addecebat, apud hos excitato, lucrifaciendi Salvatori suo ingentem adeo hominum multitudinem, sua non minus sic culpa, quam pessima vicinorum negligentia æternum pereuntium.

p. 78.

p. 80.

p. 94.

p. 64, 70. Observata est & hic loci *Tachardo* cum sociis, per instrumenta ex Galliis asportata, *Satellitis Jovialis primi occultatio*, & per eã *longitudo Capitis* tribus gradibus *occidentalior* ac recentiores mappæ exhibent, reperta. Nam juxta *Ephemerides satellitum Jovialium Cassinianas*, emersio Parisiis contingere debuit Anno 1685 d. 4 Junii, Hora pom. 8. 25. 40: observatoribus vero nostris, correcto tempore, satelles evolvere se cœpit Hor. 9. 37. 40; differentia utriusque loci hinc emergente 18, quæ *Autoris* effato secundum tabulas novissimas

p. 66.

mas est 21. Non perinde tamen eidem certa est *deviatio acus magneticæ hoc loco captæ*, 11½ gradibus magistrissans, quam nautarum pyxides tantum 9 exhibuere; suspecto annulo, quo utebantur, astronomico, ob dissensum ejus duorum circiter graduum, a probatæ fidei instrumentis aliis deprehensum, cum declinationem magnetis in regno Siam iteratis vicibus explorarent. Animadversum etiam est hac occasione, plurimas circa polum antarcticum stellas a *Bayero* aliisque omissas, multas etiam perperam dispositas; nubeculas vero binas prope eundem polum libero intuitu clarissime albicantes, tubis grandioribus inspectas tantum non penitus disparere.

p. 65. 70.

Inter Caput prædictum Insulamque Javam Oceanum sulcantibus *cautiones itineri isti dextre conficiendo necessariæ* diligenter notatæ sunt; quæ, quia intra paucos annos tempestatum in illo tractu ventorumque vicissitudines a pristinis nauticæ regulis, & experimentis temporum lapsorum plurimum descivere, non minus utiles esse possunt eo inposterum tendentibus, quam comperta *Insulæ Javæ a Capite B. S. distantia*, plus sexaginta leucis contractior, atque chartæ hactenus voluere geo-hydrographicæ.

p. 96. 102.

p. 108.

Occasione appulsus ad oram Javæ Bantamicam, visum est Autori brevem *historiam* exhibere *nuperorum motuum Bantamicorum*; quam compendio hic repeti B. L. ingratum non arbitramur. Nimirum Rex Bantami Agum regnandi satur, & negotiorum pertæsus, septem octove abhinc (dum hæc scribimus) annis filio Aguy regni habenas permiserat. Hic patriis præceptis, quæ cum corona acceperat, parum obsecundans, remotis a curia, quos parens præcipuos habuerat rerum & consiliorum administros, filioque enixe commendarat, patris in se primum querelas, mox ubi nihil hæ profecere, iram adeo concitavit, ut coacto ingenti exercitu filium adoriretur, solio iterum dejiciendum, in quod intempestive fuerat collocatus. Secuta inde subditorum defectio, Juniorem regem, in regia Bantamo a patre obsessum, in summas conjecit angustias: extrema tamen is omnia potius experiri, quam dubiæ parentis offensi clementiæ se permittere paratus, vicinorum Batavorum opem imploravit, & obtinuit. Spelmanus enim regiminis Indico-Batavici Gubernator, insuper habito suorum consilio, bellum in regem

p. 123.

amicum dissuadentium, submissis propere copiis auxiliaribus, depulsum ab obsidione Bantami regem seniorem castrisque exutum, in fugam egit. Hac victoria potiti, inque regiam recepti Batavi, de regno occupando, & rege utroque in potestatem redigendo consilium cepere: inde Juniori regi, sub honoris quidem & securitatis prætextu, custodia ex milite Batavo circumdata, & prolatis porro armis munimentum Tangran, ipsaque urbs Carthiace, in quam Rex parens se receperat, occisis hic præsidiariis mille sexcentis, occupata. Retractus etiam ex fuga Agumus, filioque traditus: qui pronunciata in parentem capitis sententia, a Batavis tamen, impietatem hanc detestantibus, persuasus est, ut supplicium in arctam custodiam verteret. Paucis post hæc diebus, Rex edito mandato, Gallos Anglosque regia Bantamo excedere jussit, causatus utramque hanc nationem partibus æmuli sui faviſſe. Et Galli quidem, rebus suis secum deportatis, morem gessere; Angli vero relictis in urbe facultatibus emigrantes, de vi, sibi sub nomine regis a Batavis illata, protestati sunt. Ab illo porro tempore, peregrinis præter Batavos omnibus descensus Bantami interdictus, & commercia, quibus hactenus præcipuum hoc piperis emporium inclaruerat, Bantamensibus nequicquam ringentibus, Bataviam translata
p. 115. 121. sunt: ipse vero Rex Aguy in castro regiæ contiguo, Batavorum militum præsidio circumvallatus, subditis Agumi vicem indigne ferentibus, & exterorum auxilia circumspectantibus, dubio adhuc motuum horum exitu moderatur.

Præter ea quæ Legato ejusque comitatui Siami contigere, aut observata sunt, circa *magnificam exceptionem, introitum in regiam, palatia & processus regios, templa, funebria Talaponum, elephantorum*
p. 177. sqq *capturam, & unius albi trecentorum annorum cultum &c.* tacendum
p. 190, 195 nobis est minime *colloquium Regis Siamensis* cum supra nominato
229, 212, 221, 227, ministro suo Constantino, *de amplexanda*, Regis Galliarum hortatu,
253, 141, *religione Christiana.* Chaumontius enim, qui hoc in mandatis vel
156. 233. maxime habebat, ut Siamensium Regi fidem persuaderet Christia-
p. 257. sqq. nam, præterquam, quod orationis suæ ad regem præcipuum hoc argumentum esse voluit; peculiari etiam scripto, per ministrum dictum oblato, hoc Domini sui desiderium Regi impense commendavit. Id Regi offerens Constantinus, & ipse plurimum contendit, si

qua

qua consilium votumque regis Galliarum eidem conciliare posset. Frustra tamen tunc quidem fuere conatus utriusque: Rege, Chri-
p. 136. stiano nomini alioqui minime infenso, & absurditatem doctrinæ Talaponum genii sui sagacitate plus satis jam edocto, ad tam inopinatam propositionem nondum ita præparato, ut præjudicium, vetustati suæ religionis, plus annis bis mille citra interruptionem Siamensi in regno excultæ nixum, tam cito potuerit exuere. Miratus autem est rex, Galliarum regem negotium religionis tantopere curare, quod tamen ipse Deus, ad quem referatur, suo judicio perinde habeat, hominumque arbitrio solidum relinquat. *Deum enim*, sic philosophatus est, *universi creatorem, æque potuisse, si ita sibi visum fuisset, hominibus, corpore animoque adeo similibus, unam de se inspirare sententiam, quæ suæ conformis esset voluntati; atque adeo unitatem religionis, a providentia sua unice pendentem, æque facile introducere, atque sectarum illam diversitatem, quæ tamen ab omni retro ætate viguerit. Placuisse Numini celebrari tam prodigiosa & admiranda varietate diversissimarum creaturarum, quæ creatorem suum unaquæque modo sibi convenienti collaudet; quid si idem non minus capiatur honore, sub diversis cultus & ceremoniarum schematibus ab hominibus oblato? Quid enim varietas hæc, quæ in sphæra naturali tantæ pulchritudinis & admirationis habetur, probri censenda sit aspergere ordini supernaturali, aut quæ ratione divinæ sapientiæ disconvenire? Cum itaque contra voluntatem divinam nihil contingat, eademque rebus universi summo moderetur imperio, se intra brachia misericordiæ providentiæque divinæ se recipere, totoque pectore æternam obtestari sapientiam, ut secundum beneplacitum suum de se suoque regno decernat.* Hæc summa est argumentorum regis Siamensis, quorum pondere se passus est detineri, quominus ad re-
p. 136. ligionem Christianam accederet: felicior utique futurus, si postquam superstitionum fabularumque gentis suæ vanitatem passim deprehendit, tanta solicitudine anchoram salutis suæ suorumque tutiorem imo unicam quæreret, quanto studio Europæorum artes & scientias regno suo invehere laborat.

Memoratu etiam digna est *observatio Eclipseos Lunaris*, ipso
p. 146. 151. rege præsente a Patribus dictis in urbe Louvo, 15 aut 20 leucis a regia Siamo Boream versus distante, peracta; juxta quam & Parisi-

nam Cassini, differentia meridianorum, Parisiensis & dicti loci deducta est 6 Hor. 34′: & inde longitudo Siami 121°, quantam etiam ex observatione d. 21 Febr. anno 1682 ibidem habita Autor collectam obiter indicat. Cæterum *inundationem regni Siamici* annuam, quam ex *Chaumontio* quatuor mensibus durare tradidimus, noster ad septem octove menses ex relatione incolarum se extendere, diversis in locis consignavit.

Atque hæc sunt, quæ historiæ itineris interspersa, digna relatu judicavimus: præter quam Autor libro ultimo peculiari *de moribus & religione Siamensium* agit; qui exegeticus esse potest eorum, quæ ex Chaumontio antehac excerpsimus. Notat autem regi-
p. 177 am, Siam Lusitanis appellatam, non Iuthiam aut Odiam ab incolis, sed *Crung si ayutha ya* nuncupari: Beatitatis summum gradum, quem Chaumontius juxta genus loquendi Siamensibus hic suetum per annihilationem exprimit, Autor per exemtionem a regimine
p. 190. 192 universi, qua terris subductus eorum Deus, atque in cœlum translatus, procul ab ærumnis mundanis æterna quiete perfruatur, explicat: Deaster Siamensium novissimus, qui Chaumontio *Nakodon*, *Sommonokhodum* nostro audit, ejusque frater *Thevathat*. Cætera superstitio-
p. 208. num infelicissimæ hujus gentis referre tædet: cui in tenebris & umbra mortis positæ a Patre luminum cœlestis exortum lucis, quæ pedes eorum in viam pacis dirigat, votis & suspiriis devotissimis comprecamur, ut uno nobiscum ore & pectore confiteantur Dominum nostrum Jesum Christum, ad glorificationem Dei Trinunius, in secula benedicti.

JOURNAL, OU SUITE DU VOYAGE DE Siam &c. hoc est,

Diarium, sive Series Itineris Siamici, in forma epistolarum familiarium &c.

Amstelodami apud Petrum Mortierium, anno 1687 in 12.

ET hic libellus, a Domino *de Choisy* conscriptus, itineris Siamici, a Legato Gallico *Chaumontio* nuper confecti, cursum & fata complectitur: cujus adeo recensu prolixiore supersedere possumus, defuncti

defuncti scilicet hujus laboris maxima parte, relatis quæ *Chaumontius* atque *Tachardus* nobis consignavere. Commendandus tamen nobis *Autor*, cum a solicita commemoratione eorum, quæ toto hinc & illinc itinere oculis auribusque usurpavit; tum styli, popularis quidem, sed ad delectationem Lectoris compositi, elegantia: nec reticendum est, multa eundem curate descripsisse, quorum duo prædicti scriptores aut nihil, aut leviter tantum meminere. Inter quæ merito numeramus, officia domus regiæ Siamensis, hujus etiam & regnorum Tonquin & Cochinchinæ statum, novissima fata & mutationes.

Q. CURTII RUFI DE REBUS ALEXANDRI Magni Historia superstes. Recensuit, etiam Supplementis, Commentariis, Indicibus & Tabulis Geographicis, hisque omnibus novis illustravit Christophorus Cellarius.

Lipsiæ, apud Gleditschium, 1688, in 12.

HAnc novam Curtii illustrati formam ita adornavit Clarissimus Editor, ut juventuti ad humanitatis studia præparandæ cum primis apta & utilis appareat. Nam quod usu expertus est, scriptoris hujus, qui non integer ad ætatem nostram pervenit, vulgata supplementa vel sterilitate non explicare id, quod Curtium lecturis necessarium est; vel copia sua nimium detinere adolescentes: ipse ex conjecturis, quæ unica via complendi supereſt, materiam supplementorum suppeditavit, etiam notationibus illustravit, a stylo autem vel ideo abstinuit, quod non putavit nostri seculi esse, Curtianam elegantiam in re, quæ a sola conjectura pendet, ad amussim æmulari. Quos vero Curtii libros superstites habemus, non solum Criticorum curis emaculatos, sed etiam notis suis ita explicatos dedit, ut id potissimum pensi habeat, quo historia integrior fiat & explanatior; & Geographia etiam cum Latinitate magis illustretur. Quem in usum tres novas Tabulas Geographicas, & præter rerum Indicem, etiam alium copiosiorem Latinitatis adjecit, ut nihil fere deesse videantur, quod hujusmodi scriptoris interpretationi postuletur. In solis politicis notis & ad moralem Philoso-

losophiam pertinentibus de industria parcior fuit, utpote quas a scopo suo, qui scholis destinatus erat, videbat paullo alieniores. Tamen & hasce de Alexandri moribus, quæ præcipua Philosophia Curtii est, præmissa dissertatione compensavit, qua in utramque partem disputantur, quæ vel laudibus in hoc Rege, vel vituperatione videntur digniora. Accedit de ætate Curtii judicium geminum, utrinque argumentis confirmatum, quo vel Claudii temporibus, vel Vespasiani vixisse, liberum cuique ad credendum relinquitur.

VITA JOH. REUCHLINI PHORCENSIS, primi in Germania Hebraicarum Græcarumque & aliarum bonarum literarum Instauratoris, succincte descripta editaque a Joh. Henrico Majo, Phorcensi, in Illustri Gymnas. Durlac. Professore P. ac in templo primario D. Stephani Pastore.

Francof. & Spiræ apud C. Olffen. 1687. in 8.

Joh. Capnionis seu *Reuchlini* magnum sub initium seculi superioris nomen fuit, tum ob eruditionem singularem, & imprimis ob reductam in Germaniam nostram Græcæ, maxime vero Hebraicæ linguæ peritiam, & præparatam inde reformationi viam; tum ob litem, quæ ei cum Theologis Colonienſibus nata fuit, multisque scriptis occasionem præbuit. Non ignorant id, qui vel mediocriter in historia temporum illorum versati sunt. Bene tamen & de memoria viri egregii, & de Republica literaria meritus est civis ejus Durlaci *Joh. Henricus Majus*, qui sub auspicium demandatæ sibi in Gymnasio Durlacensi professionis linguarum Orientalium, de *Reuchlino* elegantem & luculentam orationem, mense Januario anno cIↃ DC LXXXIV habuit. Ad eam Theologus aulæ & consistorii Durlacensis primarius *Joh. Fechtius* programmate doctissimo, de barbara linguarum ignorantia, qua per multa secula Ecclesia dehonestata fuit, auditores invitavit. Autor autem clarissimus non orationem solum, cum præfatione & dissertatione Fechtiana, sed & annotationes, quibus historia illustratur, in libellum hunc congessit. Ex his quæ ad vitam Reuchlini pertinent, hæc

hæc potissimum sunt. Natus fuit *Pfortzhemii*, quod est oppidum Durlacensis ditionis ad radices sylvæ Hercyniæ sive nigræ, Rhenum versus situm, anno supra millesimum quadringentesimum quinquagesimo quinto: (ita corrigi debet pagina 61. *orationis*, ex pag. 139. *notarum*.) Studiorum Academicorum tyrocinia Parisiis posuit, augmenta Basileæ habuit, præceptore inter alios *Joh. Wesselo* Groningensi, purioris doctrinæ Theologo. Ibidem inter magistros & Professores extraordinarios assumtus est, & Lexicon Latinum, *Breviloqui* titulo, composuit, magni tunc, cum meliora non extarent, æstimatum. Inde in Galliam denuo profectus, in Academia Aurelianensi Jurisprudentiæ operam dedit, & honores *Licentiati* in *Pictavienſi* adeptus est. *Doctoris* vero titulum, ut liberum ipsi relictum fuit, *Tubingæ* adsumsit. Cum *Eberhardo* I. Wurtenbergensium Duce, cui a secretis erat, Italiam ingressus anno 1487, doctissimis viris innotuit. Legatus postea a Principe ad Fridericum III Imperatorem, *Comitis Palatini* & nobilitatis privilegio honoratus fuit. Post mortem Eberhardi Ducis, ortis in Wurtenbergico ducatu turbis, Heidelbergam se recepit. Ibi in usum Electoris Palatini, historiæ quatuor imperiorum compendium composuit; comœdiam etiam Latinam primus scribere tentavit, magna tamen cum invidia, quia in quadam ex iis in monachos luserat, quamvis præter voluntatem ejus anno 1507 edita. A Philippo Electore Romam negotiorum quorundam causa missus, cum ibi ultra annum hæreret, Hebræum quendam linguæ magistrum conduxit, eique singulis horis aureum pro labore solvit. Usus erat antea in lingua illa addiscenda Basileæ *Wesselo*, & Viennæ Judæo, Cæsaris medico: neque Græcam neglexit, edita jam in Gallia & prælecta Pictavii Grammatica, ita ut Græcis eam linguam Romæ docentibus admirationi esset. Finita legatione & relicta Heidelberga, in Wurtenbergensem Ducatum revocatus, & inter consiliarios sive *judices fœderis Suevici*, quorum tres constituti erant, Imperatoris & Principum auspiciis assumtus fuit. Tempus vero quod negotiis subtrahere poterat, omne literis tribuens, primus rudimenta linguæ Hebraicæ & Lexicon Latine edidit, item commentarium in VII Psalmos Pœnitentiales. Incidit postea in controversias ac litem cum Judæo *Joh.* Pfefferkorn, qui Christianus factus, zelo importuno, juvantibus *Jacobo Hochstratano* Domi-

Dominicano, inquisitore, inter Lutheri postmodum adversarios non ignoto, & *Arnoldo Tungro* Theologo Colonienſi, Imperatorem Maximilianum I ad decretum condendum permovit, ut omnes Judæorum libri, præter sacrum codicem, igne abolerentur. Sed Judæi omni studio contra nixi, ab Imperatore suspensionem edicti & mandatum obtinuerunt ad Archiepiscopum Moguntinum, ut cognitionem causæ, adhibitis in consilium viris doctis ex Academiis & aliunde, interque hos Reuchlino institueret. Consultus itaque Reuchlinus, literis ad Moguntinum datis moderata sententia suasit, ut non nisi illi Judæorum libri abolerentur, qui in Salvatorem nostrum Jesum Christum & sanctos ejus contumelioſi essent, v. g. qui *Nizzachon* & *Toledoth Jeschu* appellantur. Has literas Pipericornus per fraudem interceptas, publico scripto Germanico, titulo *Speculi manualis* (Handspiegel) insectatus est, multis in Capnionem convitiis repleto. Capnio questus primo de eo fuit apud Cæsarem, sed cum causa protraheretur, pro fama sua tuenda, libellum titulo *Speculi ocularis* (Augenspiegel) opposuit. Offensi hoc sunt, qui Pipericorno patrocinabantur Colonienses; Tungrus vero quædam ex illo excerpsit, & latine reddita censura notavit. Capnio defensione itidem Latina respondit. Sed nihil eam morati Colonienses, per Hochstratenum litem Capnioni publice coram Archiepiscopo Moguntino intentarunt. Ab illo judicio, quod suspectum sibi videbatur, Capnio ad Leonem X. pontificem provocavit. Is causam *Georgio Palatino* Episcopo Spirensi delegavit, qui egregiis viris cognitionem demandavit. Hi secundum Capnionem A. 1514. pronuntiarunt, condemnato in expensas *Hochstrateno*, qui per contumaciam non comparuerat. Pendente lite, Colonienses librum Capnionis damnaverant & igne exusserant, approbantibus factum Lovanienſi, Erfurtenſi, Moguntina itemque Parisienſi universitatibus. Accessere libelli & picturæ in Capnionem famosæ, a *Pipericorno*, & *Ortuino Gratio* Professore Colon. vulgatæ. His Satyra lepidissima, sed aculeatissima opposita fuit, etiam hodie non ignota, sub titulo *Epistolarum obscurorum Virorum*, quæ ab *Ulrico Hutteno* conscriptæ esse putantur. Cum vero liber a Pontifice prohibitus esset, prodiit alius non minus aculeatus, *clarorum virorum epistolas* præferens. Sed licet scriptis & causa

supe-

superior esset Capnio, famæ suæ melius consulturus, ad aulam Romanam totum negotium devolvit, intercessionibus Imperatoris, multorumque Electorum, Principum, & civitatum adjutus. Nec Hochstratenus patronis carebat, ejusq; prensationibus protelata lis fuit, summe indignante & de corruptionibus querente Capnione. Ipse tamen interea eruditionis suæ laudem aliis libris propagavit. Edidit enim, ut ipse scribit, primus omnium mortalium, librum Latinum *de accentibus Hebræorum*, aliaque, inter quæ vitam Constantini M. Latine versam, *Friderico* Electori Saxoni, Sapientis cognomine celebri dedicavit, eoque meruit, ut *Wittembergam* in Academiam paulo ante fundatam vocaretur. Verum senio jam gravis, *Philippum Melanchthonem* sui loco Electori commendavit. Hunc enim ob cognationem quandam & ingenii felicitatem, valde & fere filii loco amabat, nomen etiam ejus Schwartzerd in Græcum *Melanchthonis* mutari suaserat, sicut suum Reuchlini, quod Germanice *fumum parvum* notat, Hermolao Barbaro autore in Capnionis vocabulum transformaverat. Romæ etsi delegati omnes, excepto Magistro Palatii *Prieriate*, Capnionem suis absolvissent suffragiis, & Doctores per Europam plerique ei assentirentur, datum tamen est Hochstrathöo & ordini ejus Dominicano, cui *Nicolaus Cardinalis Capuanus* ex *Schönbergiorum* nostratium nobilissima familia ortus, inter multos alios validum exhibebat patrocinium, ne sententia executioni mandaretur. Dein orto paulo post inter Lutherum & Tezelium novo & graviori certamine, quod Capnio prædixerat, causa conquievit, & Capnio a Bavariæ Duce in Ingolstadiensem Academiam vocatus fuit; sed grassante pestilentia haud diu ibi moratus Tubingam rediit, ibique Hebræa & Græca cum magno docuit successu; nec multo post Stutgardiæ obiit, anno MDXXII, sexagesimo septimo ætatis anno.

Hæc quam brevissime licuit, ex oratione potissimum excerpsimus. Ex annotationibus satis amplis sequentia observavimus. Laudat autor nationem Suevicam a doctrina potissimum, & speciatim quosdam in patria sua *Pfortzhemii* natos, v.g. *Joh. Schvvebelium*, qui Ecclesias Bipontini ducatus reformavit, & quem autor a Zvvinglianismo excusat: *Bartholomæum Westhemerum*, libri de *Tropis sacris* autorem: *Matth. Wertvvein*, Canon. Brixinensem: *Nicolaum Gerbe-*

lium

lium J.C. Lutheri & Philippi amicum: *Adamum Frey*, Cancellarium Badenſem. Subjungit encomia Reuchlini a magnis ea ætate viris profecta p. 92. *& ſeqq.* inter quos referuntur Reinheros *Dux Lotharingiæ*; *Joh. Picus Mirandulæ Comes*; Epiſcopi & Doctores quidam Angli, interque eos celeberrimus *Joh. Roffenſis*; tum maxime *Eraſmus*, qui & vivum coluit, & mortuum in dialogo, quem *Apotheoſin Capnionis* nominat, celebravit, mordacitatem tamen ſtyli amice reprehendens. Præterimus quæ de nomine Phorcenſis oppidi diſputat autor, diſſentiens a Reuchlino, qui iſtius ſeculi morem ſecutus, originem a Phorcyde Phryge accerſebat. Inſcriptiones veteres in oppido repertas, & quasdam quæ Durlaci viſuntur, refert & explicat p. 104. *& ſeqq.* Hiſtoriam occiſæ a Judæis puellæ Pfortzheimenſis anno 1260, & miraculi poſt mortem editi, non ſine epicriſi enarrat pag. 111. item *Euphemiæ* Eduardi Angliæ Regis filiæ, quæ ut virginitatem quam voverat, ſervaret, dira multa paſſa, in cœnobio Pfortzheimenſi, ſub *Gertrudis* nomine vitam finiiſſe perhibetur. De Sereniſſima Familia Marchionum Badenſium non contemnenda affert, allegata hiſtoria MS. conſiliarii cujusdam Durlacenſis, *Joh Conradi Jungleri*, &, quæ nunc Durlacenſis linea dicitur, rectius Pfortzheimenſem ab aula in iſthoc oppido habita, nominari poſſe, & olim nominatam fuiſſe indicat. Epitaphia quædam principum Pfortzhemii extantia leguntur p. 125. *& ſeqq.* De libro *Erneſti Friderici* Marchionis nomine contra *Formulam Concordiæ* edito, qui ab arce haud procul Durlaco, in quo compoſitus fuit, ſita, nomen habet *Staffurtenſis*, ejusque refutatione, & ſecutis tum Reformatæ, tum Rom. Catholicæ religionis cauſa motibus, agitur p. 130. *& ſeqq.* Redit inde ad Reuchlini hiſtoriam, ejusque parentes & familiam enarrat, multa etiam de Melanchthone, qui Pfortzhemii rudimenta literarum didicit, memoratu haud indigna, & quam charus Capnioni fuerit, annotat. Deducit prolixius Academica Capnionis ſtudia, ex epiſtolis ejus, & ad eum ſcriptis, quæ typis excuſæ, quanquam raro, inveniuntur. De Weſſeli doctrina agit p. 154. *& ſeqq.* Literæ quibus a Jureconſultis Pictavienſibus A. 1514 *Licentiatus* renuntiatus fuit Capnio, habentur p. 166. *& ſeq.* Diploma Friderici Imp. quo eum *Lateranenſis* palatii *ſuæque aulæ* comitem creavit, & privilegiis nobilitatis honoravit, datum in oppido *Linz*, d. 24. Octobr. A. 1492.

A. 1492, exhibet p. 173. *& ſeqq.* Sobrietatem viri laudat, quod dives licet & honoratus, non pluribus tamen quam duobus ferculis in prandio, & uno in cœna, & pro vino lora uſus ſit, p. 185. De *Johanne Camerario Dalburgio* Epiſcopo Wormatienſi, quem Capnio ob eruditionem & in literatos munificentiam *unicum Germaniæ theſaurum* nominare ſolebat, itemque de comœdiis, illius Epiſcopi auſpiciis Latino carmine a Capnione conſcriptis, vid. p. 187. *& ſeqq.* Oratio ejus, quam Philippi Palatini Electoris nomine ad Alexandrum VI. pontificem A. 1498. adverſus Abbatem Weiſſenburgenſem habuit, elegans ſane & cum admiratione audita, inſeritur p. 195. *& ſeqq.* ut & epiſtola *Raimundi Cardinalis* Gurcenſis, qua exemplum illius orationis a Capnione petiit. Egregius ex dedicatione libri de *Accentibus* ad Cardinalem *Adrianum* locus, de ſtudio linguæ Hebrææ adducitur p. 211. & ſeq. De *Jacobo Aurelio Queſtembergio Fribergenſi Miſnico*, viro docto, & in aula Leonis X. æſtimato, vid. p. 214. *& ſeqq.* Ibidem & de *Joh. Argyropulo* græco aliqua memorantur, & Capnioni laus aſſeritur, quod inter primos fuerit, qui bibliothecas bonis libris, Hebraicis maxime & Græcis in Germania locupletaverint. Purioris Theologiæ primarium fundamentum, in articulo de juſtificatione, contra Scholaſtica dogmata cognitum habuiſſe autor aſſerit p. 220. Lutherus illum appellavit *organum conſilii divini omnibus puræ Theologiæ ſtudioſis exoptatiſſimum*, in literis menſ. Decembr. 1518. ad illum datis. vid. p. 223. & ſeq. In Wurtenbergico ducatu Capnio patronum & amicum inter alios habuit celebrem illum Chronicorum autorem *Johannem* Vergen ſive Vergenhauß, qui Latine *Nauclerus* dici voluit, Præpoſitum & Cancellarium Tubingenſem, quo curante Triumvir ad Suevici fœderis negotia aſſumtus fuit. Ea occaſione de fœdere illo commentatur Autor p. 227. *& ſeq.* *Joh. Strauchii* JCti *Jenenſis*, dein *Gieſſenſis* celeberrimi diſſertationem allegans, ſed cum aliqua cenſura. Quos vero libros, ampliſſimi muneris illius mole non deterritus ſcripſerit, ibid. p. 236. & ſeqq. legere licet, imprimis quam operam emendandæ verſioni Latinæ Bibliorum ex fontibus Hebraicis impendere cœperit, a *Munſtero* & aliis poſtea continuatam. p. 239. *& ſeqq.* Ut Eraſmi labores in Nov. Teſt. commodato egregio codice juverit, vide ſis p. 244; de libello de arte prædicandi in monaſterio *Denkendorfiano*

Prioris rogatu peſtis tempore compoſito p. 245. *& ſeqq.* Exhibet inde luculentam certaminis cum Colonienſibus enarrationem, adductis Eraſmi, Melanchthonis & aliorum teſtimoniis, ipſisque *Capnionis* epiſtolis & ſcriptis, & adverſarios ejus graphice depingit. p. 248. *& ſeqq.* p. 259. Dubitat num *Pepericornus* ille qui A. 1514. Halis Saxonum ſupplicio affectus ſit, idem fuerit qui Capnioni dicam ſcripſit, an alius; ſed alium fuiſſe recte jam tum animadvertit *Huttenus*, & ex epiſtolis Eraſmi demonſtravit nuper in hiſtoria de Lutheranismo ſupra laudata Dn. Seckendorfius *Add. p. 120.* Rationes, cur libros Judæorum & ſpeciatim Talmudicos ſervari voluerit, & ob quas easdem aboleri antagoniſtæ contenderint, compendio enarrantur p. 260. *& ſeqq.* Summa libri Pfefferkorniani (des Hand Spiegels) p. 282. & meliorum, qui ſub ejus nomine (illiteratus enim erat) ante litem illam, contra Judæorum religionem & pravitatem uſurariam Latine prodierunt, habetur p. 283. Contenta libri Reuchliniani des Augenſpiegels/ p. 297. *& ſeqq.* Scriptum Arnoldi Tungri, & carmen in hujus laudem *Ortuini Gratii*, in quo B. virgo *Jovis alma parens* dicitur, p. 315. *& ſeq.* Epiſtola Capnionis ad Jacob. *Wimphelingium* producitur, quæ inter editas non legitur, p. 390. Sententia Spiræ lata, qua Capnio abſolutus, Hochſtratus vero in expenſas condemnatus fuit, integra refertur p. 412. Relatio libri Capnionis de arte Cabaliſtica, & ut Hochſtratus illum & dialogum pro eo editum in cenſurâ vocaverit, *Petrus* autem *Galatinus* defenderit, traditur p. 443. *& ſeqq.* Proceſſus in hac cauſa hiſtoriam, & inſignem Hochſtrati perverſitatem, qui librum Capnionis Germanicum, *oculare ſpeculum*, Latine verti, ſed trecentis fere locis corrumpi fecerat, p. 466. p. 470. *& ſeqq.* Carmen *Eleutherii Byzeni*, quod Triumphus Capnionis inſcribitur, integrum extat p. 480. *& ſeqq.* Hutteni enim, cujus mentionem fecit Camerarius in vita Melanchthonis, nondum reperiiſſe ſe ait. Sed *Eleutherium* illum non alium eſſe quam Huttenum, & ſtyli conformitas oſtendit, & notavit olim *Conradus Geſnerus* in Bibliotheca; nec aliud colligi poſſe videtur ex *Hutteni* epiſtola ad Eraſmum, hujusque ad illum reſponſo Lib. VI. Epiſt. Eraſm. ep. 13. & 14. Luculentiſſime vero id teſtatur Eraſmus in Expoſtulatione ſua cum Hutteno, quam *ſpongiam* inſcri-

ſcripſit. Refert enim, carmen illud ab auctore Hutteno ſecum communicatum, ſuoque conſilio ad leniendam invidiam editionem biennio dilatam fuiſſe. Quapropter in nupero de Lutheraniſmo libro, illuſtris Dn. *Seckendorfius*, in additionibus ſupra allegatis p. 124. non dubitavit carmen illud *Hutteno* tribuere: quemadmodum & plura ad Capnionem pertinentia in doctiſſimo illo opere leguntur, notatu haud indigna. Tranſegerunt tandem A. 1520. adverſarii cum Capnione & ſumtus litis ei refuderunt, interventu *Franciſci Sickingii*, ut ex Pirckheimeri & Capnionis literis conſtat. vid. p. 509. & ſeqq. De bibliotheca Capnionis, quam patriæ ſuæ legavit, bellorum tamen injuria ablata perditaque non contemnenda narrantur p. 523. *& ſeqq.* Servata tamen ſunt quædam & in Bibliotheca Durlacenſi reperiuntur, inter quæ eminet *codex Biblicus Hebræus* in membrana ſcriptus, quo Fridericus III Cæſar Capnionem donaverat, incertæ quidem, ſed magnæ antiquitatis. *Maſoram* in eo artificioſe figuris animalium involutam inveniri notat autor, eaque occaſione Criticam *Richardi Simonis* perſtringit p. 532. Statuit tamen, hunc ipſum codicem notas, quas Simon commendat, habere, quia caret literarum differentiis & *Cheri & Chetib.* Targum *Onkelos* accentibus inſtructum eſſe memorat, & Danielem Prophetis minoribus ſubjungi, ſecus quam Judæi poſteriores faciunt, qui eum ad Hagiographorum claſſem transtulerunt. Alium etiam codicem Biblicum, qui itidem Capnionis fuit, Romæ emtum in bibliotheca Principis aſſervari tradit p. 536. Scriptus is eſt A. 1105. adeoque vetuſtiſſimos, quos Simon & alii allegant, antiquitate ſuperat. In eo Jonathanis Uſielidis paraphraſin Chaldaicam a libro Joſuæ incipere annotat, manifeſto ut ſcribit indicio, illud quod ſub Jonathanis nomine in Pentateuchũ circumfertur, ejo minime eſſe. Maſoram habere ait, ſed ſimplicem & nudam ſine animaliũ figuris. MS. alia Hebraica vel Hebraicis literis exarata quæ Capnionem poſſeſſorem habuerunt, deſcribit p. 537. interque eos precum librum, ex quo formulæ in Chriſtianos directæ, quas hodie in libris excuſis Judæi omittunt, ſuppleri poſſint; ſubjungit quædam de codicibus impreſſis p. 540. *& ſeqq.* Inter diſcipulos in Hebræa literatura facile præcipuum fuiſſe non inficiatur *Forſterum Auguſtanum*, poſtea Profeſſorem Wittenbergenſem, ad quem Capnionis epiſtola

A. 1521. data refertur p. 542. Reprehendit tamen in eo, quod de Rabbinorum libris nimis rigide judicaverit, & ab eis studiosos absterruerit; ex quibus tamen, maxime ex veteribus magnam utilitatem percipi posse non dubitat.

Aliud clarissimi Auctoris *de Animalibus in sacro cumprimis codice memoratis* opus, cujus pars prima jam anno 1686 prodiit, recensebimus, quamprimum fuerit absolutum.

ASTRO-METEOROLOGICA: OR APHORISMS and Discurses of the Bodies Cœlestial, their natures &c. sive

Aphorismi & Discursus de corporum cœlestium natura & influentiis &c. collecti ex Observationibus plusquam tricennalibus a I. Goad.

Londini apud Obad. Blagrave, 1686. in fol.

QUamvis ars illa, quæ ex astrorum positu divinationes de rebus futuris instituere solet, superioribus etiam temporibus habuerit, qui eam vanitatis & superstitionis insimularent; nostro tamen hoc ævo non tantum prædictionum, quæ de fortunis imperiorum & hominum singulorum agunt, futilitas luculenter ostensa fuit, sed & a summis viris, qui in ipsa Astrologiæ fundamenta inquirebant, eo deventum, ut omnem Astrorum, excepto Sole, in hæc inferiora influxum plane negarent. Id quod cum minus recte fieri censeret horum Aphorismorum auctor, per infelix mechanismi, quod hodie in Philosophia regnat, principium debitam creatoris cognitionem impediri ostendens; operæ pretium sibi facturus visus est, si tractatu hoc montes præjudiciorum, ut ait, removeret, atque ex ipsa experientia influxum corporum cœlestium contra negantes stabiliret. Dispescuit vero eundem in tres libros. In primo generalia quædam præmittuntur: omnia meteora esse effectus caloris & frigoris; aeris constitutionem serenam aut pluviam non dependere a ventis, sed ventos tantum ejusdem esse signa: dari quosdam dies ex quibus de temperie sequuturi temporis judicium ferri possit;

Solem

Solem non esse solam caloris causam, nec primum calidum: Lunam quoque gaudere influentia, quum Scriptura diserte lunaticos memoret, & reliquos quoque planetas eadem vi pollere: planetas calidos & humidos esse ☉, ♂, ☽, ☿, ♀, in quibus posterior prioribus semper calore cedat; frigidos & siccos ♄ & ♃; & Saturno hic primum competere locum: planetas differre materia, & in iisdem diversos hospitari spiritus, ita ut v. g. in ☉, forsan & ♂, mineræ sint sulphureæ, in ♀ & ♃ camphoræ aut nitri &c: radios Solis incidentes & reflexos a planetis modificari a varietate insiti spiritus; in prædictionibus novos Kepleri aspectus præter quincuncem & semisextilem non esse attendendos. Quibus ita expositis ad conjunctionem Solis cum Luna accedit & septennalium observationum diarium affert, ex quo deinde colligit, quodnam meteorum sub hoc aspectu fuerit frequentius, ut hinc regula aliqua possit exstrui; v. g. reperit 6 dies fulmine & tonitru horrendas; 19 trajectionibus notatas; 80 nebulis obscuras; 103 ventis turbidas; 134 pluviosas. Ex quo satis patere asserit, cœlum hoc sub aspectu non esse indifferens ad quamvis temperiem, provocatque omnes Astrologiæ adversarios, ut observationes contrarias proferant. Eadem methodo Solis & Lunæ Oppositionem, Quadraturas, Trigonos & Sextiles considerat, & ultimo tandem capite Lunares aspectus comparat, & quinam super certa meteora majus dominium obtineant, exponit. Secundus liber exhibet Conjunctiones ☌ cum ☿, ♀, ♂ & ♄, nec non Oppositionem, Quadrat. & Sextilem Solis & Martis: quibus succedunt Conjunctiones Martis, Jovis & Saturni cum ♀ & ☿. Tertium librum explicationi Conjunctionis superiorum Planetarum ♄♂, ♃♂, ♄♃, destinavit Auctor, qui ubique propriis observationibus alienas quoque admiscuit, partim ex historicis, partim & ex nauticis diariis excerptas, subinde quoque citans Kyriandrum & Keplerum, quem tamen non semel refellit, tum quod ipsi certis in locis nimis hæsitanter de aspectuum viribus locutus ille videtur, tum etiam quod partiles tantum respexit aspectus, quum platici sufficere censendi sint. Habere enim latitudinem aliquam in hoc negotio locum, nec effectus aspectuum præcise eodem die aut hora expectandos, quibus accidunt, sed in conjunctione ♄ & ♂ illum satis bene conjeciisse, cujus prædictio

intra

intra 30 aut 40 dies eventum sortiatur. Cæterum ut Lectoris tædium in libro Astrologico satis spisso perlegendo levaretur, subinde digressiones Physicæ instituuntur, & objectiones, quibus Vossius, Gassendus, Ricciolus & Dimerbroeck hypothesin Astrologorum impetunt, retunduntur. Uti vero sæpissime accidit, ut fervor ille, quo alios revocare nitimur in veritatis semitam, nos ipsos in alia extrema abripiat, ita simile quid hic Autori contigisse videtur, qui non tantum nebulas, pluvias, fulmina, irides halones & cætera meteora, sed etiam æstum marium, cometas, novas fixas, maculas solares, typhones, pluvias prodigiosas & monstrosos partus, ex astris deducere nititur. Siquidem & inundationes ex sideribus prædici posse adeo confidenter asserit, ut etiam putet, nihil consultius esse debere Statibus Hollandiæ, quam ut Lugduni Batavorum Astrologiæ Professor constituatur, qui huic negotio perpetuo invigilet (p. 466.). Verum hæc & alia paradoxa Physica, apud ipsum Autorem exquirenda, curioso lectori relinquimus.

ORIGINES BRITANNICÆ, OR THE Antiquities of the British Churches. i. e. Antiquitates Britannicarum Ecclesiarum; auctore Ed. Stillingfleet, SS. Th. D. Decano ad D. Pauli, & Regiæ Majestatis Sacellano ordinario.

Londini, impensis Henrici Mortlock, 1685, fol.

CUm antiquitates Scotorum sacras a fabulis purgare aggressus fuisset, (quem in Actis 1685. p. 120 laudavimus,) *Wilhelmus Lloyd* Episcopus Asaphensis; *Georgius Mackenzius*, eques auratus & advocatus regius in Scotia, Læsæ majestatis eum postulare ausus fuit, eo quod complures, qui vulgo inter Regiæ stirpis authores recensentur, non nisi in fabulis extitisse statuisset, qua de lite nonnulla diximus anno 1686. p. 317. Videns ergo doctissimus clarissimusque vir *Eduardus Stillingfleet*, se in plerisque *Lloydio ὁμόψηφον* esse, in prolixissima ac eruditissima *præfatione* ORIGINIBUS BRITANNICIS præmissa, cum Asaphopolitanum præsulem ab

horrendo hoc *ἐγκλήματι* defendendum, tum, ne similis dica sibi impingatur, præcavendum duxit. Contendit igitur, non meliori jure a Scotis Anglos ex hoc capite læsæ majestatis insimulari, quam Scotos istius criminis insimulare possent Hiberni, qui inde a *Gathelo* Japheti trinepote, catalogum regum suorum texunt, (prout de *Roderico O-Flaherty*, Ogygiæ authore, vel ex Actis anni 1686 p. 249 patuit,) cum Scoti Monarchiæ suæ initia non altius repetant, quam ab A. ante N. C. 330, quo *Fergusium* Ferchardi filium Hiberniæ regem consensu phylarcharum populique Scotici in regem suum electum fuisse tradunt. Quin hanc ipsam Scotorum traditionem Monarchomachis argumentum ministrasse observat, quo jus regium non nisi a populi aut optimatum consensu & arbitrio dependere concluserunt. Cæterum protestatur, nil a se oppugnari præter *Hectoris Boethii* fidem. Hunc tot Regum nomina, quorum in progonologiis *Alexandri* III, *Davidis* & *Kennethi*, (Johanni de Fordon in *Scotichronico* memoratis,) nec vola, nec vestigium comparet, ex proprio ingenio conficta, sub *Veremundi* & *Cornelii Hibernici*, autorum plane chimæricorum nomine, incautioribus obtrusisse. Hacque de causa nec *Buchanano*, nec *Leslæo* temere credendum esse, cum ille, ubi exterorum testimonia deficiunt, Hectorem cæco impetu sequatur, hic autem nonnisi ejusdem epitomator esse censeri queat. Quoniam vero ultimæ illæ antiquitates *Britonum*, *Francorum*, *Frisiorum* ac *Hispanorum*, a *Galfrido Monemuthensi*, *Hunibaldo*, *Suffrido Petri* & *Pseudo-Beroso* compositæ, impune hodie ac sine ulla in Principes injuria a quolibet confutentur aut contemnantur, iniquum esse arbitratur, liberum de Scoticarum rerum conditoribus judicium in Scotorum Monarchas injurium dici. Quamvis autem antiquitates illæ Scotorum monumentis *Druidarum*, veterumque *monachorum* annalibus, ac cumprimis autoritate *Veremundi Hispani*, Archidiaconi Sanandreani, (qui anno 1076. scripsisse fertur,) niti credantur, pernegat tamen Stillingfleetus, tum Druidas quicquam, nedum historias, scripto consignasse, tum annales vetustiores monasticos hodienum extare. At quia famosi illius *Libri Pasletensis* epitomen possidere se, *Mackenzius* gloriatus fuerat, merito obtestatur eum, ut illam luci publicæ ac criticorum examini propediem exponat. Hinc ex

instituto demonstrare nititur *vobeiav Veremundi*, qui eo quod *Fordono* & *Elphinstono* nusquam memoratur, horum ætate nondum extitisse putatur. Comparat illum cum viginti circiter historicis Scotorum vetustissimis *Dempstero* laudatis, quos nemini mortalium unquam conspectos fuisse, asserere nullus veretur Noster. His præmissis, cum cura expenduntur testimonia illa *Eumenii* & *Claudiani*, quibus Scoti probare solent, majores suos jam ante *Fergusii II.* tempora, in ea Britanniæ parte, quæ hodie Scotia vocitatur, fixam sedem ac patriam habuisse. Contra vero ex *Gildæ* locis non unis adstruitur, propriam eorum sedem fuisse in Hibernia, ex qua quandoque tantum in Britannias incursionem fecerint, ac expeditione confecta in Hiberniam suam redierint. Operose denique respondetur argumentis, queis Scotos jam seculo post N. C. III. sub rege *Donaldo* ad Christianam fidem conversos, *Palladiumque* ad Scotos non in *Hiberniam* sed in *Britanniam* a Cœlestino Papa missum fuisse, evincere allaboraverat *Mackenzius*.

Ipsæ BRITANNICÆ ORIGINES quintuplici capite absolvuntur. *Capite I.* id cumprimis agit Cl. Autor, ut veterem, de conversione Britonum ministerio Josephi Arimatheensis imperante Tiberio AVG. peracta, traditionem explodat. Urget hanc in rem *Gildæ* Sapientis, *Bedæ*, *Asserii*, *Mariani Scoti* silentium. Nomen *Gildæ Albanii*, quem traditionis testem laudat *Galfridus Monemuthensis*, merum Galfridi figmentum esse asseverat. *Epistolam Patricii* Hibernorum Apostoli (quæ in Gerardi *Vossii* Miscellaneis, Gregorio Thaumaturgo adjectis p. 239. & *Monastici* Anglicani vol. I. p. 11. legitur) suppositiam esse probat, quia *anno incarnationis Christi 430* scribere se videri cupit autor, cum tamen toto seculo post, æram istam invenerit Dionysius Exiguus, ac *Palladius* Patricii *antecessor*, *Basso* demum *ac Antiocho CoSS.* juxta Prosperum, hoc est A. D. 431. in Hiberniam missus fuerit. Accedere, quod *indulgentiarum* voce pro relaxatione satisfactionis pœnitentialis utatur, quo sensu vox isthæc seculo demum XI. accipi cœperit, fatentibus *Henschenio* & *Papebrochio*, Act. SS. Mart. XVII. vit. S. Patricii proleg. §. 10. n. 72. Qua occasione omnia ante seculi VII. finem data *Anglo-Saxonum diplomata* spuria esse evincit, imprimis istud, quo Ina rex anno 705 *Glastoniam* Ecclesiam *in regno Britanniæ esse*

esse primam, & *fontem* & *originem totius religionis* asserit, in *Monastici* Vol. I. f. 13. Imo ipsas traditionis circumstantias fraudem prodere Stillingfleetus notat, dum *ipse Dominus ecclesiam simul cum* cœmeterio *dedicasse* traditur, cum tamen mos cœmeteriis templa circumdandi isto ævo multo recentior sit, ac *Cuthbertus* Cantuariensis Archiep. anno demum 758 licentiam mortuos intra urbes sepeliendi a Rege impetrarit, id quod latius contra *Alfordum* & *Cressejum* probat. Negat Tiberii ætate extitisse *Arviragum* quenquam, multo minus hunc eundem esse cum *Arvirago* Domitiani coætaneo. Tacitum quippe illius mentionem injecturum fuisse, cum *Prasutagorum*, *Cogidunorum*, *Caractacorum*, *Togodumnorum* creberrime meminerit. Donatio igitur partis insulæ Avaloniæ ab Arvirago facta Josepho Arimatheensi, fabula est. Nihilominus loci aliqui *Clementis* Romani, *Eusebii*, *Gildæ γνησίω*, *Theodoreti*, &c. persuaserunt autori, Britanniam ipsa Apostolorum ætate, & quidem D. Pauli ministerio Christianam religionem amplexam fuisse. Paulo sane nec *otium*, nec *occasio* defuit, tempore utrique ejus captivitati interjecto, in Britannias excurrendi. Neque enim in Orientem se reversurum, prædixerat *Act. XX. 25. 38.*: quapropter ipsis Orientalibus credendum, toto illo temporis tractu annunciasse eum Evangelium *Septentrionalibus*, hoc est Hispanis, Gallis, Britannis. *Occasionem* ministrabant tum militum, civium, mercatorum Romanorum coloniæ, tum forsan monitum *Claudiæ Rufinæ*, aut etiam *Pomponiæ Græcinæ* A. Plautii Britannici Legati uxoris, quam a Paulo, cum prima vice vinculis Romanis teneretur, conversam conjicit, eo quod eopse anno *externæ superstitionis* postulata legatur apud *Tacitum*.

Capite II. ecclesias Britannicas ab Apostolis fundatas ipso adhuc seculo III. substitisse, *Tertulliani* ac *Origenis* testimoniis firmatur, *Luciique* gesta & conversio fuse ac erudite elucidantur. Stillingfleeti conjectura est, fuisse eum ex posteris hæredibusque *Cogiduni*, (quem in fidelitatis præmium Regis axiomate ac autoritate in parte quadam ipsius Romano-Britannicæ provinciæ frui Romani permiserant,) victoriæque legionis fulminatricis precibus obtentæ fama motum, ut Christianæ fidei ab Eleutherio Rom. Episcopo certior fieret, desideraſſe. Fata dein tam prospera quam adversa enarrantur, quorum isthæc sub Diocletiano, hæc sub Constan-

tino M. Britonum ecclesia subiit. Devenitur hac ratione ad *Concilium Arelatense*, cui interfuerunt tres Britannorum episcopi, *Eborius* nempe Eboracensis, *Restitutus* Londinensis & *Adelphius* ex *civitate Colonia Londinensium*, de qua hæc autoris conjectura notatu digna videtur: Quot, inquit, provinciis regnum aliquod constabat, tot episcopos ad concilia mittere solebat. Jam vero Britannia tum temporis (censente Nostro) triplici omnino provincia constabat, juxta Codicem MSC. Sexti Rufi. Cum igitur Eborius & Restitutus ex *Maxima Cæsarienſi* & *Britannia Prima* fuerint, probabile est, Adelphium fuisse ex *Britannia Secunda*, in qua duæ potissimum coloniæ eminebant. Harum altera *Colonia Divana* appellatur in numo Septimii Getæ, *Civitas Legionum* apud *Bedam* l. II. c. 2, vulgo *Chester*. Altera vocitabatur *Civitas Legionis ad Ysca*m. Et heic erat colonia ex *Legione secunda*. *Adelphius* itaque forsan venit *EX CIVIT. COL. LEG. II.* quod imperitis librariis facile fuit mutare in *EX CIVIT. COL. LONDIN.* Ipsi denique *Canones Arelatenses* recensentur, ac explicantur, eo quod ad normam horum, ut & deinceps *Nicænorum* & *Sardicensium* canonum, Britannicas illius ævi ecclesias compositas fuisse credat Autor.

Capite III. probabile esse putat, ad concilium Nicænum Britannorum quoque episcopos evocatos fuisse, cum Constantinus M. (*Eusebio* teste) ἀπάνταχοθεν episcopos congregare studuerit, quanto magis ex patria sua, Britannia; cumque & Arelatensi antea, & postea Sardicensi & Ariminensi interfuisse eos, in confesso sit. Enumerat deinde canones *viginti*, quos Nicæni PP. de disciplina ecclesiastica condiderunt. Majori vero studio dispicit de mente canonum *IV. V.* & *VI*, quorum ille electionem & consecrationem episcoporum, sola nominatione plebi relicta, episcopis vindicat; alter a synodis provincialibus, in casibus disciplinæ ecclesiasticæ ordinariis, ad judicium superius appellare vetat; hic denique de limitibus jurisdictionis ecclesiarum patriarchalium agit. Ex hoc *sexto* canone Stillingfleetus patriarchatum Romani Pontificis super universas Occidentis ecclesias metropolitanas impugnat. De sententia ejus mox prolixius agemus, ubi ad adversarii ejus Cl. *Emanuelis a Schelstrate* librum devenerimus. Sub capitis finem fatetur, concilio Sardicensi, quod Julio Rom. Episcopo, episcoporum causas jam

jam a concilio aut synodo auditas, iterato examinandi potestatem fecit, interfuisse Britannorum episcopos; monstrat tamen, illius autoritatem non esse magni momenti.

Orthodoxia veterum ecclesiarum Britannicarum *Capite IV* propugnatur. Subscripserant tres earum episcopi concilio Ariminensi, hocque nomine *Arianismi* suspicionem incurrerant. Stillingfleetus e contrario (præmissa accurata conciliorum Arianorum historia,) urget, eos initio Sirmiensi symbolo contradixisse, quamvis tandem egestate compulsi subscripserint. Ast uti constat, episcopos cujusvis ecclesiæ ab Arianis olim exilio multatos, mortuoque Constantio ad sedes suas reversos, operam dedisse, ut si non generalibus, particularibus saltem conciliis Nicænæ fidei sua restitueretur authoritas, quemadmodum e.g. Episcopos Gallicanos Parisiis convenisse, repudiatoque Ariminensi concilio Nicænam fidem iterum amplexos esse, ex Hilarii *fragmentis p. 431.* liquet: ita idem a Britonibus factitatum fuisse, Noster opinatur, cum Athanasius ad *Jovianum* AVG. scribens, itemque Hieronymus ac Chrysostomus laudent eorum cum cæteris ecclesiis circa Nicænam fidem consensum. Sed & *Pelagianismi* virus imbiberant Britanni, fraude potissimum *Agricolæ* Severiani F. Episcopi Pelagiani. Huic malo ut mederentur, ab Episcopis Gallicanis missi sunt, ad Britannorum preces, *Germanus Altissiodorensis* & *Lupus Trecensis*. Plane autem negat Noster, *Cœlestini* Papæ jussu id factum fuisse. Si enim eos, non A.D. 429. cum *Prospero*, sed A.D. 446. cum *Sigeberto* (apud *Sirmondum*) in Britanniam appulisse dicas, consequetur sane, contigisse id *Cœlestino* defuncto, utpote cui jam A.D. 432. *Xystus* successerat. Præterea Gallicani episcopi ac cum primis *Lupi* frater *Vincentius Lirinensis* Semipelagianismo favere Romæ credebantur, *Germanus* etiam cum Hilario Arelatensi, *Chelidonii* degradatione odium Cœlestini incurrerat; quis ergo crederet, Cœlestinum *Pelagianismi* extirpationem *Lupo* ac *Germano* injunxisse? Quamvis autem Prosper a secus sentientibus in contraria sententia fuisse dicatur, nullam tamen *Chronici* Prosperi editionem, præter *Pithœanam*, genuinam esse censet Autor, qui silentii coætaneorum utriusque, *Constantii* in vita S. Germani, & *autoris* vitæ S. Lupi majorem rationem, quam testimonii Prosperi habendam esse arbitratur. Quamprimum vero

Britannia discessissent Germanus & Lupus, novas turbas dedere Pelagiani. Rediit igitur Germanus, comite *Severo Trevirensi*, hæreseos eos convicit & ut ex edicto Valentiniani provincia pellerentur, effecit. Eo abhinc tempore Britonum Ecclesia, si Bedæ fides est, orthodoxa ac intemerata remansit. Obiter heic *Fastidius* Londinensis, cujus *de Vita Christiana* librum ex MSC. Holstenius edidit, contra *Henricum de Noris* a Pelagianismi suspicione vindicatur, ac de *Fausti Rejensis*, Britannia oriundi, fautoribus & censoribus disseritur. Scholæ publicæ, quas *Germanus* cum sociis in Britannia condidisse fertur, recensentur & cum aliis bonarum literarum seminariis, toto passim orbe Romano tunc florentibus conferuntur. Egregia denique lux affunditur Liturgiæ Gallicanæ, quam a S. Germano in Britonum ecclesias introductam a ritu Romano multum recedere, modernæ autem Anglorum Liturgiæ simillimam esse, observat Autor.

Capite V narraturus sequiora Britonum Christianorum fata, quæ eos *Pictorum* & *Scotorum* impetui cedere, novasque sedes in Aremorica quærere coegerunt, solertissime ante omnia antiquitates *Pictorum* & *Scotorum* investigandas atque illustrandas duxit. Refert dehinc *Maximi* de imperio Romano cum *Gratiano* & *Valentiniano* contentionem, quæ causa fuit, ut legiones Romanæ in Galliam deductæ locum fecerint Pictis & Scotis, qui, perrupto vallo, quod extraprovinciales Britones a provincialibus distinxerat, hos tantopere afflixerunt, ut auxilia *Saxonum* quærere necesse putarint. Subjungit origines Saxonum, illorum bella cum Britannorum hostibus, mox cum ipsis Britannis gesta, prolixiusque recenset, quæ de *Vortimero*, *Aurelio Ambrosio* & *Arturio* Britonum Regulis a veteribus recentioribusque tradita repererat. Nec parcius agit de *S. Davide*, aliisque viris sanctis Britannicæ illius temporis ecclesiæ antistitibus. Ac, ubi responsum a *Dinotho Bangorensi* Augustino Monacho datum, (de quo & Hammondum *Relationem* scripsisse, anno superiori p. 126. diximus,) curatius explicasset, & contra *Alfordi* ac *Cressæji* exceptiones vindicasset, finem imponit præstantissimo operi, de quo plura dicere operæ pretium fuisset, nisi ex *Autoris* ad Cl. *Dethlevum Cluverium* literis spes nobis facta fuisset, fore, ut Latina *Britannicarum Originum* aut *versio*, aut *epitome* propediem concinnetur edatur-

edaturque. Quod ut fiat, vires otiumque cordatissimo veræ antiquitatis vindici animitus apprecamur.

DISSERTATIO DE AUCTORITATE PAtriarchali & Metropolitica; adversus ea quæ scripsit Eduardus Stillingfleet Decanus Londinensis in libro de Originibus Britannicis: per Eman. a Schelstrate *S. T. D. C. L. & Biblioth. Vaticanæ Præfectum.*

Romæ, sumptibus Dominici Antonii Herculis 1687. 4.

CUm doctissimus clarissimusque Vir, *Emanuel a Schelstrate*, ea quæ in *Antiquitate Illustrata*, anno 1678. edita, pro Romani Pontificis in totum Occidentem Patriarchali potestate disputaverat, a *Decano Londinensi* impugnata esse accepisset, ab erudito quodam Anglo potiora *Originum Britannicarum* loca Pontificiorum placitis adversa, Latine verti curavit & hac dissertatione refellere studuit. Constat ea *capitibus* omnino *sex*, quorum priora *quatuor* origines Britannicæ Ecclesiæ & jura Patriarchatus super eas spectant. *Reliqua* Stillingfleeti pro suprema metropolitanorum authoritate argumenta refutare aut invertere nituntur.

Ecclesiam Britannicam a B. Petro ejusve successoribus institutam fuisse, *capite I.* confirmatur, non *Eusebii* tantum, *Johannis V.* Rom. Episcopi, *Kenulphi* Merciorum Regis & *Symeonis Metaphrastis* testimoniis, sed præprimis *Gildæ Sapientis* autoritate, exprobrantis Clero Britannico, quod *sedem Petri Apostoli immundis pedibus usurparet.* Agnoscit quidem autor, Paulum, dicente *Hieronymo*, prædicasse *in partibus occidentis*, & *a mari rubro, imo oceano usque ad oceanum cucurrisse.* Putat tamen, solam Hispaniam *partium occidentis* nomine Hieronymo venire, imo Clementi *epist. 1. ad Cor.* τέρμα τῆς δύσεως *terminum occidentis* salutari, dicendumque adeo esse, Paulum *a mari rubro, imo oceano Arabico illi adjacente, usque ad oceanum Hispaniæ adjacentem cucurrisse.* Venantium Fortunatum nihil probare, quia nimium probet, dum de Paulo canat:

Transit & Oceanum, vel qua facit insula portum,
Quasque Britannus habet terras, quasque ultima Thule.

Neque

Neque enim verosimile videri, penetrasse illum *Caledoniam*, quam Scotiam hodie vocant, aut Yslandiam, quæ Tacito *Thyle* vocitari creditur. Similem in modum cætera a Stillingfleeto objecta rejicit. Dixerat hic, Lucium legatos Romam misisse, quia, juxta *Irenæum*, esset civitas imperialis. At Schelstratenus Irenæum asserere contendit, *fideles omnes cum Romana fide* non ob civitatis, sed *ob ecclesiæ illius potentiorem principalitatem convenire debere.*

Ridiculum visum erat Stillingfleeto, quod autor *Antiquitatis illustratæ* jus patriarchatus Romani super totum occidentem, ex exercitio illius juris, & vicissim, ubi exempla exercitii in Galliis, Britanniis, aut remotioribus occidentis partibus desiderabantur, ex jure exercitium probasset. Respondet Schelstratenus *capite II*, hoc probandi genere se non usum esse contra hæreticos, sed contra *Petrum de Marca* aliosque, qui exercitium juris Patriarchici Romani in Galliis negant, ipso jure concesso. Contra hæreticos ursisse se perpetuam traditionem antiquorum, e quibus heic repetit *Augustini*, *Innocentiique* Rom. Pontificis testimonia. Dixerat *Innocentius*, epist. ad *Decentium* Eugubinum Episcopum, *in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam INSULASQUE INTERJACENTES*, (inter quas a Schelstrateno refertur Britannia, utpote Galliæ interjacens vel adjacens) *nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos Petrus aut ejus successores constituerint sacerdotes.* Pelagianos igitur jurisdictionem Rom. Episcopi in universas ecclesias agnoscere, nec harum origines aliunde arcessere debere, *ne, dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum omittere videantur.* Monet heic autor, ecclesias pro Paulinis non habendas, nisi quarum fundamenta Paulus fecerit, Rom. XV. 20. prout Romanos, Hispanos aliosque credidisse constat, antequam Paulus ad eas venisset scripsissetve; porro fidem majorem Innocentio habendam, quam Stillingfleeto annis 1270. recentiori, cui inspicere non licuerit antiquitatis monumenta, quæ in *scriniis* sedis Apostolicæ videre *potuerit* Innocentius. Connexionem dein inter institutionem & subjectionem ecclesiæ alicujus inde probat, quod ecclesia a nemine institui possit, nisi ab eo qui missus sit & jurisdictionem acceperit, Rom. X, 15. Matth. XXIIX. 18. 19. Sic Æthiopiam spectare ad sedem Alexandrinam, eo quod primus ejus episcopus Frumentius ab Athanasio ordinatus missusque fuisset. Licet vero a *Not-*

a *Notkero Balbulo* Lucius Rex Rhætiam & Bavariæ partem ad fidem convertisse dicatur, inde tamen (quod Stillingfleetus objecerat) haudquaquam consequi, Rhætiam Bavariamque subesse Metropolitano Anglicano, nisi ostendatur, Lucium ecclesiæ Anglicanæ authoritate missum fuisse, ordinasseque episcopos.

Britannicam ecclesiam, licet a Romana instituta non esset, huic tamen subesse posse ex vetusta consuetudine, cujus cum initium ignoretur, ab Apostolis provenire creditur, probatur *capite III.* exemplo Illyricanæ Ecclesiæ a D. Paulo institutæ, quam nihilominus Romano patriarchatui antiquitus usque ad Theodosii Junioris AUG. tempora subfuisse, ex Decretalibus Innocentii I, Cælestini I, Sixti III, & testimonio Theodosii Ecchinensis in synodo Romana sub Bonifacio II celebrata, (quæ universa Holstenius primitus e MSCC. edidit,) constare arbitratur clarissimus Autor. Censuerat equidem Stillingfleetus, præter jus & fas episcopos Romanos vindicasse sibi Illyrici imperium; quapropter Theodosius restituerit illud sedi CPlitanæ, lege A. 421 lata relataque in Codicem tum Theodos. *l. 45. de episc.* tum Justinianeum *l. 6. de SS. ecclesiis.* At notari jubet Schelstratenus verba legis, *Urbem CPlitanam Romæ veteris prærogativa lætari*, indeque colligit, Romam veterem prærogativa superioritatis in Illyricum gavisam esse, antequam prærogativa illa in urbem CPlitanam transferretur. Provocat dein ad epistolas duas ab Holstenio evulgatas, in quarum altera *Honorius* Imperator Occidentis *Theodosium* Orientis Imperatorem obtestatur, *ne sub principibus Christianis Romana perdat ecclesia, quod aliis imperatoribus non amisit*; in altera *Theodosius* rescribit: *Omni supplicantium episcoporum per Illyricum subreptione remota, statuimus observari, quod prisca Apostolica disciplina & canones veteres eloquuntur*; quibus verbis legem suam revocasse *Schelstrateno* videtur.

Vindicatur *capite IV.* titulus Rom. Episcopo Sylvestro in Synodica epistola PP. Arelatensium anno 314. tributus: QUI MAJORES DIOECESES TENES. Hinc enim Pontificii probant, authoritatem Pontifici Rom. competere non in *unam* Romanam, sed *plures*, imo universas occidentis diœceses. Contra vero Stillingfleetus, (nullis licet rationibus aut MSCtorum suffragiis allegatis) legerat: QUI MAJOREM DIOECESIN TENES. Dubitaran

etiam, an jam Concilii Arelatensis aut Nicæni tempore Romanus Orbis in diœceses distributus fuerit. Id quod graviter fert Schelstratenus, cum διοικησιν τε διοίκησιν καὶ πολιτικὴν commemoret Constantinus M. epist. ad omnes eccles. in Actis Nicænis extante. Præterea contendunt Romanenses, eosdem PP. Arelatenses Sylvestrum *superiorem* suum agnovisse, dum *canone I.* potestatem ei faciunt, ut, quo die pascha per omnem orbem celebrandum sit, singulis annis literis circularibus indiceret omnibus. Regesserat Stillingfleetus, hoc munus Sylvestro ademptum, ac Patriarchæ Alexandrino concreditum fuisse a PP. Nicænis. At Noster computationem diei paschalis abs solenni ejus in occidente indicatione distinguendam esse incusat, monetque Alexandrino illam, hanc Romano competiisse patriarchæ. Hanc in rem Leonis M. Innocentii I. & Cyrilli Alexandrini testimonia profert. Addit, *Victorem* jam sec. II. exercuisse autoritatem illam pontificiam, dum episcopis Asianis injunxit, ut de controversia paschali synodos haberent, ac a se dissentientes excommunicavit.

Statuerat Stillingfleetus, canonibus Nicænis IV. & V. synodis provincialibus supremum judicium de causis episcoporum, Metropolitano autem confirmationem eorum, quæ in unaquaque provincia geruntur, concedi, adeoque Nicænos PP. nullam potestatem Metropolitana majorem agnovisse. Negat id *capite V.* Schelstratenus cum ab episcopis Ægyptiis *Dionysii Alexandrini*, ab Aureliano Imperatore *Pauli Samosateni*, ab Eusebianis nondum schismaticis *Athanasii* causæ ad Rom. Episcopi tribunal delatæ fuerint. Canone VI. tribuitur Episcopo Alexandrino potestas supra Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, *quia Episcopo Romano PARILIS MOS sit.* Parilitatem hanc in eo consistere Stillingfleetus voluerat, quod uterque quidem pluribus provinciis præfuerit, neuter vero Metropolitanos sub se habuerit, adeoque gavisus fuerit potestate, quæ, si *extensionem* spectes, Patriarchica, si *exercitium*, Metropolitana dici mereatur quia Metropolitanis nondum constitutis, causæ plurium provinciarum ad patriarcham immediate delatæ fuerint. Observat contra Schelstratenus, subfuisse non tantum Patriarchæ Antiocheno, [qui in hoc canone Romano & Alexandrino episcopo comparatur,] *Metropolitanum Cæsareensem*, sed & Alexandrino Patriarchæ *Meletium* Thebaidis Archi-

Archiepiscopum vel *Metropolitanum*; unde *parili more* Metropolitanos quosdam Romano episcopo subordinatos fuisse, concludit.

Britannos nullam potestatem Metropolitana majorem ante Gregorii M. pontificatum agnovisse, collegerat Stillingfleetus ex *Dinothi* responso, *se cum confratribus, non Papæ, sed Episcopo Caerlegionensi parere. Factum* hoc negat *capite VI.* illius antagonista, & *MSCtum Spelmanni vobeíας* postulat, quia non probabile sit, Britannos talia respondisse, qui in conciliis Arelatensi & Sardicensi reverentius de sede Romana senserint, adeoque & Germano Antissiodorensi, Palladio, Patricioque a Romana sede missis lubenter paruerint. Unde nec *Pelagius* & *Cœlestius*, hæresiarchæ quidem, at Britanni tamen, ad tribunal Rom. Episcopi provocare veriti fuerint. Posita etiam *Facti* veritate, demonstrasse tamen Deum, illegitimum illud fuisse, dum, ut Augustinus monachus authoritatem suam miraculo confirmaret, indulserit.

Præmittuntur huic libro post epistolam dedicatoriam ad JACOBUM II. M. BRITANNIÆ REGEM, primo *præfatio* ad lectorem, in qua graviter indignatur Autor, *Ludovicum Ellies du Pin* Doctorem Sorbonicum, in *de Disciplina Ecclesiæ*, non Patriarchalem modo, sed & Metropoliticam potestatem impugnasse; porro *errores* (quos vocat autor) duodecim in hac dissertatione confutati & *veritates* totidem oppositæ; denique *alloquium* ad Lectorem de occasione & oeconomia dissertationis. Subjungitur *exhortatio* ad Anglicanæ ecclesiæ ministros, ut ad Romanam revertantur.

TOMUS II. MAGISTERII NATURÆ ET ARTIS,

Auctore P. Francisco Tertio De Lanis

Societatis Jesu, Brixiensi.

Brixiæ, apud J. M. Ricciardum, 1686, in folio.

TOmum I. præclari Operis recensuimus meritoque commendavimus in Actis his *anno 1685, mense Januar. p. 31.* In quo cum motus corporum universalissimi fuerint simul cum aliis physicæ generalissimis principiis expediti, in hoc altero tomo minus universales traduntur, non modo sensibus manifesti, sed etiam occulti,

ex quibus omnes quotquot nobis apparent naturæ operationes, magis proxime seu immediate dependent, & quidem ita, ut ipsa natura, sine eorum aliquo, immo pluribus simul nullum fere opus aut moliri queat, aut omnino perficere. Cujusmodi motus locales in duplici classe continentur. Una habet motus quosdam communes ad qualitates seu habitudines corporum naturalium minus proxime requisitos; veluti est motus subtilium particularum per poros aliorum corporum; insensibilis earundem particularum, seu tenuissimorum spirituum transpiratio; facilis aut difficilis unius cum altero adhæsio; motus occultus seu intestinus partium alicujus corporis intra ipsum corpus, & alii hujus generis plures: In altera classe illi motus sunt, ex quorum uno vel pluribus simul ipsi status seu qualitates, & habitudines corporum immediate resultant, vel saltim necessario dependent. Hæc igitur duplex motuum classis libris undecim pertractatur. Et *Libro primo* quidem cæteris omnibus præmittitur motus penetrationis seu permeationis per poros corporum, utpote non modo omnibus corporibus communis, verum etiam ad alias omnes motiones, & naturæ opera requisitus. Hunc sequitur *libro secundo* transpiratio effluviorum per poros, cum eadem, sive subtilissimæ corporum particulæ in alienos poros se nequeant insinuare, quin aliæ quædam in ipsis poris, quos subeunt, prius latitantes particulæ ab iisdem erumpant. Cum quibus motibus nominatis effluviorum, vel per poros se insinuantium, vel ex corporibus emanantium, maximam habet affinitatem motus partium internarum tenuissimarum insensibilis in unoquoque corpore. Ideo ei assignatus est *liber tertius*. Ab interno partium motu dependet immediate, & dici potest species quædam motus intestini, motus liquefactionis & coagulationis, qui traditur proinde sequenti *libro quarto*; & cum ille ipse rationem fluiditatis & consistentiæ in sua notione comprehendat, propterea prius explicat, in quo consistat, & a qua causa habeatur ipsum esse fluidum, & consistens sive solidum. *Liber quintus* exhibet motum pressionis & compressionis, quo corpora tum consistentia tum fluida premi dicuntur, cum aliquæ saltim partes corporis ob pulsionem, vel ictum seu percussionem locum mutant, & intra recedunt: comprimi autem ea appellantur, quæ circumquaque premuntur, & a vi aliqua ex-

extrinseca coarctata coguntur in minorem locum. *Liber sextus* exquitur motum, quo corpora compressa se restituunt in pristinum statum, seu compressorum dilatationem & vim elasticam. Alii motum libertatis vocant. Ab hoc motu simplici compressionis & dilatationis distincti sunt motus tensionis, & ei oppositus restitutionis, quo corpora prius violenter tensa se restituunt, seu reducunt ad pristinum statum. Conveniunt præcipue chordis, arcubus, aliisque simplicibus corporibus, vel saltim in his magis redduntur manifesti, ut ipsorum natura, modus, & causæ innotescant. Atque hoc argumentum est *libri septimi*. *Liber octavus* motum rarefactionis & condensationis declarat, quem adeo perplexum fecerunt non modo Peripatetici, verum etiam alii tum antiquioris, tum modernæ philosophiæ sectatores, quoniam ejus notionem talem animo conceperunt, qualis quidem intellectu fingi, rebus vero physicis accommodari minime potest. *Nonus liber* motum, qui in corporibus tam fluidis quam consistentibus tremor vocatur, seu trepidatio, & sæpe etiam in liquidis undulatio, quotiescunque in aquæ vel alterius fluidi superficiem cadit lapillus, aut aliud corpus, aut quoties ea digito, aut extremo baculo tangitur, etiamsi levissime, diligenter investigat, tum quod ex illo plurimi pendeant effectus rerum naturalium, præcipue omnium sonorum genera, circa quæ non modo peculiaris harmonicorum scientia versatur, verum etiam ea Physicæ scientiæ pars, quæ auditus organum, & auditionem ipsam contemplatur; tum quod Alphonsus Borellus in Libro *de vi Percussionis* satis jejune eum attigerit, & de fluidorum tremore prorsus siluerit; Daniel Bartolus autem, non ex professo, sed quantum ad sonum, quem explicandum sibi sumserat, attinebat, tractarit. Commodissime ergo subjungitur *Liber decimus* de Sono, tum directo, tum reflexo, sive Echo. *Undecimus* isque ultimus *liber* dispicit de adhærentia partium ad invicem in eodem corpore, & de resistentia discontinuationis. Cum enim in sequentibus post hos edendis libris, agendum sit de mutua diversorum corporum ad se invicem adhæsione, & de fuga unius corporis ab alio, quorum effectuum perfecta notitia obtineri nequit, nisi prius perspectum sit, in quo consistat mutua partium adhæsio in uno & eodem corpore, per quam ipsæ partes ita inter se connectuntur, ut divulsioni seu discontinuationi

resistant, operæ pretium duxit, hanc corporum communem proprietatem accurate considerare.

In omnibus Libris methodo accuratissima præmittuntur observationes & experimenta, partim a Boylio, Academicis Florentinis, aliisque accuratis observatoribus sumta, partim ab Auctore ipso majori circumspectione facta, partim ab ipso primum instituta. Deinde propositiones demonstrantur; tandem inventiones & artificia subjunguntur, tum quæ facta esse constat, tum quæ desiderantur, tum quæ ad majorem perfectionem evehi possunt.


Ex quamplurimis, quæ in hoc secundo Tomo occurrunt memorabilibus, duo excerpemus Auctoris inventa, ingeniosa, & si ita succedunt, admodum utilia.

Prius est Speculum ustorium ad fusionem metallorum aliorumque corporum ita fabrefactum, ut, quod vulgata specula ustoria non possunt, corpus liquatum in vase aliquo per aliquod tempus in infusione detineatur, aut calcinati pulveres vel cineres igne illo diutius urgeantur. Modus conficiendi describitur *fol. 149* his verbis:

TAB. I. Quinquaginta purissimi æris libris, viginti quinque stanni puri Anglicani libras admisceri jussimus, ut mixturam speculo parando aptam haberemus: Tum modulum ex optimo luto paravimus, qui figura præditus erat parabolica, non tamen integra, sed in apice truncata; ut cernere est in appositio schemate, cujus descriptio ita habet. Divisa linea AD in quotlibet partes æquales, v. g. in II. partes, ducatur ex puncto L primæ divisionis linea LG perpendicularis ipsi AD, & dividatur in alias similes partes æquales, quæ unitate excedant numerum partium AD; sitque LI una ex illis partibus. Deinde per singula puncta divisionis lineæ AD ducantur parallelæ ipsi GL; & facto centro in L foco parabolæ per singula puncta lineæ LG ducantur arcus, qui intersecent parallelas in B, K, M, N, P. &c. Tum per hæc puncta intersecationum ducatur linea curva BE, & habebis semiparabolam. Demum transferatur distantia LB, ex L in C, & DE, ex D in F, eodemque modo aliæ intermediæ, & ducatur alia curva CF, habebis parabolam integram; cujus vertex A, & focus seu locus unionis radiorum est punctum L. Ut igitur habeas tubum parabolicum, qualis est ST, perforatum in vertice T, ita ut focus sit

Fig. I. extra

TAB. I. ad A. 1688. pag. 38.



TAB. I



Fig. I.

extra tubum, auferatur pars QAR, reliqua enim parabola EQRF usui erit ad efformandum tubum; qui si radiis Solis obvertatur, illos omnes in puncto V coadunabit; adeoque percommodum erit in V, intra vasculum aliquod, vel catinum metallum, vel aliud corpus, quod liquari debet, detinere, & liquatum, quoties libuerit servare.

Nostri speculi, seu tubi metallici parabolici latitudo, seu major diameter EF, vel ZX, est unciarum pedis Romani 14. Minor vero diameter foraminis YH seu QR est unc. 4½. Neque enim augustius foramen illud fieri potest, nisi velimus tubum nimis longum efficere, quod præter impensas majores, & majus machinæ pondus, non levem in ejus fabrica & elaboratione difficultatem induceret. Quare moderata longitudo esse debet, dummodo oris superioris latitudo ZX abunde compenset latitudinem foraminis inferioris YH.

Solari hoc igne speculis metallicis vel lentibus vitreis ustoriis comparato nonnulla corpora liquantur, quæ igne usuali fusionem pati nequeunt, & plures ab illo igne effectus producuntur sane admirabiles, quos ab igne lignorum frustra exspectaveris.

Recordabitur hic Benevolus Lector novi Speculi ustorii, cujus mirabiles effectus recensuimus A. præterlapso 1687, mens. Jan. p. 52.

Posterius Artificium docet fabricare machinam, ad incendia etiam in altissimis tectis ardentibus restinguenda. Structura describitur *fol. 201. seq.* Fig. II

Disponantur antliæ, quot numero volueris, A, B, C, D, ita ut earum tubus secundarius NG desinat in arcam GH omnino clausam. Antliæ hujusmodi pressoriæ habere debent assarium, seu platismatium N in fundo tubi principalis AN, sursum aperibile, dum sursum elevatur embolus ipsi tubo AN [illegible] ferius. Præterea aliud fer assarium in G, ubi secundarius tubus NG terminatur intra arcam: demum arcæ aptetur tubus LM pertingens fere usque ad fundum ejusdem arcæ. Antliæ erunt aquæ immersæ, cui etiam immergi poterit ipsa arca saltem usque ad certum signum. Tum agitabuntur antliæ mediante axe EAF diversimode in tot partes inflexo, quot sunt ipsæ antliæ; sic enim fiet, ut dum una deprimitur, alia elevetur, & propterea aqua continuo adscendat per tubulum LM ad summas usque turres.

Pha-

PHÆNOMENA MEDICA SINGULARI intuitu recensa a Carolo Comite de Caballis Nob. Veronensi Equite, & Personæ Principis Castilionis Medico.

Venetiis, 1686, typis Stephani Curtii. in 12.

CUm Ars nostra Medica experimentis unice nitatur, conservetur, augeatur ac exornetur, nemo est, qui de ea præclarius mereri queat, quam si observationes suas eo spectantes luci exponat publicæ. Nec desunt his temporibus, quorum industria vel Anatomiæ secretiora pandit, vel minutias corporum alias invisibiles juvante microscopiorum usu detegit, vel in exploranda multiplici Chemiæ facultate omnem omnino lapidem commovet, vel denique eo allaborat manibus pedibusque, quo rerum naturalium cognitio magis magisque amplificetur. Nihilo inferiores sunt, qui ad imitationem Divi Hippocratis, operas suas in conscribendis ægrorum historiis collocant, qui morborum occasiones atque initia, differentias ac mutationes, curam eventumque prout obviam veniunt, colligere diligenter, candideque communicare non verentur.

Hoc nomine inter alios non parum nobis arridet Nob. Caroli de Caballis labor, ad recensenda phænomena Medica destinatus: nec dubitamus, quin debitam impetraturus sit gratiam apud omnes, quibus Medica Praxis cordi est. Etenim non quævis promiscue coacervare voluit, sed ea saltim seligere, quæ rariora & notatu digniora ipsi visa sunt; itaque centum præcise hoc libro [illegible] observationes, adjectis sub finem aliquot consulta-

continentur obici[illegible] [illegible] plura ex

tionibus, itidem non contemnendis. Quanquam vero plura ex iis commemorari possint, e. gr. Epilepsia per decem annos durans, a lumbrico intestinorum, lato binos digitos, ac sedecim cubitos longo: palpitatio cordis, ab adstantibus audienda, sumto antimoniali emetico sublata: cæcitas in lue venerea per usum decocti helleborini & geajaci ligni curata intra 40 dies: cancer sinistræ mammæ feliciter sanatus per sectionem atque ustionem, eamque repetitam post hæmorrhagiam insignem: portio funiculi, ad longi-

longitudinem septem transversorum digitorum, e vesica urinaria Capucini cujusdam extracta per lithotomum, &c. Unicum hoc satis erit, quod in phænom. 6. retulit. Videlicet virgo erat annorum 20, furore uterino cum frequentibus nocturnis pollutionibus vexata crebrius, quæ tandem more somnambulorum surgebat dormiens, ac tota fere nocte circumvaga, eadem sedulitate cuncta exequebatur, quæ diurnis horis destinata noverat. Interdiu quæsita, nihil eorum omnium recordari potuit, quæ tum egerat. Accidit autē ut in furore constituta quævis obvia, ac inter illa forficem majorem in uteri vaginā violenter intruderet, seq; hac ipsa sauciaret satis periculose. Nihilominus & hujo facti adeo fuit nescia, ut nec ullum læsionis sensum aut cognitionem habuerit prius, quam sanguis ad syncopen usq; profusus esset. Consolidatum postea vulnus est, laminæq; plumbeæ juxta Galeni præceptum, lumbis impositæ fuerunt ad coercendam libidinem, atque ab eo tempore ad hanc usque diem per plures annos vivit incolumis.

MEMORIE HISTORICHE E GEOGRAFICHE della Dalmazia, raccolte da D. Casimiro Freschot, Benedettino. In Bologna 1687. 12. i. e.

Memoranda Dalmatiæ Historica & Geographica, collecta a D. Casimiro Freschot Benedictino.

Bononiæ apud Jacobum Bonti, 1687, & *Lipsiæ* idiomate Germanico, aupd Gleditschium. 1688. in 12.

CUm DALMATIA, prosperis serenissimæ Reip. Venetæ contra Turcos successibus nobilitata, in omnium tantum non ore versetur, præsens libellus, qui vel ob eam causam Actis nostris inseratur, non indignus visus est. Duabus autem partibus absolvitur. In *priori* de Dalmatia in genere agit Autor, & Bojana fluvio Orientem, Croatia Occidentem, Bosnia Septentrionem, & sinu Adriatico Meridiem versus, pro hodiernis finibus assignatis, populi originem a *Liburnis & Illyricis* repetit, quorum illi Croatiam maritimam cum aliqua Dalmatiæ parte, Zaram usque tenentes, ab arte piratica (unde & navibus prædatoriis *Liburnicarum* nomen adaptatum) famam

meruerunt, domi contra adeo rigidi hospitalitatis observatores, ut ædes advenæ ingressuro occlusas incendio addicerent. *Illyrici* ab *Illyrico* Cadmi filio has partes depopulato nomen adepti; inter cujus successores *Bardileus* quidam Macedoniam vicinam subjugavit, a Philippo vero victus Alexandro M. demum mortuo libertatem recuperavit, ipsis Liburnis sibi subjectis. Romani deinde, quibus ulterior piratarum istorum, in Peloponnesum usque progredientium tolerantia, publicæ securitati repugnare videbatur, *Teutha* regia & bellicosa *Agronis* vidua debellata, Illyricum in provinciam redegerunt. Hinc *Dalmatæ* castelli Bosnienſis incolæ, cum aliis vicinis conjuratione facta, integræ regioni adversus Romanos insurgenti *Dalmatiæ* nomen dederunt. A Marco Figulo vero primum, & postea a Cæsare, Augusto, & Tiberio domita, itidem provinciæ statum usque ad A. C. 220 retinuit; ubi sub Heraclio gens Scandinavica a Dravo fluvio usque ad mare sede fixa, toti isti tractui *Slavoniæ*, hoc est regionis gloriosæ, sibique *Slavorum* appellationem imposuit, quæ vero, eadem gente ab aliis Europæ nationibus, frequentiori excursionum ejus molestia lacessitis, devicta, cum captivos ob multitudinem vendi opus esset, in opprobrium abiit. *Gothi* deinde a Zenone, Herulorum Italia ejiciendorum ergo, ex Thracia evocati, in transitu Slavoniam & Dalmatiam sui juris fecerunt, quibus tandem a *Croatis*, gente septentrionali, duce *Porino*, exterminatis, *Croatiæ* & *Dalmatiæ septentrionalis* regnum fundari cœpit, a qua *Dalmatia meridionalis*, *Servia* quoque dicta, rationes separatas habuit. Hujus posterioris Reges ab *Ostroillo* eam occupante, usque ad *Stephanum Thomam*, LXI enumerantur; sub quorum X. *Sunimiro*, a *Constantino* quodam *Cyrillo* Constantinopolitano, Bulgarorum & Dalmatarum conversio suscepta est, traducta in linguam gentis Scriptura Sacra, cujus usus adhuc supereſt, & fundatis à Pontifice *Salonæ* & *Dioclææ* Archiepiscopatibus cum suffraganeis suis, ipsoque regno in varias *Zupanias* & *Banatus* diviso. Dum inter alios *Pridislaus* ob ebrietatem, libidines, crudelitatem & injustitiam occisus commemoratur, non potest non verissima laudari Autoris epicrisis, *execrandam semper esse subditorum feloniam, ipsisque, ut Principibus manus injiciant, nulla ratione permitti*, statuentis; cum contrariæ sententiæ sautores inter Pontificios non deficiant.

Divinæ

Divinæ etiam, quæ in filium ingratum se exeruit, Nemesis exemplum in *Ciaslao* observari meretur, qui patrem *Radoslaum* I. regno exuit, sed cum *Uladislaum* dynastam Hungariæ (a quo propter patrocinium *Ticomil* cuidam, ob canem, quem Hungarus in delitiis habuerat, interfectum ad se profugo, præstitum invasus fuerat) occidisset, ab ejusdem vidua, dum venationi operam dat, captus & naribus auribusque abscissis in fluento suffocatus, justæ licet, qualis defensio innocentis exulis erat, causæ occasione, dignas violatæ reverentiæ pœnas dedit. *Dobroslai* I. e contrario, contra Græcos (his regnis multum subinde negotii facessentes) fortiter pugnantis filium, parenti, quem pro hoste habitum & ex equo dejectum acinace jam percusserat, lethalem ictum inflicturum, misericordiam Dei invocantis, & sic ex voce agniti clamor, ne paterno sanguine manus fœdaret, retraxit, loco isti in memoriam nomine *misericordiæ Dei* relicto. *Urosius* II pietatis, quam 48 monasteriorum fundatione acquisiverat, laudem, parum decora circa 4 conjugum repudiationem levitate obscuravit, & conciliata uxoris quintæ Imp. Constantinopolitani filiæ, nondum viri potentis, per præcocem copulam sterilitate, in pœnam incontinentiæ, cum tenerrime eam amaret, virgineum conjugium cum ipsa transigere constituit. Circa posteriores Reges & illud singulare annotatum reperitur, quod cognomen *Stephani* a *Neeman* II, in coronatione per Pontificis legatum peracta susceptum, a successoribus, haud secus ac Cæsarum titulus ab Imperatoribus, adhibitum fuerit. Turbæ tandem inter eos & Hungariæ Reges obortæ, Turcorumque in istas partes penetrantium invasiones, statu regio sublato, & Beglerbego ibi constituto, præsentem regiminis formam induxerunt. Eodem modo & historiam de Regibus & regno *Dalmatiæ septentrionalis* & *Croatiæ*, Autor persequitur, quæ Ducibus primum (sub quorum secundo *Porga* Christianismus ibi invaluit) usque ad *Dircislaum*, qui primus Regis titulum sibi arrogavit, & Regibus hunc subsecutis paruit. Donec occasione matrimonii à *Zuonimiro* seu Demetrio cum sorore S. *Ladislai* contracti, cum hic sorori, post mariti obitum, à filio ejus naturali non minus, quam diversis procis inquietatæ opitulatus, successionem obtinuisset, Reges *Hungariæ* Croatiam & Dalmatiam sibi asseruerunt. His omnibus variarum, quibus *urbes maritimæ*,

 inter

inter quas *Zara*, *Traù*, *Spalatro*, & *Sebenico* eminent, expositæ fuerint, mutationum, & quomodo mox Græcorum, Hungarorum, mox & Venetorum imperium aliquoties, prout hi vel isti propitio Marte uterentur, agnoverint, succincta enarratio subtexitur.

In *Parte* II. brevi *Morlachorum*, (quibus a *nigredine cutis* id nominis obtigit) inter Istriam & Dalmatiam montosum sterilemque tractum incolentium, fortitudine militari vero nulli genti secundorum descriptione præmissa, aliqualis extantiorum urbium aliorumque locorum delineatio exhibetur. Inter illas *Tersatica* seu *Tersats* ab ædicula Mariæ Lauretanæ, quæ Nazaretho ab Angelis eo transportata aliquandiu ibi hæserit, celebratur. Familiæ *Frangipanæ* in Francisco Christophoro, ob crimen in Glorioſissimum Imperatorem commissum punito, extinctæ filiis natu minimis Marchionũ de Tersats titulus olim proprius fuit; ad quam & fortalitium *Prundel* pertinuit. Exigui *Uscochorum* (ab agilitate corporis, & familiari ex præcipitio in præcipitium saltu nomen habentium) tractus urbs primaria & Episcopalis *Segna*, arce & portu munita, Imperatoris jurisdictionem suspicit, variis ob piraticos vivendi mores motibus, inter Cæsarem & Venetos exortis memorabilis. *Zara* Dalmatiæ metropolis, *Jadera* Latine, mari undiquaque cincta octoque cohortium pedestrium triumque equestrium præsidio instructa, ordinariam Generali Veneto sedem præbet. *Sebenicum* non minus ob antiquitatem suam, a 550 annis ante Chr. nat. accersitam, quam trinam Turcorum obsidionem fortiter repressam, haud postremum locum sibi vendicat. Nec *Traù*, Latine *Tragurium*, ob fragmentum *Petronii* de Cœna Trimalcionis ibi repertum, (in cujus veritatem & falsitatem jam ab eruditis inquisitum esse, Ephemerides Erud. Gall. anno 1666. d. 12. Apr. docent) præterire fas est; maxime cum & eruditum illum *Joh. Lucium* orbi dederit, ex cujus Opere historico de Dalmatia & Croatia VI. Libb. comprehenso, & Amstelodami in folio, ut loquuntur, anno 1668 edito, multa se hausisse, distinctamque ejus de hac urbe historiam, una cum omnibus Inscriptionibus Romanis in regionibus istis superstitibus, exstare Autor innuit. *Salonam* primorum regum Illyrici sedem, hodie plane destructam, & A. 1684. Turcis ereptam, doctrina Christiana a *Tito* ibi disseminata, & a Domnio Petri discipulo ulterius excolta, celebrem reddit.

Habe-

Habetur a nonnullis pro Diocletiani patria, quam *Diocleam* potius fuisse Autor contendit, licet Salonam sæpius a se visitatam Imperator iste in sedem quietis suæ, imperio abdicato, elegerit, ob sapidissimas cumprimis truttas, quarum, canali ex fluvio Salona in palatium deducto, recentem semper copiam habuit. *Spalatum*, superbum olim Diocletiani palatium, portu mercibus ex Italia in Turciam, & vice versa, exportandis commodissimo gaudet. *Narenta*, piratarum domicilium, a quibus mercatores Veneti per 170. annos liberum transitum certo pretio redimere coacti fuerunt, jam Ciceronis tempore, uti ex Vatinii literis L. V. Epp. fam. ad eum datis patet, potentissima fuit. *Ragusam* ab Epidauri destructæ incolis, scopulo in mare procurrenti & *Laù* dicto (unde *Laufium* ab initio audiit) superstructam Veneti, quibus addicta erat, Ludovico Hungariæ Regi consignarunt. Sigismundi vero infelicitate elatiores facti Ragusini, in plenam libertatem se vindicarunt, eandemque ab anno 1416, annuo 12000 ducatorum tributo intercedente, a Turcis pacti, commerciorum per terras Turcicas immunitatem, cum libero in 10. quas ibi habent, coloniis religionis exercitio, aliisque privilegiis obtinuerunt. *Budoa*, Latine Butua, jurisdictionis Venetæ in Dalmatia terminus, Turcorum insultus A. 1686 feliciter elisit. Notantur *Sansonis* tabulæ Geographicæ, quæ pro una eademque Budoa duas, unam juxta mare, alteram ad fluvium Bojana, collocant; & *Ortelius*, qui *Risano* sub *Rhizo* & *Rhizanæ* geminaverit, *Sanſone* idem faciente cum *Roxa* & *Risino*. *Dolcigno* Latine *Olchinium*, nulla alia re, quam piratarum hodie quoque mare infestantium receptaculo, clara est. *Scutari* olim *Scodra*, cum 1600. solum præsidiariorum opera A. 1474. & 1478. gravissimas duas obsidiones a 50000. Turcis sustinuisset, præsidio ad 400. redacto, in eorum potestatem, deditione facta, tandem concessit. Insulas denique aliquas circa Dalmatiam sitas recensет Autor, in quarum una *Cursola*, Plinii *Corcyra Melæna*, animal sylvestre cani simile, quod felis vocem imitans incautos viatores devorare soleat, illa Physicorum *Hyæna* esse creditur. Hæc & hujus generis alia B. L. qui prolixi, quod supra laudatus *Lucius* prodidit, operis copiam forte non haben, tquodammodo sufficere poterunt, donec adhuc aliæ duæ partes,

quarum altera *Albaniæ* & *Epiri*, altera *Græciæ* notitiam subministrabit, à *Freschoto* expectandæ subsequantur.

JO. LUDOVICI PRASCHII ORGANON Latinæ Linguæ.

Ratisbonæ, apud Joh. Georgium Hoffmannum, Anno 1686, in 8.

ANnus jam est cum dimidio, ex quo Cl. Praschii dissertationem *de origine Germanica Latinæ Linguæ* ad Acta nostra retulimus, Calendis nempe Junii A. 1686, p. 325. seqq. In ea, cum stabiliendæ sententiæ suæ ergo *Onomasticon Latino-Germanicum* se editurum promisisset, promissi istius memor eodem anno, hoc est 1686, quo dissertationem dictam ediderat, etiam *Organon Latinæ Linguæ* in publicum submisit, hoc est, *novam eamque perspicuam Didacticam, qua pure Latina Lingua (una cum bonis moribus atque scientiis) justo ordine, ab initio ad summum usque fastigium doceri addiscique queat, idque facile & citra temporis sumtuumque jacturam, imo cum voluptate & per ludum quasi, absque adminiculo Vestibuli, Januæ, aliorumque omnium novorum librorum, una cum subsidiis eam in rem necessariis, vel triplici opusculo.* Huic Organo præmisit præfationem ad Lectorem: illi subjunxit methodum, cujus ope juventus non tantum sueto celerius, sed & cum lubentia animi & veluti per ludum Latinitatis optimæ compos reddi queat; in quo discursu quatuor illi Legionis Romanæ ordines, velites, hastati, principes & triarii, non insicite ad discipulos erudiendos applicantur. His præmissis *Onomasticon duplex* exhibet, nec non *Thesaurum Onomasticum* pro diligentioribus. Primum *Onomasticon Germanico-Latinum* nihil aliud est, quam Catalogus vocum latinarum plusquam octingentarum, quæ cum Germanicis evidenter conveniunt; cui & ipsi præfixum est præloquium, in quo non minus, quam in dissertatione præmemorata, adductis vocum exemplis non paucis, adstruit, Latina vocabula maximam partem non aliunde, quam ex Germanica vetere vel Celtica fuisse enata, vel, ut clausula præloquii hujus habet, Germanicam linguam Solis, Latinamque Lunæ instar se habere. *Onomasticon alterum*, quod *Latinum* inscribit CL. Praschius, est

est consignatio vocum Latinarum maxime necessariarum, quæ cum Germanicis non, vel minus evidenter conveniunt. In hoc recensentur primo Nomina substantiva, ita quidem, ut in hoc quoque Onomastico, uti in antegresso, vocabula Germanica (nam a notiori incipiendum esse contendit) præponantur; II. Nomina adjectiva; III Verba; IV Adverbia cum nonnullis corollariis. Omittuntur autem in hoc Onomastico verba figurata (vel non pure latina) minus usitata, aliis conjuncta, composita & decomposita, ut & derivata. *Thesaurus Onomasticus*, qui onomastico duplici annexus est, complectitur vocabula conjuncta, eaque sententiosa, imo phrases integras & locutiones de rebus omnibus in hoc universo contentis, ex probatissimis autoribus, & maxime quidem ex vocabulario Analytico Lavignano. Nam superatis duobus, ut vocat gradibus, ad tertium hunc, vel, ut alias loquimur, a simplicibus ad composita deducere discentes satagit. Sed ne sic quidem satis consultum discentibus esse vidit Vir, uti boni publici studiosissimus, ita & oculatissimus. Itaque non considerationem tantum *Vestibuli Comeniani* instituit, & *Errores Grammaticæ* in Gymnasio Ratisbonensi hactenus tractatæ tractatulis publicis castigavit, sed & *novam Latinam Grammaticam* vernaculo sermone conscripsit, eamque partem hujusdem organi Latinæ Linguæ esse voluit. Divisit hanc, in duas partes, *Theoriam* videlicet & *Praxin Grammaticæ*. In hac omnia tractavit ἐρωτηματικῶς, interrogantis partes præceptori, respondentis discipulo injungens. Grammaticam excipiunt *Primordia Latini sermonis*, quæ Latinitatem modo magis perfecto, quam *Thesaurus Onomasticus* exprimunt. Exhibent autem ista Catonis præcepta vitæ communis, ejusdemque disticha, Germanice & ipsa reddita, uti præcepta anteriora, Mimos Publianos, vel Ciceronis sententias cum aliquot similitudinibus, fabellis, historiolis, apophthegmatis, unaque oratiuncula & dialogo. De cætero ne Organo huic deesse quicquam videri queat, adjecta est in fine *Appendix de progressibus & complemento Latini sermonis*. Nam fundamento probe jacto, omnino aliquid superstruendum erat. In hac autem tria ad complementum illud impetrandum requiri innuit, ac primum quidem, ut Grammatice recta & absoluta sit oratio, deinde puram, elegantem, & æquabilem styli formam assumat, deni-

denique ut eloquentiæ capiat fastigium; commendatque ad primum consequendum, præ novis prolixisque Grammaticorum libris Phocæ artem de nomine & verbo, & Donati editionem secundam; ad II Rhetoricam ad Herennium, quippe ex qua & principia styli, & stylus ipse, & fundamenta artis oratoriæ addisci queant; ad III, lectionem primum Curtii, dein Ciceronis librorum Rhetoricorum, & Quintiliani, & denique Terentii, Nepotis, Suetonii, Velleji, & Livii; quæ consilia idem Autor repetit defenditque *in Expositione Rationum, quibus Organon Latinæ linguæ nititur* &c. Ratisbonæ superiore anno 1687. edita.

* * *
* *

Dum hæc, Lector Benevole, *de Organo linguæ Latinæ Praschiano prelis subjicimus, iis inservitura præcipue, qui scholis moderantur; nuncius ad nos perfertur de obitu clarissimorum Saxoniæ nostræ Duum virorum, eodem mense terris ereptorum, qui in pulvere scholastico ætatem egerunt, sed ita, ut scriptis in lucem editis memoriam sui litterato orbi sint relicturi. Eorum alter* Christianus Daumius *est, Zuiccavienſis; alter* Fridericus Hildebrandus, *Martisburgensis gymnasiorum Rectores: quorum ille anno ætatis septuagesimo quinto, die 15 Decembris superioris anni; hic ætatis anno supra sexagesimum primo, sexto post die, 21 nempe Decembris, mortem cum vita commutarunt.*

LE BON USAGE DU THE', DU CAFFE' ET DU Chocolat, pour la preservation, & pour la gueriſon des maladies, par Mr. de Blegny, Conſeiller, Medecin &c.

Optimus usus potus Theæ, Caffæ, & Chocolatæ, ad præservationem & curationem morborum.

Autore Dn. de Blegny.

Parisiis, apud Autorem &c. 1687, in 12.

QUod paucis abhinc lustris delicatiorum gulas demulsit potus genus, variorum scriptorum calamum exercuit hactenus. Et videbantur a mercatore illo Lugdunensi *du Four*, tot annorum usu com-

comprobatæ relationes omnem ejus exhausisse notitiam. Nihilominus clarissimus in abditis rerum causis evisceradis Autor *de Blegny*, suo quoque non indignum existimavit studio, verum Theæ, Caffé & Chocolatæ usum scrutari. Prima libri pars impenditur *Theæ*, ejusque caput primum diversam ejus faciem, natales, & nomina describit. Ibi imprimis recenseri meretur observatio, Theam in simplici infuso crapulam excutere solitam; ubi vero ex illa & hordeo cerevisia paratur, insigniter inebriare. Enarratis deinde ejus differentiis, & hinc diverso pretio, in illius naturam inquirit. Supponit igitur, corpora mixta ex corpusculis acidis, liquidis, igneis, æthereis & terrestribus, tanquam elementis, componi. Inter hæc cum sola acida linguam feriant, ab his pendere concludit omnem in mixtis observabilem amaritiem. Hæc vero terrestribus combinata in Thea & amaritudinem, & adstringentem saporem, imo & virtutem præstant. Quibus igneas particulas conjungi, adeoque Theam spiritus excitare, & vires reparare, odor aromaticus, & siccitas herbæ docet. Post præparandi & assumendi usus varios, aquæ ejus cum cardamomo & ambra destillatæ, salium essentialium & fixorum, syruporum, conservæ, & extracti exinde paratorum præstantiam laudat. Imo fumum ejus per fistulam nicotianæ loco haustam cerebrum roborare, quam illa labefactet, celebrat. Somnum vero orificium ventriculi superius adstringendo, vaporumq; nervos ligantium ascensum cohibendo, & spirituum pariter jacturam restaurando, excutere, variisque morbis mederi ipsi videtur; unde etiam diversos in diversis malis illa utendi modos adjecit. Imprimis vero Syrupi cujusdam antifebrilis ex Thea, Caffé & Cacao compositi, in febrium medela efficaciam insignem deprædicat. Quibus *Leeuwenhoekii* febrem pariter Theæ potu profligantis, observationem (van de eyerstock pag. 17) confirmat. Optandum vero fuisset, ut cum regimine, quo syrupus & tabulæ, eundem in finem paratæ, assumi cum *εὐφορία* possunt, & præparandi modum publici commodi causa adjecisset.

Secunda libri pars *Caffé* considerat, ostensaque pariter ejus diversa nomenclatura, Arabiæ felicis, & agrorum circa Mecham plantam, fabæque Indicæ speciem esse contendit. Particulis illa constat acidis, propter amaritiem: pluribus vero terrestribus ob

pondus; pariter æthereis, quod cocta cum lacte ejus particulis butyrosis uniatur, sine illarum a serosis præcipitatione. Hinc quibusnam conveniat, operosius deducit; iisque fabas minus albentes, saporis vero & odoris fragrantioris commendat, & postquam mercatorum pisa flava, imprimis Hispanica cum Caffé commiscentium detexit technas, torrefactionis & comminutionis convenientioris vulgaribus modum, potus opportuni regulas, rarioraque vasorum ad id genus potus pertinentium exempla superaddit. Verum ut & medici Caffé usu in morborum profligatione feliciter fruantur, salis ejusdem fixi extractionem, olei fixi præparationem, & hujus in hystericis aliisque affectibus efficaciam, aquæ destillationem (quam vehiculi præstantissimi loco pro assumtione syrupi antifebrilis extollit,) syrupi confectionem & in hypochondriacorum symptomatis mitigandis virtutem exponit, salis essentialis in Diario Medicorum Parisiensium pollicitus recensionem. Atque hac ratione considerationem Caffé cum prolixo morborum, quibus medeatur, catalogo, in quo morbi soporosi, arthritici & scorbutici principem locum tenent, concludit: ubi simul fabulam, quod usus ejus generationi contrarietur, allegatione fœcunditatis fœminarum Orientis refutat.

Tertia parte *Chocolatam* examinaturus clarissimus Autor, ab Hispanis ex America in Europam esse transportatam ait, & nec illis, qui calidam, neque illis, qui frigidam eandem, sed qui temperatam pronuntiant, accedendo, principes partes, quæ compositionem ejus ingrediuntur, esse Cacao & Saccharum enarrat. Quare horum imprimis investigationi incumbit, & illud fructum arboris in occidentali India, Januario & Junio provenientem, gustu inter amygdalas dulces & amaras intermedio asserit; hoc vero optimum deprædicat in absorbenda illius pinguedine minus conveniente. His Americani succum inspissatum arboris fructiferæ Achiote dictæ, nuces palmæ Cocos appellatas, nuces Americanas, speciem quandam frumenti, *Mays* nominatam, & flores Orejevalæ, jungunt, atque exinde massam illam conficiunt. His Hispani substituunt Vanillas sibi dictas, delicatum satis aromatis genus, atque piperis Jndici certam quantitatem: quibus cinamomum & caryophyllos, ab aliis etiam ambram & moschum addi edocet, omniumq; ejus-

ejusmodi compositionum descriptiones, modos, supellectilem, fucos, selectum & pretium annectit. Usum vero calidum chocolatæ, loco sacchari cum syrupo Vanillæ, ab ipso descripto, præparatæ, aliis omnibus præponit; imprimis vero virium conservationi & reparationi, aliisque symptomatis conducere asseverat. Parti huic elogio Chocolatæ suæ Antivenereæ, singularique lui venereæ per specificum sibi proprium ex minera auri paratum, medendi methodo, finem imponit. Quarta vero eaque ultima, imaginum in præcedentibus partibus propositarum explicationem, & medicamentorum, aliarumque rerum sibi, Parisiis, in Collegio quatuor Nationum, venalium enumerationem recenset.

BOHUSLAI BALBINI S.I. MISCELLANEORUM Historicorum Regni Bohemiæ Decas II. L. I. Qui est Proœmialis ad STEMMATOGRAPHIAM Bohemiæ.

Ejusdem Decadis II. Liber II. Tabularium Bohemo -- Genealogicum.

Vetero-Pragæ, 1687. fol.

LAudatissimus hic Rerum Bohemicarum Scriptor, primam Miscellaneorum Decadem ad VII. Libros jam perduxit, quos sigillatim in Actis passim percensuimus. Cur ultimos tres Libros vel premere, vel ad tardiorem editionem reservare nunc velit, dicere vel inquirere nihil attinet. Interim ne tarditatis ipse culpam luat, Decadis II. fecit initium: tanto quidem promptius, quod ad Nobilitatem Bohemicam esset progrediendum. Cujus certe notitiam adeo comparavit exactam, ut temere vix reperias Familiam Illustrem, cujus aliquando Genealogiam tum amore, tum obsequio ductus, non congesserit, aut ab aliis congestam non correxerit, vel suppleverit.

Primo autem Libro de Nobilitate Bohemica generatim agit XIX. capitibus, ac ostendit. 1. Quam commendata sapientibus esse debeat nobilitas: 2. Qua prærogativa gaudeat nobilitas Slavica. 3. Quæ Ducum & Regum, etiam Przemysli fuerit nobilitas. 4. San-

guinem Nobilitatis Bohemicæ, per solum Borziwoium ejusque Conjugem S. Ludmillam, in omnes omnino Reges & Principes Europæ, certis matrimoniis fuisse infusum. Porro enumerat 5. Serenissimarum Familiarum conditores, qui conjuges acceperint a Bohemis, *Marcomirum* Pharamundi Galliæ Regis Patrem, *Witikindum* Saxonem, *Henricum Aucupem* Germ. Regem, *Miecizlaum* Polonum aliosque plures. 6. Illustres Bohemorum Familias, qui vel origine vel conjugio respexerint tum suos Principes, e. g. *Czerniniorum*, *Sswihovviorum*, *Slavatarum*, tum Reges Poloniæ ac alios. 7. Exteros Comites ac Barones, quibus connubia placuerint Bohemica. 8. Quæ Polonorum Familiæ originem cum Bohemis habeant communem, velut *Rosensium*, *Pernsteiniorum*, *Pesstikiorum*, *Zarembeciorum*, *Lazanskiorum* &c. quod ipse novum probatissimæ & obryzæ Nobilitatis vocat argumentum. Inde refert 9. claros Episcopos e nobilibus Bohemiæ. 10 Alios Ecclesiæ honores his collatos. 11 Nobiles qui magnis officiis præfuerint in aulis Imperatorum & Regum: Equites aurei Velleris, Melitenses, ordinis Teutonici &c. 12. Qui ex istis ad Potentissimos Principes fuerint Legati: qua occasione disserit de *vexillariis Proceribus*, quos vocamus Pannerherren; quibus videlicet, tanquam nobilibus majoribus, in bello præferre licuerit Familiæ vexillum militantibus sub hoc signo nobilibus minoribus. 13. Qui belli Duces claruerint aut negotiis alioqui splendidioribus interfuerint: simulque clarum judicat nobilitatis argumentum, quod Familiæ non paucæ fortuitas suorum exequias habituræ, certis spectorum vel præsagiorum ominibus præmoneantur. 14. Progreditur ad contentiones nobilium de prærogativa. 15 & 16 plurimos enumerat, qui ex equestri statu in sublimiorem, vel e civium ordine ad equestrem dignitatem pervenerunt. 17. Argumenta sparsim allegata sub unum quasi conspectum revocat. 18. Familias extinctas recenset. 19. Curioso judicio demonstrat, quibus adminiculis ad notitiã Genealogicam ipse pervenerit, ac alios pervenire cupiat. Ac primo quidem loco nominat Historicos, *Hagecium*, *Dubravium*, *Stranskium*, *Lupacium*, *Weleslavinum*, *Crugerium*, cujus Stemmatographica manuscripta nonnulla possidere se fatetur Autor, quæ tamen legi non possint ob characterem tumultuarium, de quo liceat usurpare Plautinum: *Istud quidem gallina scripsit*; *Pessi-*

Pessinam quoque, qui in Marte Moravico multa habet Bohemica. Postea commendat Regni Tabulas, quæ quidem A 1541 in incendio arcis Pragensis nimium fuerint deformatæ, ab eo tamen tempore habeantur absolutissimæ. Inde Libros Erectionum, & Archiva Illustrium familiarum passim adhuc conservata laudat. Interserit judicium de *Bartholomæo Paprocio*, qui cum Polonorum, Silesiorum ac Moravorum familias magno studio fuisset perscrutatus, in Bohemiam veniens, Nobilium sive superbia, sive rerum domesticarum ignorantia, parum proficere potuerit, cujus tamen vitia non dissimulat, quod Chronologiæ justam rationem non habuerit; nimis religiose Hagecium exscripserit; extinctas Familias, quarum tamen extent cognationes fœmininæ, non attigerit, ac tandem Equites cum nobilibus minutis, civilemq; statum non excedentibus confuderit. Aliquid etiam tribuit Genealogiis vicinarum gentium, quibus sæpe non possunt non misceri Bohemica. Maximum vero momentum in eo credit repositum, ut tum Inscriptiones palatiorum, curiarum & locorum publicorum, tum lapides sepulchrales templorum sedulo perlustrentur, unde varia nominat templa, quibus sedulo lustratis insignem ipse fructum tulerit.

Liber II. in duas dividitur partes, ac familiarum speciales exhibet Tabulas, eo tamen discrimine, ut jam positis majoribus succedens enumeretur posteritas, quod publice magis conducit Historiarum & Rerumpublicarum studioso: jam ab uno e posteris ad sedecim majores demonstrandos detur regressus, quod privatim magis referre videtur ad singulorum gloriam.

Priorem partem dedicavit Comiti *de Wrbna & Freudenthal*; posteriorem Comiti *Wratislavo de Mitrovviz*, quorum utrinque prosapiam accurate persequitur. Justum autem initium facit Genealogia Invictissimi Imperatoris Leopoldi, quam a Wurfbeinio olim inchoatam, noster correctiorem dedit & auctiorem, ut in illius majoribus XXXIII numerentur Imperatores. Sequuntur Duces Silesiæ tabulis non paucis, qui genus referre potuerunt ad Piastum Polonum. Ex aliis Proceribus habentur *Schaffgotcziorum*, *Kragirziorum*, eorum qui Georgii Regis sanguinem participarunt, *Berkarum*, *Kolovratorum*, *Krzineczkiorum*, *Waldsteiniorum*, *Martinitziorum*, *Lobkovvitziorum*, *Sternbergiorum*. Porro *Gilemnitziorum*,

Dominorum de Villani, Trautmansdorffiorum, Guttensteiniorum, Ssvvihovskiorum, Götziorum, Witigonum, & in quos eorundem sanguis influxit, *Slavatarum, de Lassaga Paradisiorum, Kaunicziorum, Wchinskiorum, Laschanskiorum, Hrzaniorum, Oppersdorffiorum, Zdiarskiorum, Obiteckiorum, Pöttingiorum, Dominorum de Longavilla, Nachodiorum, Rosenbergiorum, Czabeliczkiorum, Nostitziorum, Lichtensteiniorum, Salmensium, Dietrichsteiniorum, Schlickiorum, Lamboyorum*, aliorumque, quorum vel integram familiam, vel tamen sedecim Majores summo studio exponit, ut majori quidem desiderio totam expectare Stemmatographiam nunc incipiamus.

CHRISTOPHORI CELLARII CURÆ POSTERIORES de Barbarismis & Idiotismis Sermonis Latini, recognitæ & plurimis locis auctæ.

Jenæ, apud Jo. Bielken, 1686 in 12.

UT mense Augusto MDC LXXXII pag. 256 indicavimus, hic Autor clarissimus Gerardi Jo. Vossii, Casp. Scioppii & Jo. Vorstii exemplis inductus, de *Barbarismis*, sermoni Latino arrepentibus, ante hos decem annos quædam commentatus fuerat, quæ, facem præferente celeberrimo viro *Olao Borrichio*, (qui suas interea *Cogitationes* de tribus istis censoribus ediderat,) anno MDC LXXX *Posterioribus Curis* retractavit. In his cum a Borrichio non nunquam dissensisset; hic ut tueretur sua, A. MDC LXXXII *Analecta* in lucem emisit: unde nunc Autor noster novæ huic editioni inseruit, quæ certiora Borrichius monstraverat; quæ vero dubia videri poterant, aut librorum varianti scripturæ innixa, ita ex meliorum Codicum fide illustravit, ut ubique dissentientis honori summa humanitate consuleret. Novus autem hic liber & undique auctus in decem capita distributus est. Quibus *Prolegomena* de cunctis Latinæ Linguæ, qui supersunt, antiquis scriptoribus, eorumque ætate & operibus præmittuntur: subjicitur tandem *Appendix miscellanea*, qua illa examinantur, quæ vel prætermissa fuerant, vel ita dubia & incerta sunt, ut diligentiori perscrutatione indigeant. Cuncta autem

autem suorum temporum autoritate ex optimis libris, tam manu scriptis, quam antique & nove impressis ita explicata sunt, ut historiam quasi variæ Latinitatis hic liber contineat, & conspici ex eo intelligique possit, quibus tuto parciusve aut minime uti liceat.

APPENDIX AD CURAS POSTERIORES recognitas viri clarissimi Christophori Cellarii, Smalcaldiensis.

Hafniæ, typis Acad. Typographi, 1687. in 12.

LIcet ex præcedente relatione etiam de scopo hujus elegantissimi libelli judicare. Postquam enim recognitas suas Curas Cellarius evulgaverat, in quibus erant nonnulla, quæ ab amplissimi viri Olai Borrichii tum Cogitationibus, tum Analectis discreparent; illa *Andreas Borrichius*, gentilis Olai eruditissimus, magis magisque examinavit, & quæ olim Olaus posuerat, stylo modestiæ & humanitatis pleno tuenda in se & vindicanda suscepit. Decem autem & hujus libelli sunt capita, quibus Autor suas annotationes ad Cellarii recognitas sive tertias Curas exposuit. Sunt autem pleraque ita comparata, ut a Codicum diversitate, aut Criticorum ac interpretum dissensu dependeant; sæpe numero etiam non castigent, sed stabiliant & pluribus exemplis confirment sententiam Cellarianam. Maximum illorum dissidium est, quod in primo capite continetur, de ætatibus Latinæ Linguæ, cum auream ætatem Borrichius a secundo Punico bello; Cellarius ex florentissimo ævo Ciceronis deducat: argenteam in morte Trajani finiat idem Borrichius; Cellarius per Hadriani tempora ad Antoninum usque Pium extendat: æneæ etiam laxiores hic fines ponat; quam concesserat laudatissimus Borrichius. Uterque rationibus nituntur non contemnendis. Quod vero non ipse Olaus, sed Andreas Borrichius Cellarianis Curis respondit, in caussa duo fuisse, præfatione indicatur; primum *graviora negotia*, quibus distinetur Vir celeberrimus: deinde *amicitiam, qua Cl. Cellario obstrictus sit, quam non libuerit ullo modo fatigare.* Nam etiam ex Cellarii præfatione in Curas Posteriores apparet, corda-

cordatis hisce viris, quæ aliis causa rixarum & contentionis sunt, amicitiæ & benevolentiæ, literis mutuis etiam testatæ, fuisse occasionem.

LIBRI NOVI.

Doctrina Theologiæ Moralis totius, tabulis LXXII comprehensa, auctore Johanne Olearío D. & P. P. Lipsiæ 1688. fol.

Friderici Spanheimii Introductio ad Historiam & Antiquitates sacras. Cum perpetuis castigationibus Annalium Cæsaris Baronii ac recentiorum in Gallia Pontificia Scriptorum. Tomus II. Lugduni Bat. 1687. in 4.

Traitez des Barometres, Thermometres & Notiometres ou Hygrometres; par M. D. -- A Amsterdam 1688. in 12.

Liber D. Aurel. Augustini contra Pelagium & Celestium de gratia Christi, commentario brevi & continuo illustratus a R. P. Carolo Joseph Tricassino. Moguntiæ 1687. in 8.

Gratia efficax a se ipsa, refutata ex libris S. Augustini; per R. P. Carolum Joseph Tricassinum. Moguntiæ 1687. in 8.

Tradition de l' Eglise Romaine sur la Predestination des Saints & sur la Grace Efficace; par Mr. Germain. A Cologne 1687. in 12.

La Vanité des Sciences, ou Reflexions d' un Philosophe Chretien sur le Veritable Bonheur. A Amsterdam 1688. in 12.

Sentimens d' Erasme de Roterdam, conformes a ceux de l' Eglise Catholique sur tous les points controversez à Cologne 1688. in 12.

Abregé de la Morale des Actes des Apostres, des Epistres de St. Paul, des Epistres Canoniques & de l' Apocalypse; ou Pensees Chretiennes sur le texte de ces livres sacrez. a Paris 1687. in 12.

Histoire Apologetique, ou Defense des libertez des Eglises Reformees de France. A Mayence. 1687. in 8.

Suite de l' Accomplissement des Propheties. A Rotterdam 1687. in 12.

Apologie pour l' Accomplissement des Propheties. A. Rotterd. 1687. in 12.

Difesa del Pontificato Romano, e della Chiesa Cattolica, ove si dimonstrano la Souranità, l' Infallibilità, la Santità e l' altre sublimi doti del Principato Apostolico; si rifiutano tutte le moderne Eresie &c. Opera del P. Nicolo Maria Pallavicino della Comp. di Giesu. Romæ 1687. in fol. volumina tria.

Universa Astrosophia Naturalis variis & hucusque nunquam editis experimentis comprobata & vindicata; authore Antonio Francisco de Bonattis. Patavii 1687. in 4.

Réponse de Mr. Varillas à la Critique de Mr. Burnet sur les deux premiers Tomes de l' Histoire des Revolutions &c. à Paris. 1687. in 12.

L' Etat present des Iles & territoires du Roy d' Angleterre dans l' Amerique, traduit en Frnaçois. à Amsterdam 1687. in 12.

Gerardi de Vries Prof. Philos. Ultraject. de Natura Dei & Humanæ Mentis Determinationes Pneumatologicæ. Ultrajecti. 1687.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anni M DC LXXXVIII.

FRIDERICI SPANHEMII F. SELECTIORUM de Religione Controversiarum, etiam cum Græcis & Orientalibus, & cum Judæis, nuperisque Anti-Scripturariis, Elenchus Historico-Theologicus. Errorum fontes ubique aperiuntur, insertis dissertationibus, quæ sunt hujus temporis.

Lugd. Batav. apud Felicem Lopez, 1687, in 12.

QUæ rationes celeberrimo Autori fuerint, ut hunc selectiorum de Religione controversiarum Elenchum in lucem ediderit, ipse in præfatiuncula ad Auditores nuper suos præmissa, satis luculenter edocet. Ut itidem de ordine, quem in controversiis de Religione selectioribus recensendis secutus fuit, eo curatius constet, Sciagraphiam quandam Locorum, ad quos referri potissimæ quæstiones inter Theologos agitatæ commodissime possint, præmittit, eandemque in enarrandis singulis postmodum constanter observat, ac præter statum controversiæ, in quo rite constituendo paulo, quam fieri solet, diligentiori cura se versatum tradit, origines vel causas errorum ac scopum errantium ubique fere indigitare allaborat.

In controversiis autem pertexendis auspicium a Pontificiis capit, & in protheoria historica ostendit, Romanæ Ecclesiæ geminam esse faciem, unam, prout est vera & Christiana; alteram, prout est falsa & Anti-Christiana. Exceptiones declinatorias, familiares Doctoribus Pontificiis hodiernis, ad duas classes posse revocari, scilicet unam, qua declinant examen doctrinæ ipsius & controver-

forum Capitum, variis obtentibus & præjudiciis injectis contra causam Proteſtantium, ut deſperatam judicatamque: alteram, qua probationum legitimum onus rejiciunt in ſolos Proteſtantes, ſi doctrinæ inſtituatur examen, tanquam in Actores. Ex omnibus item Methodis, quas longa nuper ſerie commendarunt Gallicani Præſules, ad promovendam Proteſtantium converſionem, & ad ſedecim reduxerunt, præcipuam illis eſſe, quod nihil fundare poſſit fidei certitudinem, infallibilitatem, & ſecuritatem in conſcientia, miſſa via Examinis ſeu diſcuſſionis, præter autoritatem Eccleſiæ univerſalis, quæ ſit Romana. Errorum Pontificiorum cauſas ad octo claſſes poſſe referri, ſcilicet quod falſum ſibi conceptum fingant de Natura Eccleſiæ Catholicæ, tanquam ſit collectio hominum in unum viſibile corpus, ſub uno ſummo & viſibili capite colligandorum vinculo externæ adhærentiæ illi capiti, externæ profeſſionis ejusdem ſub eo fidei, & communionis externæ eorundem Sacramentorum: quod ſtatuant, ſubjicienda eſſe omnia ſummo judicio & tribunali Eccleſiæ, cui præeſt Papa: quod ſupponant perpetuo Romanæ Eccleſiæ antiquitatem Apoſtolicam, Catholiciſmum, poſſeſſionem legitimam: quod Pontifex Romanus totusque Clerus commodum temporale & intereſſe proprium attendant, atque ſuam autoritatem adaugere & firmare ſtudeant: quod judicent cœca obedientia, pia ignorantia, devotionum externa ſpecie continendos eſſe populos, Reges ipſos & Principes ſub jugo Romanæ Eccleſiæ: quod aſſerant, juſtificari homines coram Deo ſuis operibus, meritis; Evangelium ex ſe doctrinam operum eſſe; homines vere mereri, ac ſatisfacere Deo poſſe: quod foveant falſas quasdam hypotheſes parituras falſa conſectaria: quod calumniis gravent paſſim doctrinam orthodoxam. His ita expoſitis, ipſarum controverſiarum Pontificiarum catalogum ſecundum ordinem LL. Theologicorum ante expreſſum ſubjunxit.

A Pontificiis progreditur ad Anabaptiſtas, atq; in protheoria hiſtorica notat, controverſias illas vel cum Anabaptiſtis ſtrictius ſic dictis, videlicet Munzero, Melchiore Hofmanno, Huttero Moravo, Mennone Simonis; vel cum aliis ſectariis ſub eadē voce paulo generalius accepta comprehenſis, ut Caſparo Schvvenckfeldio, Davide Georgio, Michaele Serveto, Henrico Nicolai, Theophraſto Paracelſo, Valentino Weigelio, Fratribus Roſeæ crucis, agitari. Qua diſtinctione præmiſſa, ad controverſiarum Anabaptiſticarum in ſignificatu poſteriori acceptarum enarrationem accedit, ut tamen vel impia, vel portentoſa nimis, ſeu Iſtorum, ſeu Georgianorum, Libertinorum, Antinomorum, Factioſorum dogmata, præcidantur.

Enumeratis potioribus Anabaptiſtarum dogmatibus, de Socinianæ hæreſeos prima origine, progreſſu, ἀκμῇ, capitibus atque vario genere paucis diſſerit, & deinde illius errores in ſcenam producit. Socinianis Arminianos, cum horum ſchiſmati libri, ab Oſtorodio Goslarienſi Saxone, & Voidovio Polono ſub finem ſuperioris ſeculi in Belgio diſſeminati, occaſionem dederint, annectit, in illorum natales; incrementum & ſummum vigorem inquirit, & quatuor claſſes vel gradus controverſiarum Arminianarum conſtitui poſſe judicat; in quarum prima ſint eæ, quæ ex Arminio profluxerunt, ad famoſos quinque Articulos revocatæ, quos intra nonnulli hodieq; Remonſtrantes fere conſiſtant: in altera claſſe ſint illæ, quas inprimis Conradus Vorſtius vel de ſuo, vel ex Socino invexit, & mox ſuas fecere Remonſtrantes, ob conjuncta ſtudia & communem quandam ſortem: in tertia claſſe ſint, quæ natæ ex Confeſſione Remonſtrantium edita anno 1622, hujusque Apologia, Cenſuræ Leidenſium oppoſita anno 1629: in quarta denique claſſe ſint eæ ſpecialius controverſiæ, quæ ſupra reliquas naſcantur paſſim ex ſcriptis variis, cum Simonis Epiſcopii, tum noviſſime Stephani Curcellæi. Quibus prænotatis, ipſe geminum theſium inter Remonſtrantes atque Reformatos controverſarum ordinem exhibet, in quorum primo apparent Articuli quinque cum Arminianis ſtricte dictis controverſi; in altero autem ſiſtuntur graviora nonnulla, quæ cum Sociniano-Remonſtrantibus controverſa ſunt, & anteſignanis eorum approbata. Sub finem controverſiarum Arminianarum adjungit appendicem, de nupera in Galliis controverſia circa modum operationis Spiritus S. in converſione; ubi primum refert ejus autorem exſtitiſſe Claudium Pajonum, (unde *Pajoniſmi* inviſum nomen) Virum de cauſa Reformata adverſus Pontificios, publicis etiam ſcriptis optime meritum, Miniſtrum nuper Aurelianenſem, ſed acuminis ſubtilitatisque nimiæ, in iis quæ ſentiri ſatius, quam controverti: deinde ſtatum controverſiæ, remotis iis, quæ ad eundem minime ſpectant, huc redire oſtendit: An operatio Gratiæ

in credentibus vel electis sit tantummodo *moralis* & *rationalis* in genere causæ *objectivæ*, qua Spiritus S. agat quidem efficaciter in mentes, eas illuminando, & in corda ac voluntates, eas potenter inflectendo, sed operatione tantum mediata per verbum & externa alia media; nempe *vi & efficacia rationum, motivorum, occasionum*, quæ *objective* offeruntur animæ nostræ, in illo ipso Dei verbo, & promissionibus, minis, castigationibus, judiciis, exemplis, olim etiam miraculis, eamque necessario determinant? atque ita *efficacia* illa & *insuperabilitas* Gratiæ, non sit ab invincibili aliqua & immediata atque supernaturali operatione Spiritus S. in mentem ac voluntatem *vocatorum κατὰ πρόθεσιν*, *distincta* ab externa efficacia verbi ac mediorum quæ nobis objiciuntur: verum sit eadem, cùm *a dispositione interna* hominis, quæ diversissima sit, pro diversitate ingeniorum, inclinationum, corruptionis, tum a *propositione externa* objectorum, quæ sic dispensat Gratia respectu *electorum*, & cum talibus circumstantiis, ut non possit non afficere recte dispositorum *mentem*, eorumque voluntatem in assensum trahere, ac sic fidem in nobis producere? Statu controversiæ sic plene formato, hypotheses Pajoni principes ex MSS. ejus declarationibus adducit, & quid singulis reponi debeat, explicat, easdemque Canonibus Dordracenis haud convenire, & a Synodo nuper Roterodami die 24 Aprilis anno 1686 habita improbatas fuisse, edocet. Non dividiæ erit ipsas hypotheses, prout ab Autore nostro exhibentur, hic repetere, ut de mente Pajoni rectius constet. Prima est, *animam* nostram, utpote *rationalem*, non moveri posse nisi impressione *rationali*, vi rationum efficacium: si autem moveretur immediate a Spiritu S. hanc impressionem fore *cæcam*, *brutam*, *irrationalem*. Secunda: *impotentiam* hominis ad bonum salutare *originalem* quidem esse, sed tamen sanabilem, vi *rationum* ac *motivorum* quibus mens nostra moveatur, excitetur. Tertia: Spiritum S. ex mente Orthodoxorum, non futurum nisi causam Conversionis *partialem*, *antecedentem*, ac *dispositivam* modo voluntatis ad ea, quæ verbum in nobis producturum est; contra verbum Dei & reliqua externa media sic fore causam Conversionis *perficientem* & *ultimam*, quod non quadret cum Scripturis. Quarta: secundum sententiam receptam, *Verbum Dei* plane *nihil effecturum* ad Conversionem hominis. Quinta: posita

sita sententia communi, Deum operaturum in *Animam*, ut in *truncum*, in *stipitem*, in *lapidem*, sine interventu atque impulsu rationum ac lucis objectivæ. Sexta: sic fore *Conversionem* hominis *involuntariam*, absque ejus *consensu*, impulsione modo *Physica: involuntariam* quoque fore hominis *impotentiam*, utpote *physicam*, contra sententiam orthodoxorum. Septima: operationem illam immediatam Spiritus S. referre *revelationem* quandam *extraordinariam*, *visiones*, *Spiritum enthusiasticum*, *fanaticum*, *privatum* Reformatis a Pontificiis objectum, qui sit unicuique principium & norma suæ fidei: eandemque adeo jactari persuasionem posse, seu afflatum immediatum, ab homine Gentili vel Mohammedano.

Ab hac Appendice confert se ad recensendas controversias, quæ Reformatis cum Augustanæ Confessionis Theologis intercedunt. Antequam vero id faciat, primum profitetur, se perquam invitum & hos Theologos illis accensere, quibus cum est Reformatis de Religione dissensio; dum utrisque sit & eadem Regula & Principium idem, Scriptura sacra, traditionibus humanis ac Papisticis, Tridentinisque decretis rejectis; utrisque eadem doctrina fundamentalis; utrisque idem cultus Dei Triunius, Christique Servatoris; utrisque protestatio eadem contra papales errores; utrisque officia eadem tradita, ut mutuo sese tolerent, *Eph. IV*, 2; utrisque idem interesse, motiva eadem pro Evangelica pace instauranda, & si non omnimoda concordia, saltim tolerantia mutua æternum sanciendа. Dein observat, diversis temporibus ac locis tentatum fuisse consociationis sive tolerantiæ Evangelicæ negotium, & de Conventu Cassellano, auspiciis Wilhelmi VI Hassiæ Landgravii, inter Marpurgenses Rintelensesque Theologos anno 1661. instituto, plenius agere instituit, summam consensus Cassellani in controversis Articulis exponendo. Porro pacis Ecclesiasticæ studium, sint licet non pauci, qui obicem illi ponant, commendat, nec æque Reformatos Pontificiis & Remonstrantibus, ac Lutheranis dextram fraternitatis offerre posse, demonstrat. Tandem Controversiarum cum Augustanæ Confessionis Theologis duas constituit classes, docens, quasdam esse cum genuinis Lutheri discipulis, ac professis Augustanam Confessionem, etiam ut a Melanchthone recognita fuit, post Concordiam Wittebergensem, ac sæpius explicata, in

ſpecie quoad Artic. X: alias vero intercedere cum diſcipulis J. Brentii, Jac. Andreæ, M. Flacii Illyrici, Ægidii Hunnii &c. & quotquot ſubſcripſere Torgenſibus Articulis ſcriptis anno 1576. Has poſteriores controverſias iterum in triplici eſſe differentia tradit; alias enim non ex doctrina Reformatorum natas, ſed ex detorſionibus illius, non ex traditis ſed ex affictis, quæ adeo non juris quæſtiones ſint, ſed facti: alias minus principales aut momentoſas eſſe, puta, de Ritibus quibusdam & Ceremoniis circa Baptiſmum; & alias denique magis reales eſſe ſeu principales, de doctrinæ capitibus, quæ ſint poſt Lutherum exorta. Ex his omnibus poſtremas potiſſimum una cum controverſia Euchariſtica attendit, & illarum recenſionem inſtituit.

Hinc ad enarrandas controverſias cum Græcis hodiernis & Orientali Eccleſia progreditur, præmiſſa diſſertatione hiſtorica de Orientalis Eccleſiæ ſtatu & diſſenſione a Latina ſeu Pontificia. Intelligit autem per Græcam & Orientalem Eccleſiam, quæ & pridem ante ac poſt Photii tempora & hodie adverſa Latinæ, ac duriſſimæ ſervitutis jugo partem maximam etiam nunc preſſa, ſub Turcarum præcipue dominatu, multa etiam ſuperſtitione fœdata, retinet adhuc fidem nomenque Chriſtianum. Hancque facit vel puriorem, ſub *Græcorum* qui ſtricte ſic dicuntur, vel *Melchitarum*, aut *Syrorum* appellationibus, quibus & *Georgiani* ſive *Iberes* Chriſtiani accenſiti fuerunt; vel *impuriorem*, qualis habita fides ac diſciplina illorum in Oriente, qui rurſus vel *Neſtoriani* audiunt, *Chaldæi*, Chriſtiani *S. Thomæ*; vel *Dioſcoriani* ſeu *Monophyſitæ*, ſub quibus comprehenduntur *Jacobitæ*, *Cophtæ* vel *Coptitæ*, *Abaſſeni*, *Armeni*, item & *Maronitæ*, ſoli fere in Aſia Eccleſiæ Latinæ addicti. *Græcos* ſtrictius dictos notat rurſus duplicis eſſe generis, quosdam ſcilicet *genuinos*, qui retinent pro cognitionis modo, doctrinam, diſciplinam, ritusque Majorum, alieniſſimi a Latinis: alios *ſpurios* ſeu *neotericos*, qui per Latinos Miſſionarios, aut ex commercio cum Latinis hodiernis corrupti, horumve in ſcholis & ſeminariis enutriti, ac libris qui de Religione agunt inſtructi, recedunt a fide & diſciplina Majorum, ac traditiones Pontificias faciles amplectuntur. Hos iterum in diverſa abire genera annotat; *alios* enim ad Latinos defeciſſe, ſaltim ad probandam cum Latinis concordiam, inviſiſſimam ſemper Græcis,

Græcis, aut æmulatione in ſuos, aut ambitione dignitatum, favorisque Regii, quum Imperatorum Græcorum intereſſet, ut Papis blandirentur: *alios* inter ſuos eſſe turbones ſchiſmaticos aut egenos, qui miſſis Romam Legatis aut ſubſidia a Latinis petierunt, aut defenſionem contra ſuos, a quibus in eligendis Patriarchis vel Catholicis diſſiderent: *alios* ſub fictis nominibus apparere, tanquam inſignes in Græcis ſcriptores, ac ſubinde velut Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui, fuere homines *Latini* vel certe, ut cum Autore ita eosdem appellare liceat, *Latinizati*: *alios* favere quidem Latinis in certis capitibus, haud tamen per omnia Latinorum vel dogmatis vel traditionibus conſentire: denique *alios* eſſe recentiſſimos homines, multos etiam Romæ ſcriptitantes, aut certe Græculos e Latinorum ſcholis ac ſeminariis profectos, aut in Oriente quidem vicitantes, ſed ab Emiſſariis Romanæ Curiæ, artibus Jeſuiticæ ſocietatis, in ſententiam Latinorum inductos, ſaltim ſpecie & confeſſione tenus, maxime circa transſubſtantiationem. Poſtmodum de Melchitis, Georgianis, Mengreliis, Ruſſis; Conſtantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani & Rutheni ſeu Moſci Patriarcharum, jurisdictione; Neſtorianis, Monophyſitis, Maronitis, Armenis, Liturgiis Orientalibus earumque omnium quoad rei ſubſtantiam convenientia, conſenſione Græcorum cum Pontificiis in ſpeciem tali, oppugnatione Græcorum & Latinorum mutua, diſſenſu Græcorum a Latinis in doctrina, ritibus & diſciplina erudite tractat. Denique ipſas controverſias cum Græcis etiam purioribus ſeu Melchitis, præter eas quæ ſunt de Perſona Chriſti ſpeciales cum Jacobitis & Neſtorianis, enarrat.

Miſſis Græcis, ad Judæorum dogmata proponenda accedit, ubi ante omnia in incredulitatis Judaicæ cauſas inquirit, ac quæ eisdem opponenda ſint remedia perhibet; poſt de duabus Judæorum ſectis, ſcilicet Rabbanitarum & Carræorum, pauciſſimis agit, & horum aliquot ſcripta in Bibliotheca Leidenſi ex Legato Warneriano aſſervari memorat. Denique præmiſſo diſcrimine, inter controverſias cum Judæis tractari ſolitas principales & acceſſorias, item elencticas, caſuiſticas & hiſtoricas, ad enarrationem quæſtionum potiſſimum principalium & quidem elencticarum progreditur.

Agmen

Agmen Controverſiarum apud Autorem claudunt noſtra ætate motæ per Pſeudo-Philoſophos, Anti-Scripturarios, Libertinos aut laxiores Theologos, ac ſiſtuntur hypotheſes de la Périére, Præ-Adamitarum Autoris, Eduardi Herberti Baronis de Cherbury, Thomæ Hobbeſii, Latitudinariorum in Anglia ſic primum a latitudine quadam in cauſa regiminis & diſciplinæ appellatorum, Autoris de Philoſophia Scripturarum interprete atque Tractatus Theologico-Politici de Libertate Philoſophandi, & Richardi Simonii, contra quem librorum Moſaicorum autoritas compendioſa atque eleganti diſſertatione propugnatur.

AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI Opera ad MSS. codices Vaticanos, Gallicanos, Belgicos &c. nec non ad editiones veteres emendata, ſtudio & labore Monachorum Ord. S. Benedicti e Congregatione S. Mauri. Tomus I.

Pariſiis, apud Joh. Baptiſtam Coignard .1686, fol.

NOtatu dignum eſt, quod de Lugdunenſi quadam Ambroſii editione, a Franciſcanis invito typographo peſſime depravata, *Franciſcus Junius* oculatus teſtis (huic enim, dum anno Chriſti 1559 & 1560 Lugduni verſaretur, Frelonianæ officinæ corrector *Ludovicus Savarius* perfidiæ illius ſpecimen oſtendit) & poſtea ex Junii fide *Dallæus*, *Rivetus*, aliique plures retulerunt. Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri, quibus novum hunc Ambroſium debemus, ſe perluſtratis bibliothecis Pariſienſibus, & exterarum catalogis diligenter exploratis, ne ullum quidem Lugdunenſis iſtius editionis veſtigium deprehendere potuiſſe ajunt, indeque eam vel forte omnino fictam, vel, quod nobis veriſimilius videtur, ſtatim ſuppreſſam fuiſſe colligunt. Ipſi interim meliora pollicentur, ſancteque ſpondent, ſe omnia ad manuſcriptorum fidem exacturos, & pro virili compenſaturos, quæ in anterioribus editionibus deſiderari poſſint.

Ex his antiquiſſimam eſſe ſcribunt, quam *Maffellus Venia*, Monachus Auguſtinianus, ejusdem Ordinis Generali *Ambroſio Corano* nulla

nulla loci aut temporis nota adjecta nuncupavit, proximam autem huic eidemque quoad characteres ſimillimam, quæ A. C. 1490 *Cribellii* Presbyteri ſtudio Mediolani apud *M. Leonardum Pachel* prodiit. Verum cum utraque paucos admodum tractatus comprehendat, *Johannis Amerbachii* civis Baſileenſis induſtriam commendant, qui biennio poſt longe plura Ambroſii opera tribus tomis in lucem produxit, & *Johannis de Lapide* Carthuſiani Pariſienſis ope procuravit, ut ſingulis libris in certa capita diviſis, ſuum cuique capiti argumentum adderetur. Quam editionem A. C. 1506 *Johannes Petri de Langendorf*, regiſtro, ut appellat, florigero ſeu copioſo indice adjecto, prælo iterum ſubjecit.

Horum diligentiam ſupergreſſus *Eraſmus Roterodamus*, ut & plura & emendatiora Ambroſii opera ederet, quod Baſileæ A. C. 1527. factum eſt, nullis laboribus pepercit, eaque editio tanto fuit in pretio, ut ſæpius diverſis locis recuſa, ac *Gelenii* aliorumque doctorum hominum ſtudio novis ſubinde tractatibus locupletata, omnium in ſe oculos converteret. At Benedictini noſtri, ut *Amerbachium* in vitioſos codices incidiſſe dolent: ita *Eraſmum* arguunt, quod doctrinæ & famæ ſuæ fiducia audacior, plus ingenio ſuo & propriis conjecturis, quam manuſcriptorum autoritati detulerit, eamque ob cauſam, cum hæc Eraſmi editio A. C. 1529 Pariſiis *Chevallonii* typis iterum exprimeretur, multa in ipſo textu commutata, & nonnulla in margine notata, quin & poſtea a *Johanne Coſterio* Canonico Lovanienſi, qui A. C. 1555. novam Ambroſii editionem adornavit, plus quam duo millia errorum, ut ipſe gloriatur, ſublata fuerint.

Verum cum ipſe Coſterius in tanto opere non ſatis ſibi auxilii fuiſſe ingenue fateatur, operæ ſe pretium facturum putavit *Johannes Gillotius*, ſi plura Ambroſianorum operum manuſcripta exemplaria e Pariſienſibus aliisque Galliæ bibliothecis conquireret, quibus inter ſe conferendis cum vix plures, nedum unum hominem ſufficere animadverteret, ipſe paucos, quibus evolvendis par eſſet codices delegit, cæteros aliorum induſtriæ commiſit. Et hanc Gillotianam editionem A. C. 1568. apud *Gulielmum Merlinum* & ſocios Pariſiis vulgatam, omnium, quæ hactenus prodierant, abſolutiſſimam Benedictini ſtatuunt, & indignam plane, quæ editionis Romanæ paulo poſt ſecutæ fama opprimeretur.

Aggressus hanc editionem, aliis postea in laboris partem adscitis sociis, *Felix* de Monte Alto Ord. Min. Vicarius generalis, deinde Cardinalis, & tandem sub *Xysti V.* nomine Pontifex Romanus, quinque tomis constantem, e quibus priores quatuor A. C. 1580. 1581 & 1582, quintus & ultimus A. C. 1585, cum jam Romanam cathedram Xystus occupasset, lucem publicam aspexit.

Quamvis autem hæc editio tantum obtinuerit autoritatis, ut in locis, ubi Romana floret religio, sola prælo subjiceretur, & in una Lutetia ab A. C. 1586. singulis fere decenniis iterata fuerit, non dissimulant tamen Monachi Benedictini, non pauca in editione hac Romana deprehendi, quæ minus probari possint. Inter alia enim animadvertunt, epistolas aliquot & homilias, imo & nonnullas librorum partes ordine suo avulsas & in alienum locum rejectas; item tractatus quosdam dubios legitimis admixtos, cum potius in iis quoque commentationibus, quas superiorum editionum consensus tanquam legitimas admiserat, delectu & censura opus fuisset. Imprimis autem hoc animadversione dignum censent, quod etiam in ipso Ambrosii textu multa sibi permisisse deprehendantur, qui eundem corrigendum susceperunt.

Ut igitur Ambrosius integritati suæ & nitori restitueretur, Benedictini e S. Mauri congregatione monachi novæ huic editioni insudarunt, qua omnibus, qui a Romana ecclesia dissentiunt, tela contra Ambrosii autoritatem objecta ereptum iri sibi persuadent, nihil magis in votis habentes, quam ut omnes, quos pro hæreticis habent, nova hac Ambrosii editione, non secus ac Augustinus viventis Ambrosii doctrina conversus fuit, ad errores suos ejurandos permoveantur.

Universa Ambrosii opera duobus tomis comprehendunt. Ac primo quidem hoc volumine Ambrosii libri 6. in Hexaemeron, de Paradiso liber unus, de Cain & Abel libri duo, de Noe & arca liber unus, cum insigni quodam fragmento, quod ex hoc Ambrosii libro Augustinus contra Pelagianos suorum operum justitia inflatos duabus vicibus allegavit, de Abraham libri duo, de Isaac & anima liber unus, de bono mortis liber unus, de fuga seculi liber unus, de Jacob & vita beata libri duo, de Joseph Patriarcha liber unus, de benedictionibus patriarcharum liber unus, de Elia & jejunio liber unus, de

de Nabotho Jezraelita liber unus, de Tobia liber unus, de interpellatione Job & David libri quatuor, Apologia Prophetæ David, apologia altera Davidis, enarrationes in psalmos duodecim nempe 1, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 43, 45, 47, 48 & 61. (prout in vulgata numerantur,) expositio in Psalmum 118. (Hebræis 119.) & expositio Evangelii secundum Lucam decem libris comprehensa; quibus Ambrosii tractatibus appendicis instar subnectitur commentarius in cantica canticorum a *Gulielmo* quodam Abbate S. Theoderici, postea monacho Signiacensi, e scriptis S. Ambrosii collectus.

Prædictos Ambrosii tractatus omnes genuinos esse censent, seque non posse non mirari ajunt, quid *Erasmo* & post Erasmum aliis in mentem venerit, quod librum de Tobia Ambrosio abjudicaverint, cum ex Augustini libro I. contra Julianum c. 3. & Ambrosii ad Vigilium Tridentinum epistola, legitimum esse hunc Ambrosii fœtum comprobari possit. Contra alteram Davidis apologiam plures dubitandi rationes *Erasmo*, *Bellarmino*, *Possevino*, *Hermanno*, qui vitam Ambrosii gallice descripsit, aliisque suppetere non dissimulant, non deesse tamen etiam ex altera parte argumenta non minoris momenti statuunt, quibus hic tractatus Ambrosio vindicari possit. Unde lectori liberum de autore hujus libelli judicium relinquunt, ipsi interim cum jus sit in ambiguo, possessionem quæ hactenus penes Ambrosium fuit, eidem non abrogandam esse arbitrantur.

Præmissa sunt primo huic volumini post præfationem selecta veterum de Ambrosio testimonia. Singulis autem tractatibus præfigitur peculiaris admonitio, qua eorum argumentum recensetur, tempus, quo scripti videntur, diligenter inquiritur, aliaque observatu digna breviter expenduntur.

In ipsis tractatibus retineri pristinam eorum in capita divisionem, ipsaque capita novis sectionibus distingui, vetera autem capitum argumenta, quæ Autoris sensum vel minus perspicue vel minus latine repræsentare viderentur, corrigi placuit. Inferiorem paginarum marginem occupant minutioribus characteribus expressæ variæ lectiones aliæque notæ, quas ad pleniorem Ambrosii intelligentiam junioribus saltem Theologis non fore inutiles confidunt, observantes, quod in multis locis Romani editores non aliam

ob causam mutationes quasdam in textum induxerint, quam quod Ambrosii sensum non assecuti fuerint.

Nævos Ambrosii cum in præfatione ad lectorem, tum in admonitionibus ac notis pro viribus obtegunt. Concedunt Ambrosium, insignem *Origenis* imitatorem, allegorico & mystico sensui nonnunquam in tantum indulgere, ut historiæ veritatem prorsus negare videatur, & hoc ipsum in causa esse putant, quod Romani editores in altera Davidis apologia ex capite octavo versus aliquot eraserint, etsi in omnibus codicibus editis & manuscriptis habeantur. Secus tamen se rem habere, neque historicam veritatem ab Ambrosio prorsus destrui, quemlibet comperturum asserunt, qui singula in orationis contextu atque serie diligentius perpendet. Unde etiam in specie Paradisi historiam in meras allegorias ab Ambrosio versam negant, etsi Paradisum, quo Adamus ejectus, cum eo, in quem Paulus raptus est, ubique eundem faciat. Porro cum Ambrosius lib. 1. de Abraham c. 4. scribit, ante Mosis legem & evangelium adulterium non interdictum videri, id Benedictini ita explicant, quod Ambrosius significare voluerit, illis temporibus eam circa adulterium ignorantiam extitisse, quæ etsi non omnino culpam tolleret, non mediocriter tamen eam minueret, aut quod forte Ambrosius nomine adulterii nihil aliud quam polygamiam intellexerit, eaque verbi duritie usus fuerit, ut catechumenos suos efficacius a pellicatu absterreret. Quod Ambrosius librum quartum Esræ, ab *Hieronymo* & aliis rejectum, in libro de bono mortis canonicis Scripturis annumerat, Benedictini exemplo *Clementis Alexandrini* & *Autoris operis imperfecti in Matthæum* excusant, eoque consilio hoc scriptum ab Ambrosio commendatum asserunt, ut Platonem doctrinam suam de animarum statu ab Esra aliisque sacris scriptoribus mutuatum potius, quam Christianos eandem a gentilibus accepisse demonstraret. Porro in eodem libro aliisque in locis statuit Ambrosius, animas corpore solutas in quibusdam habitaculis ad usque generalem resurrectionem servari, ibique mercedem operibus suis debitam, sed ante supremum judicii diem non reddendam expectare; quod etsi minus mirandum sit, cum plerique ecclesiæ Patres de statu animæ separatæ minus accurate sensisse videantur, non absurdum tamen videtur novis Ambrosii

brosii editoribus, si quis Ambrosium animabus separatis visionem Dei attribuisse potius, quam iisdem eam denegasse arbitretur, indeque verba Ambrosii, cum lib. 2. de Cain & Abel c. 2. animam corpore solutam adhuc futuri ambiguam suspendi profitetur, ita accipiunt, quasi Ambrosius non tam de ipsius animæ felicitate, quam de ambigua fratrum salute, aut incerta resurrectionis & judicii die locutus fuerit. Quæ autem Ambrosius in enarratione 12. Psalmorum de judicio extremo, resurrectione mortuorum, & animarum purgatione per ignem disserit, cum ab orthodoxa fide dissentiant, Benedictini sic emolliunt, ut asserant, Ambrosium hæc non tam e sua, quam aliorum ac imprimis *Origenis* sententia protulisse, cum hoc insignium virorum honori dederit, ut eorum opiniones nondum ab ecclesia liquido proscriptas proposuerit. Duriorem Ambrosii de usuris sententiam contra *Salmasium* aliosque defendunt, quorum argumenta nihil aliud esse putant, quam cavillationes, quibus jam Ambrosii ævo fœneratores usi fuerint. Succensent quoque *Dallæo*, quod Ambrosium in explicandis literis Hebraicis mera auditoribus suis somnia narrare dixerit. Etsi enim Ambrosium in eruenda Hebraicorum nominum significatione minus feliciter desudasse, non possint non fateri, ipsi tamen propterea non insultandum, sed imperitiam illam Hebraicæ linguæ conditioni illius ævi tribuendam esse judicant. Cum Ambrosius divinitatem a Christo morituro discessisse scribit, id tantum de effectu divinitatis intelligendum esse tradunt. In verbis Ambrosii: *lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego*, cum ea doctrinæ Pontificiæ de pœnitentia non conveniant, voce satisfactionis defensionem intelligi statuunt. Peccare Ambrosium asserit *Estius*, cum Petri peccatum nimis extenuat. At Benedictini sibi persuadent, in tota Ambrosii commentatione (lib. 10. in Evangel. Luc.) nihil occurrere, unde colligi queat, Ambrosium Petri peccatum pro mortali non habuisse. Cætera quæ pro Ambrosio vel defendendo, vel ad partes suas trahendo proferunt, omnia congerere non est hujus loci.

Cæterum ut eo castigatior hæc Ambrosii editio prodiret, non contenti Regia, Colbertina, Sorbonica aliisque Parisiensibus bibliothecis, etiam Vaticanos consuli codices, variasque insuper lectiones, quibus Xystus V olim usus fuerat, describi curarunt. Subsidio præterea fuerunt manuscripta, quæ & suæ congregationis &

nis, & aliorum ordinum, cum in Gallia tum in aliis provinciis bibliothecæ suppeditarunt. Speciatim commendant *Joh. Baptistam de Noyville* Priorem Abbatiæ Vallis claræ prope Laudunum, qui ex monasterii sui codicibus sermones quosdam nondum editos propria manu descripsit, item *D. Tonnellerium* Can. Vict. cui varias lectiones, quas ad editionem Ambrosii sibi propositam collegerat, acceptas referunt, & *Stephanum Baluzium*, qui præter Colbertinos Ambrosii codices, varias lectiones sermonum & epistolarum Ambrosii, ex optimæ notæ manuscriptis excerptas, liberaliter communicavit.

Elenchus codicum manuscriptorum pariter & editorum, ad quem exacti & castigati sunt Ambrosii tractatus primo hoc volumine comprehensi, sub finem exhibetur, cui & alii indices subjuncti, scilicet locorum Scripturæ, rerum & sententiarum, item verborum, dogmatum & rituum in notis explicatorum, & postremo variarum lectionum, quæ inter omissas non contemnendæ videbantur.

L' ESPION DU GRAND-SEIGNEUR & ses Relations secretes &c. i.e.

Explorator Turcicus, ejusque Relationes secretæ Constantinopolin missæ, res maxime memoratu dignas, quæ regnante LUDOVICO MAGNO contigerunt, complexæ. Ex Arabico versæ a Joh. Paulo Marana.

Amstelodami, apud Henr. Wetstein, 1688, in 12.

PRodiit jam Operis hujus pars prima, velut specimen quoddam, anno 1684: neque opus est nunc repeti, quæ de eo in *Actis* illius anni, mense *Septembri* pag. 404. fuerunt commemorata. Monuisse ergo lectorem benevolum sufficerit, Epistolis triginta, quibus res gestæ annorum 1637 & 1638 parte prima fuerant comprehensæ, 72 alias (ut in universum 102 nunc exstent) parte II, III & IV adjectas, iisque pari sub schemate, ut in parte prima factum loco citato diximus, enarrari quæ observatu digniora annis 1639, 1640, 1641 & 1642

& 1642 contigerunt. Subjungitur in fine indiculus, singularum epistolarum argumentum paucis verbis exhibens, ut seligere sibi quisque possit, quibus perlegendis tempus putet impendendum.

NOTITIA CONCILIORUM HISPANIÆ atque novi orbis, epistolarum decretalium & aliorum monumentorum sacræ antiquitatis ad ipsam spectantium, magna ex parte hactenus ineditorum, quorum editio paratur Salmanticæ cum notis & dissertationibus, sub auspiciis Catholici Monarchæ Caroli II, studio & vigiliis M. Fr. Josephi Saenz de Aguirre.

Salmanticæ, apud Lucam Perez, universitatis typographum A. 1686, in 8.

INtegrum pene seculum excurrit, ex quo *Garsias Loaysa*, omnia, quæ reperire potuit, Hispaniæ concilia in unum corpus collecta & notis illustrata, Madriti publicavit. Verum longe majori apparatu *Josephus Saenz de Aguirre* Benedictinus, in Salmanticensi Academia primarius S. Scripturæ interpres, Regii ac supremi inquisitionis Hispaniarum Senatus Censor & a secretioribus consiliis, & collegii S. Vincentio sacri semel iterumque Abbas, haud ita pridem a Pontifice Romano inter Cardinales cooptatus, Hispaniæ concilia aliaque ad Hispanos spectantia antiquitatis ecclesiasticæ monumenta conquirere, aut potius undique jam conquisita cum suis & aliorum commentariis & dissertationibus prælo committere molitur.

Sciagraphiam totius operis in quinque tomos digesti prodromus hic libellus exhibet, quem, etsi indicis tantum vicem præstet, & solos ferme titulorum cortices offerat, intactum tamen relinquere noluimus, cum non ingratam fore lectoribus qualemcunque majorum, quæ parantur, voluminum notitiam speremus. Accedit, quod cum rarius ad nos perveniant libri in Hispania impressi, in tanta paucitate ne minores quidem prætermittendi viderentur.

Primus igitur tomus in exhibendis Hispaniæ conciliis usque ad A. C.

ad A. C. 569, ſecundus ad usque 712, tertius usque ad annum 1135, quartus usque ad ſeculum decimum ſextum, & quintus denique usque ad annum præſentis ſeculi decimum procedet. Singulis tomis inſerentur Pontificum Romanorum aliorumque epiſtolæ, vel ad Hiſpanos vel in Hiſpania exaratæ, item vitæ Hiſpanorum quorundam Præſulum, pluresque eorundem integri tractatus, quos omnes recenſere nimis longum foret; quapropter tantum præcipua primi & ſecundi tomi monumenta enarrabimus.

Primus ergo tomus præter concilia & epiſtolas continebit vitam ſeptem primorum Hiſpaniæ epiſcoporum, qui ab Apoſtolis Petro & Paulo ſunt miſſi in Hiſpaniam; *Paciani* paræneſin ad pœnitentiam, cum epiſtolis Antinovatianis; vitam Hoſii & Gregorii Illiberritani incerto autore ſcriptam; vitam *Damaſi* ejusdemque opuſcula nonnulla, *Conſtantini Cajetani* Abbatis ſtudio ex antiquis MSC. eruta; chronicon *Idacii* Lemicenſis in Gallæcia epiſcopi; fragmentum illuſtre carminum ſacrorum *Merobaudis* Hiſpani, ducis fortiſſimi & Poetæ in Idaciano chronico laudati: commonitorium *Orientii* epiſcopi Illiberritani, a *Martino Delrio* quondam editum & notis illuſtratum; *Martini Braçarenſis* librum de differentiis quatuor virtutum cardinalium, in bibliotheca Patrum editum, aliosque ejusdem tractatus nunc primum prodituros.

Inter ſecundi tomi concilia variasque epiſtolas comparebit chronicon *Johannis Biclarenſis*, olim ab *Henrico Canisio* & *Joſepho Scaligero* vulgatum, nunc ex MSC. eccleſiæ Toletanæ corrigendum & incerti autoris additione augendum; *Johannis Corteſii* diatribe de vera origine catholicorum Hiſpaniæ Regum; *Stephani Baluzii* diſſertatio de epiſcopatu Egarenſi; *Siſebuti* Hiſpaniæ regis monumenta nunquam hactenus edita; vita & miracula Patrum Emeritenſium, autore *Paulo Emeritenſi* Diacono; *Iſidori Hiſpalenſis* de claris Scriptoribus tractatus, cum *Braulionis* aliorumque appendicibus; vita Æmiliani a *Braulione* ſcripta, & a *Sandovalio* Pampilonenſi epiſcopo publici juris facta, nunc ad exemplar Toletanum exigenda; *Eugenii Toletani* liber variorum epigrammatum; *Tajonis* Cæſaraugustani epiſcopi præfatio in quinque libros ſententiarum, ex operibus Gregorii M. a ſe collectos cum notis *Mabillonii*, ejusdemque Tajonis præfatio in Gregorii M. moralia; vita *Ildephonſi* variis

variis autoribus; vita *Fructuoſi*, ejusdemque regula monachorum & epiſtola ad Reccaredum; *Valerii* Abbatis opuſcula; hiſtoria de conjuratione Pauli Ducis Galliæ adverſus Wambanum Regem ſcripta a *S. Juliano*; & index antiquiſſimus canonum omnium, contentorum in conciliis & decretis ſummorum Pontificum, ex MSC. Mondexarenſi in lucem proferendus.

Ad ſingulos quoque tomos, pro illuſtrandis Hiſpaniæ conciliis & aliis antiquitatibus eccleſiaſticis, accedent diſſertationes in univerſum centum viginti quinque, quarum argumenta hoc libello indicantur. Editionem ampliſſimi hujus operis Illuſtris Autor epiſtola Hiſpanica ipſi Regi Catholico, & epiſtola Latina Comiti de Oropeſa ſummo rerum Hiſpaniæ Adminiſtro diligentiſſime commendat. In præfatione autem ad Lectorem id imprimis agit, ut virorum illuſtrium Hiſpanorum & exterorum, quorum beneficio theſaurum hunc collegit, benevolentiam deprædicet. In his Cardinalis *Portocarrero*, Hiſpaniæ Primas, cujus auſpiciis gazophylacium eccleſiæ Toletanæ manuſcriptis codicibus refertiſſimum ipſi patuit, ex quo pleraque deprompſit, quæ hactenus ἀνέκδοτα fuerunt, *Michaelis de Olmo* Canonici ac bibliothecarii Toletani cura ac ſtudio deſcripta; item D. *Caſpar de Mendoza* Marchio Mondexarenſis, qui ipſi communicavit duo manuſcripta volumina, quæ olim fuerunt *Cardinalis Quirogæ*, quibus plurima monumenta & concilia Hiſpaniæ nondum edita comprehendi ſcribit, quæ ſeculo præcedenti ex antiquis MSC. *Johannes Baptiſta Perez* Canonicus Toletanus & poſtea Epiſcopus Segorbricenſis ſtudioſe collegerit, ut cæteros, quorum ſubſidio gaviſus eſt, taceamus. Clauditur hæc notitia conciliorum Hiſpaniæ indice chronologico Pontificum Romanorum, Gothorum Hiſpaniæ Regum, nec non Regum Legionis ac Caſtellæ, ac denique Præſulum Toletanorum. Quantum autem ex prævia hac ſynopſi cognoſci poteſt, in toto hoc opere omnia ſic agentur, ut Aguirre purpuram Cardinalitiam non gratis impetraſſe videatur. Gratiſſimum vero futurum illud orbi Erudito & Antiquitatum inprimis Eccleſiaſticarum cultoribus, ſumptusque, quos tam vaſti operis editio requirit, optime iri collocatum, nemo erit qui dubitet.

MARTYROLOGIUM ECCLESIÆ GERmanicæ Pervetuſtum, quod per ſeptingentos annos delituit: e membranis deſcriptum & libro commentario illuſtratum a Matth. Frid. Beckio.

Auguſtæ Vind. apud Gœbelii viduam, 1687, in 4.

CUm ad exquiſitiorem magisque expletam Martyrum hiſtoriam non parum conferat, natales eorundem dies in numerato habere, nullus dubitavit Auctor, quin ejusmodi vetuſtatis monumentum, quod Martyrologium inſcripſerat antiquitas, quodque hactenus cum blattis concertans in tenebris delituerat, ab inſtante interitu vindicaret, publicique juris faceret. Nec minus movit eum deprehenſa toties cum ſimplicitate antiquitas, qua omnibus hactenus editis par & probatione æque firmum, dignumq; in quo inquiſitionis ſuæ diligentiã collocaret, viſum fuit. Poſtquam itaq; ipſum Martyrologium, prout exaratum illud reperit, oculis ſubjecit, in elogiis ejus per IV. capita occupatur. Etſi enim prolixum *de vitis actisque Martyrum Commentarium*, quem quidem ex mente *Valeſii* Martyrologii ratio poſcit, Tabulæ ejus haud ſiſtant, ſed nudum *Kalendarium*, *Nomenclatorem*, *Martyrumque indiculum*; maluit tamen *Martyrologium*, quam *Faſtos*, *Laterculum*, *Menologium*, Δίπτυχον, quove alio nomine venire poſſet, opuſculum ſuum inſcribere, cum quod etymi ratio non repugnavit, tum quod MS. codex titulum hunc in fronte geſſit, quem mutare religioni ipſi fuit. De primo auctore ſolicitus, ex collatione cum omnibus ſibi cognitis Græcorum, Latinorum, aliorumque martyrologiis, quæ prolixe recenſet, obſervavit, cum nullo per omnia, cum *Bedæ* in eo convenire ſuum, quod in illo, prout apud *Bollandum* proſtat, complures dies & utrobique ferme iidem vacui relinquantur. Hinc conjectura ductus eſt, auctorem hujus Martyrologii anonymum fuiſſe Seculi VII Presbyterum, ſive Monachum. Quod ut confirmaret, & ſimul epocham determinaret, multa argumenta congeſſit, quæ antiquitatem codicis aſſerunt. Qualia ſunt, tum quod codex membranis inſcriptus, non a Kalendis Januarii, ſed antiquo more a 25. die Dec. anni primordia capiat: tum quod Martyres, Confeſſores Sanctique antiqui omnes ſint, qui ante annos ad minimum

nimum octingentos vixerunt: tum quod ſimplex ſit, ſolos Martyrum natales dies & nomina complectens: tum denique quod plures dies (numero LI) vacui appareant, evidenti antiquitatis argumento, cum creſcente demum Sanctorum numero Martyrologia expleta fuerint. Addidit his quod *Necrologium*, ſit licet a poſteriore manu adjectum, antiquitatem præ ſe ferat, ſtyli & tenuiorum Eccleſiæ dotium indicio. Nec fraudi ſibi eſſe cenſuit recentiores uſu voces *Papæ*, *Confeſſoris*, *Depoſitionis*, quæ in *Roſvveydiano Martyrologio* tanquam ſequioris ævi characteres notantur apud *Florentinium*, quibus breviter reſpondit. Inde rationibus conficit, Seculo VII ante ipſius *Bedæ* Martyrologium, ſuum eſſe conditum, *Gregoriano* ferme coævum, cum quo de ſimplicitate certet idq: tantum non ſuperet. Ulterius Aſtronomico computo ex *Termino Paſchali* producto aſſerit, A. C. 343, poſt Concilium Nicenum, vel certe 438, a Cyrillo Alex. literis conſignatum eſſe *Prototypon Kalendarium*, cui ſuum, Bedæ, omniaque iſtius ætatis alia ortum debeant. Ac ubi in mentem venit ſubvereri, rectius ne an ſecus calculi ratio ſeſe habeat, cum multa recenſeantur, quæ Seculum VII. excedunt, ut memoria *Ottiliæ*, *Eucharii*, *Willibrodi*, *Bonifacii* &c. qui Seculo VIII fatis conceſſerunt, *feſta omnium Sanctorum*, *Leonis IV. Huldrici Confeſſoris*, qui ad Sec. IX & X referantur; item quod eodem charactere martyrologium totum ſit conſcriptum: hæc omnia ut conciliaret, temporis diſtinguendi cauſa, certa intervalla conſtituit, quibus diverſa Martyrologii ætas circumſcribatur. Scilicet ex Autographo Sec. VII cœpto, per bina vel trina ſecula ſucceſſive interpolato & aucto, ſuum deſcriptum eſſe Apographum: ſive, primum Martyrologii auctorem Sec. VII, librarium vero X vixiſſe. Nec difficile ipſi fuit, titulum operis tueri, quando *Germanicæ Eccleſiæ* idem adſcripſit. Quanquam enim Martyrologium qua maximam partem toti Eccleſiæ Francicæ, ſive Germanicæ, imo univerſæ Latinæ Occidentali commune fuit, Germanicæ tamen certæ peculiare fuiſſe, indicio natalium aliquot dierum, purpurato charactere inſignium, evicit. Tales namque eorum martyrum dies obſervavit, quorum reliquiæ Turonibus, Metis, Treviris & in vicinia Argentorati, unde etiam codex ad auctoris manus pervenit, aſſervabantur, & ab Eccleſiis his memoriæ ſolenniores celebrabantur.

Hinc ad ipsum Martyrologium progreditur Auctor, & expositis per integrum caput singularib9 Kalendarii observationibus Mathematicis, ipsos dies notarum accessione illustrare pergit. Primo ipsi curæ fuerunt dies rubrica notati & hoc charactere immobilia veteris Ecclesiæ festa, nec omisit, ubi singulare aliquid in codice suo observaverat. Post quædam interjecta, quæ explicationi hujus argumenti cognata consentaneaque sunt visa ex antiquitatibus martyrologicis, de origine rationeque cultus Sanctorum, horumque distinctis classibus, specialem eorundem recensionem subjunxit. Seriem sub mensium circulis concluſit, ac præter diem natalem, locum atque tempus passionis & depositionis annotare desudavit, atque in excursus sæpe abiit. Præterea ut vera atque accurata omnium series cognosci statim & in numerato haberi possit, quadruplicem indicem, temporis, dignitatis, loci & nominum secundum Alphabeti seriem dispositorum, subjecit. Restabant quæ Lectori scrupulum injicere possent, confusæ martyrologiorum Kalendæ & discrepantes natales dies, quando martyrum dies vel in contiguum diem relati, vel repetiti, nomina propria locorum, passionis & depositionis depravata deprehendebantur, quæ omnia prolixa & secundum mensium seriem iterum instituta exemplorum inductione confirmavit. Cujus rei quantum investigare & consequi potuit, id factum arbitratur, tum a diversis auctoribus, Græcis, Latinis, Æthiopibus, Coptitisque, pro varietate regionum diversa in honorem Martyrum tempora constituentibus, hæreticis etiam historiam corrumpentibus: tum a librariis hujus rei ignaris: tum a violentis editorum, Romanensium maxime, manibus, in martyrum priscorum locum recentiores substituentium. Cui malo quomodo possit remedium inveniri, consilium iniit & adjecto speciali vacuorum dierum catalogo, finem operi imposuit.

THEATRE DE LA TURQUIE, PAR LE Sr. Michel Fevre.

id est

Thea-

Theatrum Turcicum, in quo exhibentur res maxime memorabiles, quæ hodie circa mores, regimen, consuetudines & religionem Turcorum, & tredecim aliarum nationum in Imperio Ottomannico habitantium, in usu sunt, recentibus historiis confirmatæ per Michaelem Fabrum. Accesserunt considerationes & objectiones, quas Dn. Salcedo adversus expeditionem ad acquirendum regnum Turcicum fecit.

Lutetiæ, apud E. Couterot, 1686, in 4.

SI liber hic prius quam *Vignavii* ille, qui mense Decembri Actorum anni proxime præteriti p.677 memoratus est, ad nos perveniſſet, potuiſſemus Vignaviani illius opusculi enarratione supersedere. Pauca enim in illo exhibentur, quæ lectores in opere hoc longe prolixiori non invenient. Ut vero hoc ipsum, etsi jam A. 1681. prima vice ex typographia prodiit, silentio non præteriremus, movit nos insigne autoris studium, quo Regem Christianissimum multis rationibus ad bellum contra Turcos stimulare ausus est, idque antequam Vienna a Turcis obsessa & cum ingenti illorum damno liberata esset, atque adeo ante secutos successus, *Vignavio* observatos, quos divina benignitas Imperatori nostro Augustissimo, ejusque fœderatis largita est, quanti nulli majorum a tempore, quo Germania & Hungaria cum immani illa gente conflictata est, contigerunt. Quamvis vero hinc summe tempestivum jam videatur, ut Christiani orbis Principes, positis dissidiis politicis & ecclesiasticis, consilia ac vires adversus nutantem barbarorum potentiam jungant, nec obscurum sit, quantum contribuere valeat Rex potentissimus & felicissimus; id omne tamen dependet ab eo, *in cujus manu sunt corda regum.* Nostrum interea est vota & preces concipere, tum etiam, quæ rerum Turcicarum periti in medium proferunt, non negligere. Autorem quidem hunc, neque fama, neque ex aliis scriptis notum habemus. Referimus ergo, quæ ipse de se in præfatione operis inter alia indicat. Octodecim nempe annis in regionibus Turcicis versatum se ait, & linguas usitatiores,

nempe *Turcicam*, *Armeniam*, *Arabicam* & *Curdorum* didiciſſe, ſine quibus perfectam nationum illarum cognitionem negat cuiquam contingere poſſe. Allegat autoritatem Pontificiam, qua injuncta ſibi fuerit operis hujus elaboratio. Scopum ſibi præfixum dicit, ut detecto ſummo Turcicarum virium decremento, conſultiſſimum eſſe evincat, ut Rex Chriſtianiſſimus reſervatam ſibi gloriam eſſe agnoſcat, opprimendi Turcici dominatus, & oſtendit, eum vel ſolum ſatis ad id præſtandum virium habere. Hoc ait Chriſtianos, qui ſub jugo Ottomannico gemunt, ſperare, exiſtimantes, omnes Regis victorias in Belgio, in Hiſpania & Germania obtentas, viam ad tanta molimina ſtraviſſe: metui id ab ipſis barbaris, per vaticinia dudum territis, & deprehenſa potentiæ ſuæ ruina. Huc denique ut conſilia ſua conferat, hortatur & orat Miniſtrum regium celeberrimum *Marchionem de Louvois*. Addit excuſationem ſtyli ſimplicis, & quoniam multa de religione commentatur, tum ad Turcorum inſanos errores refutandos, tum (quod plurimi ſcriptores in Gallia, populari quodam more aut impetu nunc faciunt) ut Proteſtantium dogmata quavis occaſione perſtringat, dicta ſua omnia Eccleſiæ Romanæ judicio ſubmittit. Cæterum cum de religione & moribus Turcorum multi autores non minus periti ſcripſerint, quorum monumenta in Actis noſtris jam extant; maxime vero quæ de cauſis imminutæ potentiæ Turcicæ dici poſſunt, in nupera recenſione libri ſupra nominati copioſe expoſita ſint: pauca ex hoc *Fabri* opere excerpſiſſe ſuffecerit, quæ rariora ſunt viſa.

Ab initio operoſus eſt Autor in exponenda origine Sectæ Turcicæ, ejusque immanium & abſurdorum errorum. Narrat tamen ut paradoxon, quod de ſanctis, quos Chriſtiani ex Romano ritu colunt, præcipue vero de Virgine Deipara non ſolum magnifice ſentiant, ſed & auxilium eorum implorent; tum quod miracula a Salvatore noſtro edita fuiſſe non ſolum credant, ſed & alia ei tribuant, de quibus in libris Evangelicis nihil proditum eſt. Inde cum diverſis capitibus vitia apud Turcas regnantia, atque defectus notabiles deſcripſiſſet, operoſiſſime de quatuordecim ſectis religionum in Turcia agit. Ex his ſeptem ſunt infidelium, nempe *Turcarum*, *Arabum*, *Curdorum*, *Turcomannorum*, *Jezidum* (quos ait valde etiam Chriſtianis favere, & triginta millia armatorum promiſiſſe, Gallico

Gallico exercitui jungenda, ſi Turciam invaderet) *Druſorum* & *Judæorum*. Totidem recenſentur *Chriſtianorum*, quæ ſunt *Græcorum*, *Armeniorum*, *Jacobitarum* (quos refert Patriarcham Romano-Catholicum elegiſſe, ejusque literas ad Pontificem Innocentium XI ſcriptas p. 457 exhibet) *Neſtorianorum* ſeu Chaldæorum, *Maronitarum*, *Cophtorum* ſeu Abeſſinorum, & *Solarium* ſeu Chamſorum. De Abeſſinis refertur, quod olim quotannis in vigilia Paſchali, immiſſo in S. Sepulchrum Sacerdote ſuæ gentis, miraculum produxerint, nempe ut lumen ex ſepulchro ſubito emicaret; poſtea corruptis per largitiones Turcorum prætoribus, id jus ad Græcos translatum fuerit, & hodie exerceatur. Narrat autem p. 498. ut Baſſa quidam, qui antea Chriſtianus fuerat, Patriarcham atrocibus minis compellere voluerit, ut fateretur, verumne eſſet illud miraculum, an confictum; & quomodo Patriarcha ab ancipiti quæſtione ſeſe expediverit, Prætorem monens, ſi falſum erueret, quanto damno rei Turcicæ id facturus eſſet; neque enim tantum peregrinorum numerum Hieroſolymam venturum eſſe, ſi fraus patefieret. Interim autor fictum id miraculum eſſe aſſerit, & lumen illud arte ſcribit procurari. *Solares* aut *Chamſos* vocat, qui templis & cultu externo deſtituti, Solem olim adorare credebantur. Propoſitum tamen iis, additis minis, fuiſſe ait a Baſſa, ut aut Mahometiſmum aut aliquam Chriſtianorum in oriente ſectam amplecterentur; itaque ab aliquot annis Syris ſeu Jacobitis eos ſeſe aſſociaſſe. Recenſet inde tum ritus & errores omnibus orientalibus communes, tum in quibus cum Romana fide conveniant. Inter hæc ponit dogma de *transſubſtantiatione*. Refert, ſua opera atteſtationes quasdam ab *Antonio Arnaldo* impetratas, (quibus is contra *Joh. Claudium* uſus eſt,) Gallice verſas eſſe, & Reformatorum exceptionem rejicit, quaſi atteſtata illa ab iis data fuiſſent, qui ad Romana ſacra ex nationibus illis per Miſſionarios converti ſolent. vid. p. 513. & ſeq. Quanquam vero ex omnibus iſtis narrationibus argumenta ſumat, ad demonſtrandum peſſimum Turcici imperii ſtatum, ob tot enormes defectus in ſacris & civilibus; ſpeciatim tamen capite XXXI. demonſtratum it, qui fiat, ut ex tam ſpatioſis provinciis exigua incrementa fiſci & virium Imperator Turcorum accipiat. Quæ enim loca aliis eripiunt, ipſi colonis orbant; reditus deinde Imperatori adjudicant,

dicant, qui non possunt nisi exigui esse ex regionibus in solitudinem redactis, & quæ ob præsidia illis imposita, horumque latrocinia, & distributos equestri militiæ agros, nunquam ad pristinas opes restitui possunt. Probat hoc exemplis diligenter a se, ut refert, indagatis, & ex Babylonica provincia vix tantum sumi ait, quantum ad præsidiarios alendos requiratur. Ex Arabia dimidium non percipi summæ, quam ex aliqua sua provincia Rex Galliæ capiat. Ex Smyrnæ vectigalibus, totius licet Turciæ optimis, non ultra centum viginti scutatorum millia ad Imperatorem quotannis pervenire. Quicquid igitur de magnis Turcici Imperii opibus jactetur, in majus auctum esse, & se ex Legati Gallici *de La Haye* accurata perquisitione didicisse, reditum Imperatoris annuum pluris quam quadraginta millionibus librarum Gallicarum (tredecim aut paulo plus scutatorum) non esse æstimandum. Computat autem octo milliones ex Christianorum & Judæorũ indigenarum tributis; septem ex vectigalibus & impositionibus annonæ; duodecim ex fisci proventibus, (*parties casuelles*) quorum dimidia parte fraudari fiscum ait; quatuor ex prædiis fisci seu *domanii* Imperatorii; totidem ex Principum & Rerumpubl. vicinarum tributis; tres ex Ægypto & Cypro; duos ex tributis quæ rei navalis causa exiguntur. Non negat tamen, ab autore recenti libri Galljci, qui dicitur *Speculum Imperii Ottomannici*, septuaginta milliones, ab aliis etiam plus memorari; sed exaggerationes istorum reprehendit, tum in hoc articulo, tum in aliis, v. g. quod dicat, linguas triginta tres in Turcia usitatas esse, cum non nisi novem reperiantur, Arabica, Turcica, Armenia, Curda, Græca, Slavonica, Syriaca, Hebræa & Russica, quarum duas postremas Judæi tantum & mancipia ex Russia loquantur. Deinde quadraginta regna, & centum ac novendecim provincias, Turcis tribui solere inani jactantia, cum in toto imperio centum urbes muris clausæ non inveniantur. *Mediæ* regnum nominari, ubi nullum sit oppidum, quod memorari mereatur. Regnum *Erzerum* non nisi a quinquaginta millibus omnis sexus & ætatis hominibus coli. *Bulgariæ* regnum mediocrem esse regionem, prorsus fere desolatam. In civitatibus oræ Africanæ parum autoritatis habere Turcos, neque has potiores esse urbibus quibusdam Gallicis, *Aurelian*o, *Andegavo* & *Turonum civitate*. Addit alia ad extenuandas

andas illas relationes, v. g. in Cypro insula, cui septem provincias assignant, loco 15 urbium, quæ olim fuerunt, nunenon nisi *Nicotiam* & *Famaugustam* oppida supereſſe, & in iis tam paucos incolas, ut in utraque urbe ultra quindecim hominum millia numerari nequeant; pariaque decrementa ubivis deprehendi. Denique non nisi umbram pristinæ felicitatis in imperio Turcico reperiri, & in Tabulis urbes poni, quarum nullum extet vestigium. Concludit, quantumcunque spatium terrarum Turci possideant, tot tamen urbes totque vicos non habere, quot solum Regnum Galliæ cum regionib9 noviter acquisitis habet; Galliam vero longe frequentius habitari. Ut id probet, indicem parallelum urbium Turcicarum & Gallicarum p. 527. & seqq. exhibet, & compositis quas unius fere magnitudinis esse arbitratur, pro Gallia pronuntiat; vicis vero vacuum fere esse notat Turcorum Imperium p. 534. Quam facilis autem sit illius expugnatio & occupatio, ex debilitate locorum non solum in mediterraneis, sed & in ora maritima argumentatur, tum quod tertia pars incolarum Christi fidem professa, aggressoribus accessura sit. Addit testimonia vatum, *Joachimi Abbatis*, *S. Nersis* Armeniorum Patriarchæ, *S. Catalii Tridentini* Episcopi & *S. Angeli* Carmelitæ, item vetus ex *Berobii Patrensis* libro a S. Hieronymo versum, eaque Regi Christianissimo applicat; hunc enim evidenter indicari ait, qui finita hæreticorum, quos vocat, oppressione Turcos quoque subacturus sit. Apponit Clementis X Papæ verba, quibus usus est, cum Regem gladio consecrato donasset. Vid. p. 536, 537, 538. Tandem ad objectiones Salsedi, clerici Flandri, quem Regi consilium de subjuganda alia propiori provincia dedisse, & expeditionem adversus Turcos disuasisse refert, p. 539 pluribus respondet. Objecerat autem ille (1) defectum annonæ in provinciis desolatis. (2) caloris æstivi in illis regionibus noxiam Europæis intemperiem. (3) felicitatem Turcorum, qua semper novos progressus adversus vicinos fecerint. (4) dissidia inter Principes Christianos. (5) uniendi eos summam difficultatem. (6) equorum inopiam, quorum tamen magno numero ad bellum illud opus sit. (7) ruinam commerciorum cum Turcis, ex quibus Galli nunc magnum fructum capiant. (9) exempla infelicis successus bellorum, olim a cruce signatis in Oriente gestorum. (9) Principum invidiam, qui Regi

Turcico bello occupato, domi turbas sint excitaturi. (10) conservandi, etiamsi occupatio succederet, terras tam vastas & longinquas difficultatem. Sed ad ista & alia, quæ a p. 540 ad 550 legi possunt, multa reponit autor, & obstacula omnia removeri posse confidit. Pauca saltem ex iis afferimus, quæ ad objectionem 5, 7 & 9. regerit. Æmulationem Principum impediri posse ait, si non mixtis copiis, sed quisque certas hostium regiones separatim aggrediantur; *Imperator*, puta, Hungariam cum finitimis regionibus; *Veneti* Dalmatiam, Peloponnesum, Cretam & quasdam Ægæi maris insulas; *Poloni* regiones Pontum versus; *Moschi* Sarmatiam seu Ukrainam; *Hispaniæ Rex* Africam; *Gallus* Constantinopolin, Græciam & minorem Asiam: nec Persas cessaturos in invadenda regione Babylonica seu Assyriaca. Pacem vero inter Christianos vel inducias saltem ad triennium fieri, minime impossibile, neque verisimile esse, si Galliæ Rex cum Italis & Polonis fœderatus bellum illud gereret, quod Imperator & Hispaniæ Rex interim Galliam, cum æterna nominis sui infamia & impietatis nota invasuri sint, quanquam & huic malo diligenti finium custodia prospici possit. Concedit tamen tandem vix suaderi posse, hoc bellum Galliæ suscipiendum, nisi prius provincias illas, quas Salsedus (Belgicas sine dubio) proposuit, Rex subjugaverit. Pro conservatione acquisitarum in Turcia regionum inter alia monet, armis privandos esse incolas, sed moderato imperio & sub tolerabili tributo habendos, moribusque eorum in custodiendis fœminis indulgendum; alias intolerabilem illis licentiam Europæam futuram esse. Capite XXXII sive *ultimo*, causas affert, cur in statu illo pessimo, quem descripsit, nihilominus subsistat Turcorum dominatio; inter quas ut primariam collocat divisionem inter Principes Christianos; addit summam severitatem, qua seditiosi & suspecti in Turcia opprimantur; continuam Satraparum seu Prætorum mutationem, eosque exhauriendi & debilitandi modos; incolarum ex una in alteram regionem translationes; cautelam Turcorum, nunquam cum duobus hostibus simul bellum suscipientium; lubricitatem fidei, qua adversus pacta omnes occasiones vicinis nocendi arripiant; coemtionem mancipiorum, quæ ex toto pene orbe per Tartaros & Arabes in Turciam venalia convehuntur; tum despoticam & absolutissimam

mam Imperatoris potestatem, & tandem quod omnes qui nobilitate vel alia ratione eminent, supprimat, & non nisi servos servilisque ingenii homines ad munia & dignitates evehat.

Esset hic locus Illustris Viri *Jobi Ludolphi* Meditationes de bello Turcico feliciter conficiendo, Francofurti anno 1686 editas recensendi, nisi elegantissimum libellum in omnium manibus dudum versari, operamque adeo hanc supervacaneam fore sciremus. Interim optamus, ut *Commentarius Æthiopicus*, cujus ad typum jam parati Vir celeberrimus specimen nuper & summam Orbi Erudito communicavit, lucem publicam propediem aspiciat, argumenti varietate atq; amplitudine insignis, omnibusq; qui Historiã ejus Æthiopicam Abessinorum legerunt, imo & aliis merito desiderandus.

BARTHOLOMÆI LEONHARDI SUENDENdorfferi, Antecessoris Lipsiensis, Actionum Forensium expositionis specialis Sectio Secunda.

Lipsiæ & Francofurti, sumtibus G. H. Frommanni, 1688, in 4.

CUm meminerimus, nos ante hoc triennium libri hujus de novo in lucem prodeuntis, tantisque accessionibus locupletati, Partem primam Lectori benevolo insinuasse: non possumus quin eidem, continuationem laboris hujus utilissimi dubio procul avide expectanti, præsentis quoque sectionis editionem intimemus; maxime quod ea quantaquanta est, operi de novo nunc adjecta sit, nec ullum fere ejus vestigium in priori editione compareat. Videlicet substiterat in prima libri parte Nobilissimus Autor in materia de Actione Confessoria & Negatoria, & quidem Directa, quæ per singulas species exposita *primam* sectionem absolverat. Nunc proinde ad *alteram* fit progressio, quæ Utilem Confessoriam ac Negatoriam, ob varia jura, Servitutibus quadantenus similia competentem, tractat; de qua tamen hactenus non nisi membrum primum prodit, *Ecclesiasticis* juribus dicatum. Sigillatim ibi per singulos articulos notiora ejus generis jura ecclesiastica, tam apud Nostrates, quam Pontificios obvia, quatenus vel vindicanda, vel amolienda sint, percurruntur: quorum quidem messis adeo fertilis fuit,

ut integris 488 articulis totidemque actionum formulis, quibus unicum hoc membrum constat, materiam subministraverint. Cæterum de operis vel methodo, vel utilitate, non est cur plura hic addamus; cum illa quidem ex parte I. jam affatim perspici valuerit, hæc vero omnibus, maxime qui in foro causis orandis operam navant, dudum innotuerit: quapropter nil superest, quam ut Consultissimo Autori vitam otiumque apprecemur, quo residuas etiam laboris hujus partes æque feliciter pertexere publicoque communicare liceat.

JOURNAL DU PALAIS,

seu,

Ephemerides Fori.

Pars Decima.

Parisiis, apud Dionysium Thierry, & Joh. Guignard, 1686, in 4.

SErius nonnihil ad nostras manus liber hic pervenit, ante biennium quippe jam in lucem editus; alioqui citius eundem lectori sistere neutiquam omisissemus, utpote memores promissi, quod in Actis hisce A. 1685. p. 300 fecimus, cum *Nonam Partem* hujusce Sylloges potiorum in summis Galliæ curiis latarum decisionũ recensseremus. Latius ibidem exposuimus, quid de instituto, methodo, autoribus atque usu proficui illius laboris habendum sit: quæ cum singula huc non minus quadrent, eadem hic repetere nil attinet, cum facili negotio inde peti queant. Ut adeo nihil aliud inpræsentiarum restet dicendum, quam ut ex ipsis libri contentis ac decisionibus, uti alias fuimus soliti, in gratiam lectoris nonnulla huc transferamus. In *prima* mox Decisione reperitur judicatum, Parentes, utut consenserint, ut filia 15 annos nata in monasterio velum Novitiatus sumeret, posse nihilominus post mutata sententia eandem non renitentem ad se recipere, non expectata ætate professionis capaci, 16. nempe annorum, quæ majorennitas Canonica in Gallia habetur per ordinationem Blesensem. Porro definitur, Donationis mutuæ omnium bonorum inter maritum & uxorem factæ renunciationem invalidam esse, quam uxor sana ad solicitationem mariti

riti morti vicini fecerat, *pag. 13. seq.* Valide a testatore pharmacopœi fidei committi potuisse, ut bona sua secundum voluntatem distribueret, non obstante, quod per statuta Parisiensia medici, chirurgi & pharmacopœi incapaces declarentur qualiscunque liberalitatis ab ægrotis factæ, etiam donationis inter vivos, *p. 22. seq.* Jus exercendi carpenta, rhedasque secundarias, (*le droit de Caleches, carosses & coches*) pro re mobili reputandum esse, & consequenter ejus persecutioni non subjacere, cui omnia immobilia oppignorata sunt, *p. 27. seq.* Extraneum, obtento jure indigenatus, mox post testamentum conditum Lutetiæ mortuum, valide testari potuisse de omnibus bonis, etiam in Normannia sitis; tametsi hujus provinciæ statuta ad firmitatem ultimæ voluntatis requirant, ut quis tribus mensibus facto a se testamento supervixerit, nec plus quam de tertia bonorum acquisitorum parte disposuerit, *p. 170 seq.* Eum, qui tota prope vita Lutetiæ habitavit, at paucos ante obitum menses ad prædium in alia provincia situm semet contulit, aliquoties contestatus, suum ibi posthac fore domicilium, inde tamen Lutetiam iterum reversus ibi mortuus est, censeri utrumque locum pro suo habuisse domicilio, *p. 183. seq.* Facta marito omnium bonorum donatione inter vivos, reservata solum certa summa, de qua donatrici liberum maneret disponere aut testari, quæve, si id non fieret, ad ejus heredes ab intestato devolveretur; donatrice intestata mortua judicatum est, maritum in solidũ teneri ad solvenda debita hereditaria, non etiã heredes ab intestato pro rata acceptæ portionis, *pag. 241 seq.* Emtis ad vitã pro certa summa annuis reditibus, & emtore postea bonis lapso, in censuum istorũ possessionem & perceptionem creditores quidem immitti posse, pensionem tamen ex iis annuam ad vitam emtoris ei haud denegandam, *p. 255 seq.* Immobilibus in Normannia sitis (ubi statuta viduæ & liberis proprietatem tertiæ partis bonorum pro dotalitio adsignant) ob debita anteriora distractis; viduam & liberos non posse petere reparationem tertiæ illius proprietariæ ex bonis in alia provincia, ubi viduæ ad vitam tantum ususfructus bonorum pro dotalitio cedit, *p. 233 seq.* Arvernensi statuto disponente, *ut filia viris parentibus nuptui data, sive dotata sit, sive non, sive successioni renunciaverit, sive non, excluſa sit ab omni successione patris, matris, fratris, sororisve, quamdiu masculus aut ex*

masculo descendentes in ea familia superstant, at desponsata saltem vivis parentibus, si quis eorum ante nuptiarum consummationem moriatur, ab ejus hereditate non arceatur: cum contigisset, filiam viventibus parentibus desponsatam & dote instructam renunciare hereditati in gratiam fratris, & post decedere matrem ante nuptias, decisum est: filiam non obstante renunciatione, una cum fratre in partem hereditatis venire, collata tamen dote, *pag. 257 seq.* Testamentum per codicillarem clausulam non sanari, in quo praeterita fuit filia, & certa tantum ei summa legata, *pag. 282. seq.* Inita super debito civilis interesse Transactione ad certam summam, & promissis in casum moræ usuris, conventionem pro usuraria non reputandam esse: utut in Parisiensi Parlamento usurarum stipulatio penitus interdicta sit in mutuo & huic similibus contractibus, res mobiles concernentibus, *pag. 387. seq.* In Cenomanensi Comitatu (*ubi parentibus prohibitum est, inæqualiter inter liberos bona partiri, liberis quoque interdictum, ne renuncient parentum successioni contenti lucris & subsidiis nuptialibus,*) etiamsi mater pro uno filiorum super pactis matrimonialibus & restitutione dotis fidejussisset, hanc tamen cautione non valere intuitu portionis reliquis liberis ex maternis bonis debitæ, sed tantum quotæ illius, qui uxorem duxerat, *p. 393. seq.* Donationem mortis causa non posse nullitatis argui ex capite praeteritionis liberorum, *pag. 524 seqq.* Plura talismodi afferre omittimus, veriti ne lectoris patientia hoc pacto abutamur. Quemadmodum vero diversarum Galliæ consuetudinum nonnullæ in dictis jamjam allegatæ fuerunt; ita plures multo in libro hoc data occasione subinde adducuntur; v. g. quod in Gallia ætas 25 annorum liberos emancipet ex patria potestate, ac filiis æque ac filiabus libertatem tribuat, vitæ genus pro lubitu eligendi, nuptiasque sine parentum consensu contrahendi; quod iis, qui jam ex primo matrimonio liberos habent, non liceat constituere dotalitium ultra summam in consuetudine definitam, utut hoc aliis liberum sit; quod ibidem nemini permissum sit, crimina accusare, nisi Officiali Regio ad hoc constituto; quod solis Hospitalibus liceat contractum Vitalitium cum aliis pacisci; & hujus generis alia. Optamus de cætero, ut plura praesentis materiæ scripta posthæc ad nos perveniant; aliquo enim abhinc tempore in recensendis Libris

bris Juridicis parciores nos esse jussit operum noviter editorum penuria.

FEBRIS CHINA CHINÆ EXPUGNATA,

seu

Illustrium aliquot virorum opuscula, quæ veram tradunt methodum febres china chinæ curandi. collegit Med. Ferrariensis.

Ferrariæ, typis B. Pomatelli, a. 1687, in 4.

USque adeo febres olim exercebant tyrannidem, ut incassum omnibus adhibitis medicamentis ad ferociam ipsarum demulcendam, Romani non solum, sed aliæ quoque nationes precibus ac votis opus habuerint. Templum hinc duplex, testante Plinio, Romæ fuit exstructum Febri, inscriptionemque hanc ad sacellum Ostrobiense in Transylvania fuisse repertum, ex antiquitatibus Stephani Samosii discimus, *Febri. Divæ. Febri. Sanctæ. Febri. Magnæ. Camilla. Amata. Pro. Filio. Male. Affecto. P.* Quis hæc videns subsequens ævum haud felix dixerit, quo infinita remedia adversus omnis generis febres medentium concio invenit? Magis tamen dubio sine nostræ ætati gratulabitur, ubi etiam pervicacissima quartana, hactenus de Medica arte constanter triumphans, medicamento ex Peruvia a PP. Soc. Jesu Romam primum a. 1650, postmodumque ad nostras oras transportato victa, cedere ac cadere non infrequenter visa est. Quo vero magis omnibus innotesceret egregium hoc medicamentum, placuit praesentis scripti autori illustrium aliquot virorum opuscula, veram methodum per chinam chinæ curandi febres tradentia, ex Zodiaco Gallico excerpere, notisque ac observationibus propriis aucta conjunctim divulgare. Opusculum primum Nicolaum Blegny agnoscit auctorem sub titulo, *Remedium Anglicum pro curatione febrium ex mandato Regiæ Christianissimæ Majestatis publici juris factum*, additis observationibus Dn. d' Aquin. Secundum inscribitur *de febrium curatione per usum Quinquinæ*, autore D. Manginot. Tertii rubrica est: *Hippocrates de curatione febrium per usum chinæ chinæ* Raymundi Restaurandi.

Quartum

Quartum & ultimum comprehendit obſervationes de febribus & febrifugis, habitas a Clariſſimo viro J. S. D. M. L. Omnium vero argumentum unum pene eſt. Poſteaquam enim *Talbotius* Medicus Anglus ante aliquot annos Lutetiæ Pariſiorum, feliciſſima febrium cura, maximam famam ac pecuniam comparaverat, ipſum quoque Sereniſſimum Dolphinum a febre liberans ſuo arcano remedio; eo collimarunt quam plurimorum Medicorum conatus, ut vel manifeſtam redderent hujus medicamenti naturam, vel aliud ſimile excogitarent, a quo pari felicitate febres expugnarentur. Primus igitur omnium *Manginot*, adhuc incognita Talbotii medicina, Gallico idiomate ſuum divulgavit tractatum ſub titulo, *de la Gveriſon de Fievers par le Quinquina*, in quo hiſtoria Chinæ chinæ, ratio operationis, modus uſurpandi, cautelæ ſimul adhibendæ, ac confutatio oſorum hujus remedii habentur. Inſecutus hunc eſt *Nicolaus Blegny* juſſus a Chriſtianiſſimo Rege (qui a Talbotio redemerat febrifugum) publici juris facere, Chinã Chinæ eſſe illud celeberrimũ medicamentum, vario fuco hactenus a Medico dicto abſconditum; qua occaſione tamen multa non ſolum de ſuo, ſed etiam ex d'Aquini loculis deprompta, quæ ad uſum genuinum dicti febrifugi faciunt, ſimul exhibuit. Calculum ſuum deinde adjecit *Raymundus Reſtaurandus* ſcripto ſuperius nominato, in quo illud ſolummodo demonſtrare annititur, quo modo juxta Hippocratis doctrinam febres hoc remedio etiam profligari valeant. Plura hinc quæ aſſenſum, ſed non pauca quæ ſpongiam aut limam merentur, profert; quorſum pertinere putamus, quod adeo ægre ferat, circulationem ſanguinis ab Harvæo inventam in ſcholas eſſe receptam, item quando docet omnes febres a bile flava nunc ſola, nunc cum atra bile aut pituita mixta provenire. Quod ultimum in ordine ſcriptum concernit, placuit auctori ipſum adjungere reliquis, ſolum quod occaſione medicamenti Talbotiani lucem viderit publicam. Siſtuntur autem in ipſo *Univerſalis febrium idea*, *Medicina Americanorum Virginianorum*, aliaque amœna pariter ac maxime utilia; chinæ chinæ vero mentio vix verbulo in integro facta eſt tractatu.

MEMOIRES DU MARQUIS DE BEAUVAU,

id eſt,

Com-

Commentarii ſive Memorialia Marchionis de Beauvau, ad Hiſtoriam Caroli IV Lotharingiæ & Barri Ducis pertinentia.

Coloniæ, 1687, & 1688, in 12.

EX hoc libro Excerpta nonnulla menſe Decembri ſuperioris anni, pag. 670 & ſeqq. exhibuimus. Nunc reliqua promiſſi memores pertexemus.

Carolus in ducatus ſuos Lotharingiæ & Barri A. 1659 reſtitutus, cum Nobilitate provinciarum acriter denuo collidi cœpit. Illa enim vetera jura, ad quæ ſervanda Carolus, ut prædeceſſores, juramento ſe obſtrinxerat, urgebat: Dux abſoluta poteſtate uti volebat. Paulo poſt Lutetiam reverſus eſt, ſpecie matrimonii inter fratris filium & Joh. Baptiſtæ Gaſtonis Ducis Aurelianenſis, Regis patrui, ex primo matrimonio filiam, quæ *Montpenſeria* nominabatur magnasque opes poſſidebat, & hodieque ſuperſtes eſt, promovendi; revera ut id diſturbaret. Ægre enim ad ceſſionem Principatus, quæ inter conditiones conjugii erat, & quam ipſe promiſerat nepoti faciendam, adigi ſe patiebatur, malebatque filio ſuo ex *Cantacrucia* proſpicere. Totum negotium technasque Ducis, Autor illuſtris, omnium conſiliorum, pro munere quod apud juniorem Principem Carolum gerebat, gnarus & particeps prolixe enarrat, Lib. IV, p. 185 & ſeqq. Neque tamen ibi ſubſtiterunt Caroli molimina, ſed ex cauſis jam dictis aliud etiam conjugium, quod regia itidem autoritate Principi cum celſæ ſtirpis & magnarum opum virgine *Nemoroſia* parabatur, ſimulque ſucceſſionis ſpem Fratri in difficultates adduxit, & quantum in ſe erat ſubvertit, inito clam cum Rege pacto d. 6 Febr. 1662, per quod omnes provinciæ, quas poſſidebat, poſt mortem ſuam ad Regem transferebantur. Rex viciſſim promiſerat, ſeſe effecturum, ut Lotharingiæ Duces, regii ſanguinis Principes in omnibus regni curiis ſupremis ſeu Parlamentis declarati, ſecundum gradus prærogativam, deficiente Regia ſtirpe, in Galliæ regnum ſuccederent; conſenſerat etiam, ut Carolo diſponendi jus eſſet de diſtrictibus quibusdam in Lotharingia vel Barrenſi ducatu, ex quibus centum ſcutatorum millium

reditus annuus percipi posset: id quod filii ejus Valdemontii causa, quanquam non nominaretur, adjectum fuit. Quanta vero consternatio & indignatio Fratris ejusque Filii ac totius Lotharingiæ, vulgata hac conventione secuta sit, quantaque pœnitudo mox ipsum Ducem invaserit, non sine dolore & censura commemorat Autor. vid. p. 208, 216, & seqq. Franciscus Dux aperte contradixit; Princeps filius ejus properanter Lutetia digressus in Italiam, deinde in Bavariam & Austriam se recepit. Parlamentum Parisiense nihilominus jubente Rege pactum ratihabuit, addita tamen, qua secundum Autoris judicium (p. 218) totum negotium enervabatur, conditione, ut omnes Domus Lotharingicæ Principes id subscriberent. At mirum dictu, inter has ipsas turbas tanta in affectus suos indulgentia Carolo fuit, ut novis denuo & indignis amoribus irretiretur, & cum aliter potiri amata non posset, justum cum ea matrimonium paciscereturr. Erat autem *Pajoti* cujusdam Pharmacopolæ Parisiensis filia. Extat pactorum dotalium formula, magno, sed inani, ut judicat Autor, artificio contexta p. 221 & seqq. diem habens 18 April. 1662. Consensit etiam Frater Caroli Franciscus, ea versutia inductus, quod filius Princeps Carolus pro hærede Ducis in his pactis declarabatur, exclusa a successione provinciarum sobole ex hoc conjugio proditura, imo & illa, quæ ex Cantacrucia genita erat. Sed Rex, a sorore Caroli, Aureliani fratris sui uxore rogatus, sponsam in cœnobium quoddam abduci, ibique custodiri fecit. Cum vero mox aliam nobiliorem in aula sororis deperire cœpisset Carolus, iterum obstitit Aureliana, ejusque jussu puella conclavi cuidam inclusa, & Carolus introitum vi moliens a custode Helvetio repulsus, & aliquantum vulneratus fuit. Sic tandem Parisiensium voluptatum & casuum pertæsus, redire in Lotharingiam decrevit. Cantacruciam tamen, quam tantopere amaverat, & quæ eum ibi expectabat, admittere non solum noluit, sed & ditionibus suis propere exire jussit. Nec mitius fratris filium tractavit, qui eo tempore in Lotharingiam venerat. Querelas a nobilium ordine propositas, blandis elusit promissis, ne ad Regem deficerent. Rex enim cum Caroli tergiversationes in implendis pactis nuperis tolerare amplius nollet, vim parabat, & Nobilitati protectionem offerebat, quam tamen illa pro fide sua & prudenter evitabat.

tabat. Mortua inter hæc est Cantacrucia, cujus præsentiam, uti dictum est, Dux ferre nolebat; misit tamen filium & generum ad decumbentem, data potestate, ut matrimonii pacta suo nomine cum ea renovarent, sed præscripserat, ne id facerent, nisi cum spes vitæ nulla supereesset, & sub conditione dispensationis pontificiæ, quam impetrari non posse sciebat. Interim dum luctum *Cantacruciæ* causa pro more præ se ferret, in virginis cujusdam sacræ, ex nobili *de Ludre* gente natæ, amore solatia quærebat, & huic quoque fidem conjugii dederat, eamque ut quidam tradiderunt, sacerdotali ceremonia clam firmaverat.

Dejecta interim erant Nanceji munimenta a præsidio regio, sed cum Carolus aliud munitum oppidum *Marsalium*, ut promiserat, Regi tradere cunctaretur, Rex ipse A. 1663 Metim venit, & præsentia sua non minus quam comminationibus, & Marsalium & alias conditiones Duci extorsit. Quoniam autem in novis his pactis nulla nuperrimæ conventionis, sed anterioris mentio fieret, blanditus sibi est Carolus, idemque sentire se simulabant ministri regii, quasi recentioris illius obligatione liberatus esset. Nancejum inde non per portas, sed per ruinas murorum a Gallis editas ingressus est, sive ludibrii causa, pro ingenio suo, sive vaticinium *Nostradami* famosi quondam Mathematici impleturus, qui talem ingressum prædixerat; sicut & aliud extabat, in quo destructor munimentorum *Pradellus* prædicabatur, idque nomen erat regii præsidii præfecto, qui munimenta demoliri fecerat. Sic utcunque in provincias suas denuo restitutus Carolus, Nobilium ordinem pro instituto suo a veteri quidem jure minis & fiscalibus actionibus arcebat, aliis tamen benevolentiæ simulacris eorum aliquibus gratificabatur, eaque calliditate finem suum sine turbis tenuit. Pecuniæ vero colligendæ intentissimus, gravissimis tributis subditos premebat, & sumtibus Principi solitis parcens, ad privatæ prope vitæ parsimoniam victitabat. Pro delectamento erat continua fere venatio. Accidit autem, ut una hyeme intra duo aut tria milliaria circa Nancejum trecentos & quindecim lupos ceperit; unde de vastatione cultissimæ quondam regionis argumentum capi potest. Sed non minor erga sexum fœmininum propensio, seni jam licet durabat. Cum vero nobilium uxores & filiæ per bellicas calami-

lamitates, cultum pro sua dignitate parare sibi non possent, nec frequentes ad choreas a Duce institutas comparerent, ideoque lautiores ex oppidanis admitterentur, quædam ex his *Ludriæ* amorem Duci exemit, in illiusque locum adscendit, ista in cœnobium regressa.

Novi inde belli occasio studiose quæsita Duci fuit, adversus *Carolum Ludovicum* Electorem Palatinum, qui quædam in vicinas regiones, quæ sibi arrogabat jura, ex scriptis publicis satis nota, in Comitatu *Falekensteinensi*, quem Carolus possidebat, exigebat. Vera causa erat, ut copias, quas dimissurum se esse Regi promiserat, sub hoc prætextu retinere posset. Origo & successus belli describitur Lib. V p. 249, 260 & seqq. Copiis suis Dux primo filium *Valdemontium*, dein ut ætate & peritia potiorem *Lilebonium* generum præfecerat. vid. p. 264. Inserit Autor alia lectu non indigna, tum de Electoris Moguntini in Erfurtenses & contra Palatinum Electorem expeditione, in qua Lotharingicis auxiliis utebatur, tum de bello Turcico eo tempore in Hungaria gesto. In hoc enim, quem sæpius nominavimus, Carolus Princeps Francisci filius magna virtutis militaris specimina edidit. Receperat nempe se iterum in aulam Imperatoris, cum eum nec Rex in Gallia, nec Patruus domi tolerare vellet. Narratur speciatim, ut Princeps generoso ausu, inscio Imperatore, qui eum isthac ætate belli aleæ committere nolebat, ad alam tamen equitum, sibi a Cæsare collatam in castra sese subduxerit, & in prælio ad Arrabonem amnem primum in Turcas impetum fecerit, licet eum Montecuculius exercitus Dux retinere vellet; adsistente ei Lignevillio, Lotharingici olim exercitus ductore, tunc inter Cæsareæ militiæ quos vocant *Mareschallos*. vid. p. 252 & seqq. Memoratur ibidem morbus Principis periculosissimus, quo paulo post afflictus fuit; tum alia adversitas, cum Rege annitente Nemorosia, quæ ei per procuratorem solenniter desponsata fuerat, conjugii vinculo Pontificis decreto soluto, Sabaudiæ Duci nuberet. Autoris de hoc negotio epicrisin legere licet p. 257 & seqq.

Sed Carolus Dux, post sopitum cum Palatino Electore bellum, licet sexaginta duorum annorum senex, in Veneris castra denuo transiit, ducta A. 1665 uxore Comitissa *Aspremontia*, tredecim solum

um annos nata. Qua occasione amore virginis, cujus patrem inimicum habuerat, captus fuerit; quæ contra nuptias *Ludriæ*, justum matrimonium cum Duce prætendens, questa sit, & ut liberi Ducis ex Cantacrucia, Dux itidem Franciscus & Carolus Princeps impedire eas voluerint; denique ut ipse Carolus, jam more suo mutatus, ægre ad consummandum matrimonium accesserit, quoque ritu id perfecerit, pluribus explicat Autor, a p. 267, ad 281. Memorat etiam, quale periculum a Duce sibi fuerit intentatum, apud quem, tum ob ministerium Carolo Principi præstitum, tum ob quandam cum *Ludria* consanguinitatem suspectus fuerit, & quomodo illud discusserit, Ducem ipsum cum fiducia allocutus, & propiorem cum Aspremontia sobrina sua cognationem professus. Acquieverunt itaque tandem omnes; *Ludria* minis territa renunciavit juri suo, & primus omnium Franciscus Dux, promisso fidens, quod successio Lotharingiæ ad filium suum perventura esset, etsi ex conjugio hoc liberi nascerentur, consensum suum præbuit.

Recruduit anno sequenti 1666 inter Lotharingiæ Ducem & Palatinum Electorem bellum, & hujus quidem, ut Autor existimat, culpa. Describitur expeditio illa Libro VI, Autori notissima: filius enim ejus *Marchio de Beauvau* turmam equitum in Lotharingico exercitu, sub tribuno Valdemontio ducebat. Interposita autem Regis autoritate, cum fine anni etiam hoc bellum finem accepit; sed anno sequenti coactus fuit Dux copias suas Regi, qui Hispanorum in Belgio provincias aggrediebatur, tradere. Adjuvit igitur sub Lilebonii ductu Regem, in Flandriæ occupatione. Alias tamen Dux clam conscribere cœpit, & Nancejo, quod fama hostilis invasionis, ab ipso Duce disseminata, pene in solitudinem redactum erat, relicto, *Spinalium* concesserat, quod contra pacta cum Rege muniri faciebat. Hispanorum inde protectionem petere cœpit, illiusque obtinendæ prætextu tributis provinciales mirum in modum exhausit, ad sumtus tamen aulæ semper parcior. Finita expeditione Flandrica hujus anni, copias suas a Rege repetiit, frustra tamen, misso licet filio Valdemontio. Hunc vero Rex, & devinciendi patris causa, & ob insignem juvenis virtutem & elegantiam, summa cum benevolentia tractavit; suspiciones vero contra Ducem non deposuit, variisque prætensionibus & minis inquietum

tum eum tenuit. Hoc tempore Autor in aulam Bavaricam vocatus & educationi filii Electoralis præpositus fuit, ut ipse p. 315 refert, prudentique judicio differentiam bene instituti regiminis, quod in Bavaria invenit, ab illo, quod in Lotharingia reliquerat, considerat. Quæ igitur post hoc tempus de rebus Lotharingicis narrat, aliorum fide stare non dissimulat p. 317.

Tertium inter Palatinum Electorem & Ducem Carolum bellum, & hujus victoria prope *Alzeyam* describitur p. 317 & seqq. Notat tamen Autor, fructum ejus nullum ad Lotharingos, sed ad Palatinum potius pervenisse, nec tacet inhumanitatem, qua Dux generum aliosque ex Nobilitate, qui strenue ei militaverant, tractavit. Anno 1669 Rex bello isti cum Palatino, arbitrum controversiæ sese ferens, ultimum finem imposuit, coegitque misso cum copiis *Crequio Mareschallo*, Carolum, ut milites omnes dimitteret; sed & a Palatino idem postulavit, ut ex literis regiis p. 335 patet, quibus & obsecuturũ se esse hic respondit. v. p. 336. Eodem anno magnificum apparatum fecit Carolus ob nuptias filii Valdemontii cum *Ellebovii* Principis filia, & huic priorem locum ante filiam suam Lileboniam in aula assignavit. Franciscus frater huic matrimonio assensus est, pro miti quo erat ingenio, & inescatus spe sumtuum a fratre ad impetrandum regnum Poloniæ filio suo Principi Carolo suppeditandorum. Sequentem annum 1670 funestum Lotharingiæ magis, quam ullum præcedentium fuisse, censet Autor. Decessit mense Januario Nanceji Dux Franciscus. Ejus elogium, ob sapientiam, bonitatem, eruditionem, agilitatem etiam corporis ad ea, quæ principes viros decent, totiusque vitæ admodum quidem calamitosæ compendium habetur p. 340. In sepulturam mortui, quem viventem non amaverat, sed durissime tractaverat, splendidas tamen erogationes fecit Carolus. Sed ruinæ Domus suæ mox secutæ subtractum esse bonum hunc Principem, paulo post apparuit. Carolus enim Dux inermis & quietus manere minime poterat, novumque militum conscribendorum prætextum quærens, suspicionem Regi præbuit, ac si triplici illi contra Gallos fœderi, Hispanorum, Anglorum & Batavorum accedere vellet. Nata eodem tempore inter vectigalium regiorum exactores & Lotharingos, in finibus utriusque ditionis rixa Regi occasionem ministravit, ut quod

ut quod dudum decrevisse ferebatur, adversus Ducem effectui daret. Misso igitur Marchione Fourillio Nancejum occupari, ipsumq; Carolum capi jussit; & urbs quidem aperta & incustodita facile cessit occupanti, sed Dux casu quodam maturius quam solebat venatum egressus, vincula evasit. Sequutus est *Crequius* cum exercitu, totamque provinciam in potestatem facili negotio redegit. Omnis etiam supellex Ducis, arma, tormenta & quidquid pretiosi inveniebatur, avectum fuit; milites Ducis eorumque præfecti ex Nobilitate primaria, & inter hos Autoris filius, capti; Galli vero in præsidiis Lotharingicis reperti suspendio necati sunt; deinde 18000 milites per Lotharingiam in hyberna distributi. Dux nullibi tutum se esse existimans, & recusato sibi in Burgundia ab Hispanis hospitio, in Germaniam abiit. Ad querelas ejus vel præveniendas, vel refellendas, Rex datis 31 Augusti 1670 ad legatos in aulis Magnatum literis (quarum exemplum p. 355 legitur) causas facti allegavit, testatus tamen, se nullum ex spoliis Ducis commodum esse capturum, idque suo tempore appariturum esse. Autor de his omnibus satis modeste judicat, p. 356. Queritur tamen, quod Ducis causa provinciales omnium istorum consiliorum expertes, adeoque prorsus innocentes, tanta mala passi sint. Dein Ducis sortem, qui res turbidas quieti prætulerat, bonaque consilia neglexerat, deplorat. Is A. 1671 spe de impetranda a Rege, quam submisse sollicitabat, restitutione evanescente, *Coloniæ Agrippinæ*, neque tamen sine difficultate, hospitium impetravit; Nobiles qui cum eo profugerant, domum remisit, Valdemontio ab Hispanis in Belgio stipendium pro ala equitum & legione peditum pactus. Ad desolationes etiam extremas vitandas, arcem *Bitschianã* Electori Moguntino, *Homburgensem* Treviro, velut sequestris dedit. Anno sequenti *Colonia* relicta, *Francofurtum* se cum uxore recepit. *Lilebonius* cum uxore, filia Ducis, ad sua digressus est; Valdemontius Bruxellis erat. Interim restitutionis negotium summis implicabatur difficultatibus. Rex pro conditione postulabat, ut sibi castellum Nanceji aut alio loco ædificare, & sub valido præsidio tenere liceret; quod intolerabile Duci videbatur, omnia alia offerenti. Secutum est eo anno bellum inter Regem & Batavos, in quod postea Germania tracta est. Princeps Carolus equitatui Cæsareo Generalis titulo præ-

fectus

fectus fuit. Dux ſenex, cum intelligeret Nancejum Regis juſſu muniri, de reſtitutione ſua deſperans, partibus acceſſit, & evocatas quas adhuc in Burgundia habebat copias, cum Electore Brandenburgico junxit. Eo anno cunctatione aut diſſimulatione utriusque partis parum actum eſt. Anno ſequenti autem Rex ipſe Nancejum venit, & munitionem urbis ita promovit, ut menſe Octobri defenſioni apta eſſet. Cum vero Nobilitatem Lotharingicam in caſtra ſua perducere non poſſet, nec vi agere vellet, primariis quibusdam, & inter eos filio Autoris conceſſit, ut Bavaricis ſtipendiis militarent: quod tamen Carolo Duci minime placuit. Interim Lotharingia tam Gallorum, quam Hiſpanorum, ex vicina Burgundia & Luxenburgenſi agro, nomine Ducis, tributa imponentium exactionibus exponebatur.

Anno 1674 Valdemontius in urbe Veſontione a Rege Galliæ capta deprehenſus benigne habitus fuit, impetrata etiam venia Lutetiam ad ſocerum ſuum Ducem *Ellebovium* eundi. Carolus Dux collecto ſex aut ſeptem millium exercitu Burgundiæ ſuccurrere volebat, ſed negato ab Helvetiis tranſitu regredi copias ſuas cum cæteris, quas Imperator & Germaniæ proceres ad Rhenum habebant, juſſit. Cum iis prælio ad *Sinzheimium* (S. Sein vocat Autor) interfuit, cujus eventum, ſi Caroli conſilio obtemperatum fuiſſet, meliorem ex Autoris ſententia Imperiales habere potuiſſent. Interim Carolus & ducis & militis egregii laudem reportavit, & Turennius Gallici exercitus dux, pulſa licet acie hoſtili, egregiorum tamen virorum ex Nobilitate & ordinum ductoribus jacturam fecit. Pugnatum iterum eſt haud procul Argentorato, ubi Dux, ætate licet gravis, fortitudinis tamen & peritiæ ſuæ laudem tenuit. Deinde ſub hyemem Nobiles Gallos, quos Rex ex Andegavenſi tractu evocaverat, (*Arriereban* dici ſolent) miſſis quatuor equitum alis, dum ſecurius agunt, in ipſa Lotharingia oppreſſit, & plusquam centum & quinquaginta ex iis cepit. Ipſe poſtea finibus provinciarum ſuarum appropinquans, tantum popularium favorem expertus eſt, ut ei plus commeatus afferrent, quam quo ipſe cum copiis opus haberet. Sub finem anni in Alſatia copiæ Caroli haud procul *Mülhuſio*, cæſæ & profligatæ ſunt, laudatæ tamen, ut Autor refert, ab hoſte, quod præ aliis fortiter reſtitiſſent. Sed cum parum effectum eſſe

hoc anno, egregiis licet Imperatoris & fœderatorum copiis eſſe videret, nec ſupremum belli regimen ſibi crederetur, Argentoratum ſe recepit, magnam ægritudinem animi in literis ad Electorem Palatinum teſtatus, quas Autor Lib. VIII p. 418 refert, notatque inſigne duorum iſtorum Principum exemplum, qui antea inimiciſſimi, ob communem cauſam, paresque animi dotes, jam mutua benevolentia inter ſe certabant. Laudat poſtea conſilium Electoris Bavari, qui in motibus illis quietus, ſed bene armatus aliisque rebus neceſſariis inſtructus, ſuarum provinciarum ſecuritatem viriumq; conſervationem pro ſcopo habuerit; id exemplum (ait) ſi Carolus ſecutus eſſet, aliique, qui extra belli ſortem ſubſiſtere poterant, melius rebus ſuis proſpexiſſent. Digreſſionem inde facit ad narrandum incendium palatii Electoralis Monacenſis p. 424, cui ipſe præſens fuit, magnamque laudem Electrici tribuit, tantum damnum pie & moderate ferenti. Anno 1675 Carolus junctis ſuis cum fœderatorum copiis, in oppugnatione urbis Trevirenſis, & profligato Gallorum ſub *Crequio* exercitu, gloriæ partem adeptus eſt. Paulo poſt d. 20 Septemb. Carolus in ignobili vico Trevirenſis regionis, qui *Altenbach* dicitur, cum non niſi triduo ægrotaſſet, finem vitæ inquietiſſimæ habuit, anno ætatis ſeptuageſimo ſecundo.

Fuit (ut Autor librum ſuum octavum concludit,) ſtatura egregia, corpore agili, & ad exercitia equeſtria & militaria probe aſſuefacto; in laboribus indefeſſus; ingenio vivido & ardenti; comis & affabilis erga alios, ſuis tamen aſper: nam & nobiles, ut diximus, ſuæ ditionis parum benigne habuit, & in domeſticos iracundus erat; promiſſis largus, ſed quæ non præſtaret. Subditos infimæ etiam conditionis facile admittebat, & populariter cum iis converſabatur, miſeriis etiam eorum condolere viſus; ſed nullam exigendi a populo tributi occaſionem negligebat. Avaritia erat propemodum inſatiabili, itaque minime liberalis; ſumtuoſus tamen aliquando, cum magnificentiam ſuam oſtentare vellet. Cæterum politus, jucundus, hilaris apud fœminas maxime, quas ultra modũ amabat, ita ut indignis conjugiis, niſi agnati obſtitiſſent, ſeſe dehoneſtaſſet. Inter hæc tamen religioſus erat, magnaq; erga *Sacramentum Miſſaticum* veneratione, in qua omnis devotionis funda-

mentum positum esse Autor censet. Possemus plura non tantum de Caroli gestis & moribus, sed & de aliis haud parvi momenti rebus ex his libris annotare, sed jam satis prolixi fuimus. Invenient lectores, de rebus potissimum aulicis & bellicis, quæ non delectare saltem, sed & utilia documenta præbere poterunt; deprehendent etiam, quantum interfit inter autores, qui rumores aut aliorum scripta sequuntur, & qui ex sua scribunt experientia, & de negotiis, quæ probe intelligunt.

JACOBI BERNOULLI, MATHEM. PROF.

Publ. Nova ratio metiendi altitudines Nubium, Actorum Eruditorum Collectoribus communicata

in litteris Basileæ, A. 1688, mense Januario datis.

ANsam huic tentamini dederunt observatæ mihi crebrius sudo & sereno cœlo fluctuantes hinc inde nubeculæ, quæ vesperi Sole occidente & post ejus occasum purpureo aliquamdiu colore tinctæ conspiciebantur, donec exacto horæ quadrante vel semihora circiter, colore hoc subito satis evanescente, iterum pallescerent. Quoniam enim ratione & experientia quotidiana edocebar, Solis occidui radios discedere primum a locis depressioribus, tardius ex altioribus, primum ex arvis & pratis, inde deserere ædificiorum culmina, postmodum montium cacumina; omnium autem tardissime obscurari nubes, citius quidem orientaliores, tardius occidentaliores: non dubitavi colligere, hanc nubium rubedinem aliunde non provenire, quam a reflexione radiorum Solarium ipsas directe illustrantium; quæque propterea disparere necessum habeat, tum cum Sol post terræ tumorem se abscondit. Quo principio posito inquirere cœpi, num ex observato tempore disparitionis coloris hujus rubicundi, venari possimus nubium altitudinem; admittit autem hoc Problema tres quatuorve casus quos ordine enodabimus:

Tab. II. Fig. I.

I Casus, cum Nubes verticalis est.

Esto (Fig. I.) ACE globus terraqueus, E locus spectatoris, B nubes verticalis; ac proinde EB ejus distantia a terræ superficie: BDF planum circuli verticalis per Solem transeuntis. Sol existens in D

in D lambit terram radiis suis in E, (id est, illic loci occidit) promotus in F eandem radit in C, subrepturus deinceps nubi B lumen suum: DF est arcus depressionis verticalis Solis sub horizonte, quæ trigonometrice invenitur ex observata temporis differentia inter momentum occasus Solis & momentum disparitionis rubedinis in nube. Antequam pergamus, ostendendum, quod arcus depressionis Solis DF sit similis arcui terrestri CE: quod facile probatur: ductis enim rectis DA, FA, apparet Triangula DEA, FCA similia & æqualia esse, quocirca angulus DAE = angulo FAC, & ablato communi DAC, angulus CAE = angulo FAD, idest, arcus CE similis arcui DF. Quo demonstrato manifestum, in Triangulo CAB, ut sinus totus ad secantem anguli CAB, vel FAD, ita semidiameter terræ AC, ad distantiam nubis a centro terræ BA; e qua si auferatur semidiameter terræ AE, obtinebitur distantia nubis a superficie terræ BE.

II Casus, cum Nubes tempore observationis reperitur in eodem plano verticali cum Sole, sed extra verticem.

Esto adhuc (Figg. 2, 3.) B locus nubis, BEH ejusdem elevatio supra horizontem quadrante capta: AG perpendiculum e centro terræ per locum stationis sursum productum ad intersectionem usque radii Solaris FCB. Quo facto, quoniam angulus depressionis verticalis Solis DAF, id est (per lemma præcedens) angulus CAG datus est, una cum semidiametro terræ AC, invenientur quoque anguli AGC & AGB (qui in Fig. 3 coincidunt) ut & recta AG, subtractaq; semidiametro terræ AE, recta EG. Et quia in Triangulo BEG præter modo inventum latus EG noti etiam sunt anguli (quippe angulus BEG ipsius BEH complementum est ad rectum) innotescet hinc quoque latus BE, e quo & terræ semidiametro AE, anguloque intercepto AEB (qui compositus est ex recto & dato HEB) in Triangulo AEB patefiet porro latus AB: unde dempto radio AL remanebit tandem LB, pro quæsita distantia a superficie terræ. Fig. II. III

III Casus, cum Nubes nec verticalis est, nec in eodem plano verticali cum Sole existit.

Casus iste præcedentibus difficilior: observetur differentia

azimuthalis Solis & nubis, seu angulus, quem verticalis nubis cum verticali Solis constituit, eo momento, quo rubedo in nube disparet: sit angulus iste

I *Rectus*: Considera, radios e centro Solis egressos, terræ superficiem, qua diei & noctis sunt confinia, circumcirca radendo circulum in illa describere (quem *circulum penumbræ* appellare lubet) adeoque conum efformare, qui ob verticem acutissimum in centro Solis pro cylindro haberi potest: notabisque nubem, eo momento quo pallescere incipit, existere in superficie hujus coni cylindrive; quare si secetur conus iste plano verticali per nubem transeunte (quod ad axem coni sub terra depressum est obliquum) nascetur inde ellipsis, in cujus circumferentia reperietur nubes. Centrum hu-
Fig. IV. jus ellipsis coincidit cum centro terræ A (Fig. 4.) Maxima ejus semidiameter AC est linea verticalis, porrecta ex centro terræ A, per oculum spectatoris E usque ad occursum radii Solaris GC, terram lambentis in G; estque hæc linea AC cognita, secans scilicet anguli GAC, id est, depressionis Solis infra horizontem (per præmissum lemma) Minima ellipsis semidiameter AD est ipsa semidiameter terræ, vel sinus totus. Quoniam enim circulus verticalis Solis transit per punctum perpendiculariter sub Sole situm, ceu polum circuli penumbræ, hinc circulus penumbræ & verticalis Solis sese secant ad angulos rectos; quare & ille vicissim transit per polos hujus; sed per hujus polos transit quoque verticalis nubis (quia per hypothesin eum recte secat) ergo etiam verticalis nubis & circulus penumbræ sese in polo illo intersecant: unde radius qui lambit polum hunc, ibidem offendit planum ellipsis, quod cum fiat in superficie terræ, erit ejus distantia a centro terræ æqualis hujus semidiametro; cumque in circulo verticali nubis quadrante distet a linea verticali AC, sequitur, si hæc sit semissis axis majoris, semidiametrum terræ fore semissem minoris.

Fig. V. Ductis itaque seorsim (Fig. 5) lineis AD, AC, ad rectos sese decussantibus in A, describatur per ipsarum extremitates D & C quadrans ellipsis CBD; & propter oculum spectatoris existentem in perpendiculari AC, fiat in illa AE = AD, eritque E locus observationis, super quo constituendo angulum CEB æqualem distantiæ nubis a vertice, designabit punctum B locum nubis in aere. Qui si ana-

si analytice inveniendus sit, posito AD (AE) = a, AC = b, BG = x, & ratione BG ad GE = $\frac{a}{m}$, data ob angulum BEF vel BEG datum, habebitur

$$x = \frac{-aam + ab\sqrt{bb + mm} - aa}{bb + mm},$$

e qua inventa, ut & GA (AE + EG) = $a + \frac{mx}{a}$, facile elicitur AB; unde si subtrahatur terræ semidiameter AE, obtinebitur quæsita distantia perpendicularis nubis a superficie terræ Q. E. I.

II. *Obliquus*: Cum circuli verticales Solis & nubis se mutuo secant oblique, neuter per alterius transibit polos: quare etiam verticalis nubis & circulus penumbræ alio loco, quam in polo verticalis Solis, nimirum supra infrave horizontem se intersecabunt: & quandoquidem hæc intersectio determinet minimam diametrum ellipseos, sequitur lineam verticalem (quia plus minusve ab illa intersectione quam quadrante abest) non posse esse maximam. Maxima vero semidiameter ita reperitur: Ut sinus totus ad sinum differentiæ azimuthalis Solis & nubis; ita sinus complementi depressionis Solis infra horizontem, ad sinum complementi anguli, cujus secans est semissis axis majoris; dum semissis minoris existit, ut antea, ipsa terræ semidiameter, ceu sinus totus.

Ductis igitur axium semissibus AL & AD (Fig. 6, 7, 8) per eo- Fig. VI,
rum extremitates describatur quadrans Ellipsis LCD, vel paulo am- VII, VIII.
plius: cujus peripheriæ ex centro applicetur recta AC secans anguli depressionis Solis infra horizontem (per superius lemma) utpote designans lineam perpendicularem e centro terræ per spectatoris oculum eductam: in hac accipiatur AE = AD, eritque punctum E locus observationis, superquo constituendus proin angulus CEB æqualis distantiæ nubis a vertice (versus AD quidem cum nubes occidentalis est; at versus AL, cum est orientalis: occidentalem voco, ubi differentia azimuthalis Solis & nubis est quadrante minor; orientalem, ubi major) eritque B locus nubis, qui quandoque cum nubes orientalis est, cadere potest ultra verticem Ellipseos L, in alterum ejus quadrantem, ut Fig 8: quod tamen contingere nequit, nisi cum differentia azimuthalis Solis & nubis a quadrante parum

differt, nubesque horizonti admodum propinqua est. Ad inveniendum locum nubis analytice, demittantur perpendiculares CK in AL, BG in AC, & BH in AD, ac producantur, si opus sit, AC & HB ad communem concursum in M, statuanturque AD (AE) = a, AC = b, AL = c, ratio BG ad GE data = $\frac{a}{m}$, & AH = x: quo facto invenitur primo $AK = c\sqrt{\frac{bb-aa}{cc-aa}}$, & $KC = a\sqrt{\frac{cc-bb}{cc-aa}}$, pro quibus brevitatis causa scribamus d & e: deinde ulterius contrahendi calculi ergo ponatur differentia rectangulorum ae, $dm = pp$, summa eorundem = qq, summa rectangulorum ad, $em = rr$, differentia eorundem = ff: Sic reperitur

In 6 Fig. angulo CEB existente ◁ CAD, quo casu etiam $ae \lhd dm$,

$$x = \frac{-a^4bpp + acrr\sqrt{aap^4 + ccr^4 - a^4bb}}{aap^4 + ccr^4},$$

angulo CEB existente ▷ CAD, quo casu itidem $ae \rhd dm$,

$$x = \frac{+a^4bpp + acrr\sqrt{aap^4 + ccr^4 - a^4bb}}{aap^4 + ccr^4}$$

angulo CEB existente = CAD, Evanescit quantitas pp, utpote $ae = dm$, estque

$$x = \frac{a}{bc}\sqrt{bbcc - aadd}$$

In 7. Fig. angulo CEB existente ▷ CAL, quo casu quoque $ad \rhd em$,

$$x = \frac{+a^4bqq - acfs\sqrt{aaq^4 + ccs^4 - a^4bb}}{aaq^4 + ccs^4}$$

angulo CEB existente ◁ CAL, quo casu pariter $ad \lhd em$,

$$x = \frac{+a^4bqq + acfs\sqrt{aaq^4 + ccf^4 - a^4bb}}{aaq^4 + ccf^4}$$

angulo CEB existente = CAL, evanescit quantitas ff, utpote $ad = em$, fitque

$$x = \frac{ae}{b}.$$

In 8,

In 8 Fig. ubi angulus CEB perpetuo existit ▷ CAL, adeoq; & $ad \rhd em$,

$$x = \frac{-a^4bqq + acfs\sqrt{aaq^4 + ccf^4 - a^4bb}}{aaq^4 + ccs^4}$$

Inventa quantitate x vel AH, facile tandem est, ex illa, & recta BH = $\frac{c}{a}\sqrt{aa - xx}$, investigare AB; a qua subtracta terræ semidiameter AE relinquet quæsitam nubis altitudinem. Q. E. I.

LA VIE DU PERE RIGOLEUC PAR LE P. Pierre Champion &c

Vita Patr. Rigoleucii ex Soc. Jesu: tractatusque ejus de devotione, & literæ spirituales: cura P. Petri Champion ejusdem Societatis.

Paris, apud St. Michallet, 1686, in 12.

PRima libri pars historica est, & soli debetur *Championio*. Fatetur tamen hic in præfatione, se in reliquis stylum autoris emendasse, ad eam quæ nunc in Gallia exigitur polituram. De historia prius agendum est. Natus fuit *Johannes Rigoleucius* Quintini, quod parvum est in Gallia Aremorica sive Britannia minori, in diœcesi *S. Brioci* oppidum A. 1594; studiorum tyrocinia habuit in Jesuitarum Rhedonensium (*Rennes*) ejusdem provinciæ collegio. In Societatem illam assumtus fuit Rotomagi A. 1617, & *novitiatus* (qui dici solet) anno finito, studia humaniora docuit, non sine applausu, ob latinitatis peritiam, qua etiam *Petavium* ex eadem societate celeberrimum autorem superasse aliquibus visus est. Secundum *novitiatum*, qui a societate illa præ aliis singulariter observatur, post annos duodecim absolvit: decessit in collegio oppidi *Veneti* quod in Britonibus est (Gall. *Vennes* dicitur) A. 1658, ætatis anno 63, multa cum sanctitatis fama, cujus argumenta scriptor vitæ congessit, Cap. X. Ex gestis viri, quæ cum aliis societatis suæ communia habuit, singularis ejus diligentia laudatur, quam ad instruendos pastores seu plebanos ordinarios, & ad juvenes in concionandi arte exercendos adhibuit. Et hos quidem ita instruere solebat,

bat,

bat, ut in ædes pagorum eductos in suggestu collocaret, ipse in subsellio aræ sederet, & alternatim cum iis periodos sermonum pronuntiaret, ita ut ipse loquendo præiret, tyro sequeretur. Hunc ubi hæsitaret, occulte nutu juvabat, si bene locutus fuisset, palam laudabat. Curavit etiam, ut in linguam Britonum, cujus quidem ipse ignarus erat, transferrentur quæ Gallice dicta fuerant, cum eo usque non nisi Gallicæ conciones haberi consuevissent, incolis licet plurimis non intelligibiles. Ita diœcesin concionatoribus, *catechistis & confessionariis* utriusque linguæ peritis replevit. Methodus qua perfectionis, quam vocant, vitæ cupidos instruebat, describitur cap. V. Eam vero in se ipso tam feliciter exercuisse dicitur, ut iracundia, ad quam natura vehementer propendebat, plane domita, placidissimus & patientissimus fieret, mediocribus etiam functionibus contentus esset, & superioribus absque ulla contradictione morem gereret, etiam cum vitæ periculo. Ex judicio enim medicorum producere longius illam potuisse existimatur, si veniam impetrasset, ut aeris mutandi causa ad aliud collegium fuisset translatus. Cæteræ ejus virtutes & pia ad mortem præparatio celebrantur cap. VI. & VII, fuga distractionum & amor solitudinis commendatur & exemplis probatur C. VIII. Ultima ejus occupatio fuit, ut *Seminarium* extrueretur, in quo juvenes ad munera Ecclesiastica adspirantes informarentur. Sed institutum istud, probatum licet ab Episcopo, & cœpto jam ædificio, morte ejus interversum est. Alia tamen utilitas (ut Cap. IX refertur) societati, & defuncto gloria inde accrevit. Nam ædificium illud ad recipiendos, qui ex præscripto *Ignatii* & Jesuitarum exemplo ac ductu, singulis annis secessum quendam ad aliquot dies faciunt, in quo conscientiam expurgent, & in devotione proficiant, destinatum postea fuit. Tanta autem secedentium frequentia in domo illa postea extitit, ut quotannis ultra duo millia hominum Ecclesiasticorum & Laicorum eo confluerent: idque exemplum alia Jesuitarum collegia in Britonum regione, tum Duaci in Belgio & Lutetiæ quoque imitata sunt.

Hæc ex vitæ historia excerpta damus, quæ notabiliora ut putamus, præ reliquis videbantur. Quæ de singulari ejus in cultu *B. Virginis*, promovendisque sodalitiis *rosarii & scapularis* zelo, ut & de apparitionibus & visionibus quibusdam Deiparæ & sanctorum speciatim de auxilio adversus morbum periculosum, a *S. Corentino*, qui *Quimperlæi* inter Britonum apostolos colitur, impetrato, itemque de responso interno sancti istius, quo ad institutionem presbyterorum incitatus fuerit, (vid. p. 22) referuntur, legenda & miranda iis relinquimus, a quibus talia creduntur & probantur. Jam de scriptis Viri, quæ majorem libelli partem constituunt, dicendum aliquid est.

Primus partis II *tractatus* inscribitur *Jesus amabilis*, in quo exercitium amoris erga Salvatorem commendatur ex Mysticorum traditis, qui amorem hunc in *affectivum*, *effectivum* & *passivum* distinguunt. De *affectivo*, quo gloriæ Christi augmentum quæritur, & majestatis ejus veneratione mens repletur, *capite* I agitur. *Effectivi* tria ponuntur exercitia *cap.* II, mortificatio, libertas spiritus & exacta J. C. imitatio. Cap. III amor *passivus* describitur, quo anima fideliter amantis vulnerari quasi & in languorem conjici, ad actiones heroicas pro Christi gloria excitari, & crucis patientissima, tum solatiorum a solo Deo accipiendorum capax reddi dicitur. *Tractatus* II complectitur institutionem de *oratione mentali*, & quidem ex scitis Theologiæ mysticæ, *Cap. I* pro incipientibus, *Cap. II* pro proficientibus, *Cap. III* pro perfectioribus, quibus oratio silentii tribuitur. Monita adduntur adversus illusiones, quas Autor fatetur frequentes esse. Commendatur B. Virginis ac S. Josephi invocatio. *Tractatus* III de *custodia cordis* agit, id est de vigilantia, sive sollicita in omnibus actionibus a peccatis præcautione, quæ ab examine conscientiæ distinguitur, quia hoc præterita scrutatur, illa præsentia curat. Hac anachoretas veteres, indoctos licet, ad perfectionem perveniisse, & primos Ignatii Lojolæ socios in fervore conservatos fuisse notatur. Adduntur postea institutiones mysticis usitatæ, de *collectione mentis* interna, de *obscura* quam vocant *nocte*, de *vacuo potentiarum animæ*, ut ad unionem cum Deo disponatur, & methodus præscribitur *directoribus conscientiarum*, quomodo ad statum hunc, quem supernaturalem nominant, discipulos perducere debeant. *Tractatus* IV roganti cuidam virgini sacræ epitomen vitæ perfectioris præscribit, hujusque discrimen ab ea vita, quæ sensus aut peccata, aut solam naturam sequitur, ut & media ad progressum in perfectione & ad quietem conscientiæ exponit. Difficultates tamen hujus instituti agnoscens

ſcens, viam, quam nominat, ordinariam, ſuis non privat laudibus, illaq; eos, qui ad perfectam provehi non poſſint, contentos eſſe jubet, quia illuſiones & ſuperbiæ pericula in excellentiori illa via metuenda evitent, & dummodo humilitati ſtudeant, & fidei exercitio & lumine ſincere utantur, ad ſalutem breviſſima & certiſſima perveniant ſemita. Perfectioribus inde axiomata ad cavendam illuſionem & mentis elationem præſcribit; dein de ſterilitate devotionis, ut & de defectu ſenſus gratiæ & delectationis ſpiritualis conquerentibus, ſolita myſticorum ſolatia impertitur, nempe de non expetendo illo delectamento, cum id ſine amoris proprii ſtimulo fieri non ſoleat. *Tractatus* V breviſſimus eſt, & monita continet circa receptionem virginum in monaſteria obſervanda, ne quid affectibus aut ſordibus detur, ſed tales adſumantur, in quibus poſt diligentem explorationem divinæ vocationis argumenta appareant.

Pars Tertia conſtat XL epiſtolis ad religioſas quasdam, quæ *Urſulinæ* vocantur, datis, variaque de perfectione vitæ interioris præcepta continentibus. In his, ſicut & in tractatibus, multa pie & laudabiliter dici & moneri, nemo negabit. Explicantur etiam ſatis clare, & rationibus haud ſpernendis quandoque confirmantur. Sunt tamen haud pauca, quæ non carent difficultatibus, quibus Myſticorum diſciplina ſubjecta eſt, ut in recenſione libri, quem *Paulus Segnerius* Jeſuita Bononienſis, adverſus *Michaelem de Molinas* edidit, in Actis A. 1687. p. 19 annotavimus. Grandia certe vocabula illa, quæ *Segnerio* diſplicent, etiam hic copioſe reperiuntur. Inter illa eſt *exſpoliatio* (*depouillement*) quam Autor non ſolum interioris vitæ ſectatoribus, ſed & ipſi Chriſto in Sacramento tribuit, eamque pro exemplo initiatis ſuis proponit. Epiſtola enim IX, qua virgini cuidam ſacræ ſolitudinem ſpiritualem ſuadet, ita loquitur p. 402: *Reſpiciamus & imitemur ſolitudinem, in quam redactus eſt amabilis Salvator noſter in S. Sacramento. Quam remotus ille eſt a ſenſibus? quam parum habet actionis & commercii ſenſibilis? quam abſcondita eſt vita ipſius? quanta & quam univerſalis eſt exſpoliatio ejus?* An hæc ex dogmate *transſubſtantiationis* concludant & probent omnes Romanæ Eccleſiæ doctores, in medio relinquimus. Nos extra uſum Sacramenti nullam agnoſcimus præſentiam, minime vero talem quæ ſolitudini, aut exſpo-

exſpoliationi comparari debeat, ſed quæ majeſtati corporis Chriſti cū divinitate perſonaliter uniti in ſtatu exaltationis conveniat. Cæterū ſolitudini illi Salvatoris in templis proſpectū videri poſſit, exhortationem ad devotos, qua ſæpe utitur Rigoleucius, ut frequenter viſitent abſconditum Salvatorem in Sacramento, maxime vero novo cultu, cujus idem ſtrenuus in diœceſi *Rhedonenſi* inſtigator fuit. Auſpiciis enim defunctæ Reginæ Gallorum *Mariæ Thereſiæ Auſtriacæ* ſodalitia inſtituta, & a Clemente X propterea confirmata eſſe hoc ipſo libro p. 31, 32, 33 perhibentur, per quæ perpetua adoratio Sacramento in templis recondito exhibetur, diſtributis per vices hominibus, qui ſibi ſtatis horis ſuccedunt. Sed his obiter notatis, de *Myſtica Theologia* paucis monere liceat, ſimplicem noſtrarum eccleſiarum doctrinam S. Scripturæ aperta niti veritate, cum plurimis dubitationibus ſubjecta ſit Myſticorum ſubtilitas; imo niſi multa quæ tradunt & commendant, ad analogiā fidei examinentur & emendentur, verendum eſſe, ne noceant, dum eam, quam autores myſtici ipſi ſummopere timent, & caveri jubent, præſumtionem & amorem proprium fovent & illuſionibus Satanæ patent. Conſtat autem ex Chriſti & Apoſtolorum præceptis, *unionem cum Deo*, quam illi Myſticis præſcribunt, omnibus Chriſtianis pro ultimo ſcopo propoſitam eſſe. Regnum Dei quotidianis precibus peti debere, ejus autem bona eſſe *juſtitiam*, *pacem* & *gaudium in Spiritu ſancto*. Hunc ipſum Spiritum omnibus in fide orantibus dari; qui eum non habent, non eſſe Chriſti; omnes enim templa Dei eſſe debere. Dein *denudationes*, *exſpoliationes* & alia, quæ grandiloquentia myſtica jactat, meliora non eſſe, quam quæ a Chriſto exiguntur, *abnegatio noſtri*, & *ſuſceptio crucis*: perfectionem etiam non certo ordini hominum, ſed credentibus injungi, qualis nempe per Spiritus S. dona in hac vita contingere poteſt. Ut adeo operoſa illa & abſtruſa Myſticorum diſciplina docere nihil ſolidi poſſit, quod non planis & perſpicuis verbis ipſe Salvator noſter, & qui Spiritu ejus repleti ſunt, Apoſtoli ad omnium inſtructionem propoſuerunt, quibus tutiſſime inniti poſſumus: utinam modo praxi ipſa inniteremur! Interim exegeſes, applicationes & paræneſes, quæ piæ ſunt, & fundamento verbi divini, non *ligna*, *fœnum aut ſtipulam*, ſed *aurum & gemmas* ſuperſtruunt, minime ſperni, ſed dignis elogiis cohoneſtari debent, quæ etiam huic Autori non invidemus.

M. TULLII CICERONIS DE OFFICIIS libri tres: Cato Major, Lælius, Paradoxa, Somnium Scipionis. Ex recensione Joannis Georgii Graevii.

Amstelodami, ex typographia P. & J. Blaeu, 1688, in 8.

JUris naturalis disciplinam, quæ magnis animorum motibus ac ingeniorum dissidiis hodie agitatur, ex veteribus omnium optime tradidisse Ciceronem, virum prudentia & eloquentia inter Romanos extra controversiam principem, constat: nec Academicorum solum, Peripateticorum, Stoicorum, Epicureorum, sed omnium omnino Philosophorum monumenta pervolvisse, &, quo valebat, exactissimo judicio expendisse, scripta ejus ostendunt. Inter quæ nullum magis excultum habetur, majorique eruditione & morum præceptis refertum, quam istud quod *Officiorum* nomine, sive *de Officiis*, hodie supereſt: quo artem vitæ recte, sapienter, & cum dignitate colendæ tradidit: quod hactenus non suo pretio habitum ideo existimavit Vir summus Hugo Grotius, quod omnium teratur manibus. Universis igitur Ciceronis operibus in novum habitum nitidissimamque formam componendis, præstantissimoque cultu instruendis intentus Vir celeberrimus *Joannes Georgius Graevius*, post editos *Epistolarum ad familiares* & *ad Atticum* libros, primam curam huic Officiorum operi, & libellis qui adjici isti solent, impendit: cumque in Epistolarum voluminibus dictionis potissimum rationem habuerit, & ut vera lectio constitueretur operam dederit; his in libris præter verba, ope Manuscriptorum recte collocata, res ipsas perspicuas reddere, & sententiam Ciceronis ex aliis philosophis præstantissimisque scriptoribus illustrare & confirmare, veraque doctrinæ civilis & genuina æqui bonique principia a Cicerone ostensa, ex Aristotele, Platone, Seneca, Epicteto, aliisque priscis auctoribus, tum & optimo naturæ ac gentium juris doctore *Hugone Grotio*, exemplis ex Græca Romanaque historia depromptis, commonstrare sategit. Quem in finem pleraque, quæ viri eruditi antehac ad libros hos expoliendos & explanandos contulerant, adjecit: nec *Aldi Manutii* (qui errore typographi in frontibus pagellarum *Paulli* nomine insignitur) commentarios solum attexuit, ac integras *Car. Langii*, *Fulvii Ursini*, *Dionysii Lambini*, *Francisci Fabricii* annotationes suis Notis inseruit; sed & selectas ex *Erasmi*, *Mureti*, *Camerarii*, *Victorii*, *Melanchthonis*, *Wolfii*, *Betuleji*, *Anemoecii*, *Gruteri*, *Guilielmi*, *Petri Balduini*, *Rogerii*, *Sylvii*, *Rami*, *Vineti*, *Suffridi Petri*, *Rachelii*, doctissimis commentationibus; & decerptas ex summorum virorum, *Turnebi*, *Salmasii*, *Gronovii*, *Gassendi*, *Pighii*, aliorumque monumentis elegantes observationes substratis textui notis suis admiscuit, perfectissimamque ac omnibus numeris absolutam editionem publico dedit. Cui ne quid deesset, quod ad horum librorum commendationem facere & calumnias in eos sparsas discutere possit, adjiciendas duxit reprehensiones *Cœlii Calcagnini*, quibus is quinque & viginti Ciceronis in Officiis loca notaverat, evulgatis anno seculi superioris quadragesimo tertio *Disquisitionibus*. Istis subjecit *M. Antonii Majoragii* Decisiones, & *Jacobi Grifoli* Defensiones; quorum uterque ab injustis & temerariis Calcagnini accusationibus patrem eloquentiæ liberavit, ejusque auctoritatem a maledico convitiatore defendit; pleraque eorum quæ tanquam errata convitiator reprehenderat, ipsum non intellexisse demonstrans, hominisque loquacitatem honestis ac veris rationibus reprimens. Has Majoragii Disputationes, frustra in præstantissimis bibliothecis quæsitas, beneficio celeberrimi Viri *Antonii Magliabechii*, Bibliothecæ Medicææ Custodis immortaliter meriti, se debere doctissimus Editor prædicat. Quare isti non minores, quam huic, pro eloquentissimi Viri evulgatis *κειμηλίοις*, quæ hactenus penitus ignorabantur, gratias laudesque solvimus, & ut quam diutissime uterque supersit, ætatemque, ceu hactenus, litteris promovendis ornandisque impendat, vovemus.

SELECTA HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ Capita, & in loca ejusdem insignia Dissertationes Historicæ, Chronologicæ, Criticæ, Dogmaticæ. Auctore R. P. F. Natali Alexandro, Ordinis FF. Prædicatorum, in Sacra

cra Facultate Parisiensi Doctore Theologo, & in Majori Conventu & Collegio Parisiensi ejusdem Ordinis Theologiæ Professore, & Studii Regente. Seculi XV. & XVI. Pars secunda.

Parisiis, apud Antonium Dezallier, in vico San-Jacobæo, ad Coronam auream. 1686, in 8.

SEculi decimi quinti & sexti synopsin historicam continuaturus Autor, secundam hanc partem a conciliis nationalibus & provincialibus auspicatur, quibus disciplina horum temporum sancita vel instaurata fuit. Hinc progreditur ad politiam ecclesiasticam, ubi de metropolitanis, episcopis, clericis, ordinibus religiosis, bonorum ecclesiasticorum administratione, deque immunitatibus ac oneribus personarum ac bonorum ecclesiasticorum agitur, nec pauca passim occurrunt, quæ Romanæ Curiæ grata non fore haud difficulter augurari licet. Extrema capita Imperatorum orientalium & occidentalium, item Regum Galliæ, Hispaniæ & Angliæ historiam recensent.

Synopsin historicam excipiunt dissertationes, quibus pro more in anterioribus seculis hactenus servato, hanc etiam historiæ ecclesiasticæ periodum illustrat. Pleræque autem circa generalia 15 & 16 seculi concilia versantur. Prima enim occupatur in enarrando schismate, quod Pisano & Constantiensi concilio occasionem dedit, ubi Autor probandum suscipit, Gallicanam, Hispanicam aliasque ecclesias, Clementi VII & Benedicto XIII, antequam a Pisana synodo depositus fuisset, adhærentes, æque minus schismatis postulandas esse, ac Romanam, Italicam, Anglicanam ac alias, quæ Urbano VI, Bonifacio IX, Innocentio VII & Gregorio XII Romæ sedentibus adhæserunt; cum res adeo perturbatæ fuerint, ut quis esset verus ac legitimus Pontifex, discerni haud posset. Ut hoc ostendat, producit argumenta, quibus ab una parte *Johannes de Lignano* & *Baldus* JCti Urbani VI electionem ut legitimam defendunt, ab altera *Johannes Fabri* & *Petrus de Barreria* jus Clementis VII propugnant. Petro Regio Aragoniæ Principi sanctitatis & visionum fama celebri, & Catharinæ Senensi, Urbani VI patronis, ex parte Clementis VII Petrum de Luxemburgo & Vincentium

tium Ferrerium, prophetiæ dono, miraculis aliisque charismatibus conspicuos opponit, tandemque concludit, quamvis ecclesia deinceps in eam sententiam inclinaverit, quod Urbanus VI ejusque successores legitimi Pontifices fuerint, pessime tamen fecisse *Odoricum Raynaldum*, quod Reges Christianissimos, aliosque Reges & Principes, Prælatos ac Doctores Avenionensiū Pontificum Clementis VII & Benedicti XIII obedientiæ addictos, tanquā schismaticos traducat, cum invincibilis ignorantia, animusq; a cathetra S. Petri tanquam centro ecclesiasticæ veritatis indivulsus, & hac etiam in controversia ecclesiæ judicio subjectus, eos ab hac labe tam immunes præstiterit, quam immunis ab adulterii vel incestus crimine Jacobus fuit, cum ad Leam pro Rahele suppositam inscius accessit. Sententiæ suæ patronos adducit *Gersonium*, *Antoninum Florentinum*, *Johannem a Turrecremata*, & *Henricum Institoris*, ac deinde quanto studio ecclesia Gallicana & academia Parisiensis pro extinguendo funesto schismate laboraverint, exponit. Ac primum quidem in comitiis academiæ Parisiensis tres Facultates, Theologicam scilicet, Decretorum & Medicam, duasque nationes Facultatis Artium, Gallicam & Normanam, pro Clemente VII sententiam dixisse, Picardicam vero & Anglicam neutras partes eligendas pronunciasse refert, donec tandem summo omnium Facultatum consensu decretum de Clementis obedientia profitenda editum fuerit. Addit, *Simonem Freron* Theologiæ Professorem, Regi Carolo V, cujus jussu hæc comitia habita fuerant, pro cura Academiæ gratias egisse, moræque in deliberando factæ veniam postulasse, cum juxta Gregorii M. effatum Maria minus præstiterit, quæ cito credidit, quam Thomas, qui diu dubitavit. Eadem Academia, post comitia generalia peculiari epistola tom. 6 Spicilegii Dacheriani, & tom. 4. Histor. Univ. Paris. edita, tres vias extingendi schismatis Regi obtulit, primam quidem cessionis ac renunciationis, si uterq; Pontificum contendentium primatu suo se abdicaret; alteram compromissionis, si uterque in aliquos eligendos mutuo compromitteret, qui negotium hoc summa autoritate finirent, & tertiam concilii generalis. Adversus secundam viam objicientibus, quod Papa se aliorum judicio submittere non possit, respondet, etiam ipsum Christum matri & Josepho subditum fuisse, neque Papam Petro majorem esse, qui Pauli contradi-

tradicentis correctionem ſubmiſſe tulerit. Contra tertiam viam obſtrepentibus, quis concilio autoritatem daturus ſit? reſpondet Academia: *eam dabit conſenſus omnium fidelium, dabit Chriſtus &c.* Quibus ita poſitis Academia declarat, diſſidentes inter ſe Pontifices, ſi iſta pacis remedia amplecti nolint, nec aliam extinguendi ſchiſmatis rationem ineant, tanquam lupos ab ovili Chriſti abigendos, nec pro paſtoribus, ſed pro ſchismaticis ac hæreticis habendos. Cum vero Petri de Luna (poſtea Benedicti XIII) artibus efficeretur, ut Academiæ deputati reſponſum haud ſatis commodum acciperent, cancellario regni academiæ nomine libere denunciarunt, ipſam a lectionibus, concionibus omnibusque aliis ſtudiorum actibus ceſſaturam eſſe, donec juſtiſſimis ſuis petitionibus ſatisfieret. Reliquos Galliæ, in eaque Pariſienſis Academiæ, pro pace eccleſiæ conatus, epiſtolas, legationes cæteraque acta, quæ ex hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis aliisque monumentis Autor noſter producit, ut referamus, inſtituti noſtri limites non admittunt.

Secundæ diſſertationis argumentum ſunt acta concilii Piſani, cujus autoritatem contra *Antoninum*, *Cajetanum*, *Sanderum*, *Raynaldum* aliosque vindicat, qui eo maxime nomine hoc concilium tanquam minus legitimum rejiciunt, quod a Papa non convocatum fuerit; quam rationem *Gerſonius* ridendam & irrationabilem appellat, cum neque concilia in actis apoſtolicis memorata a Petro, neque Nicenum a Sylveſtro convocatum fuerit, & eccleſiæ unitas non a Papa, ſed a Chriſto originetur, qui non dixerit: ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine Petri vel Papæ, ſed: in meo nomine.

Sequitur in tertia diſſertatione hiſtoria concilii Conſtantienſis, ubi inter alia Autor noſter *Spondanum* refutat aſſerentem, quod *Gerſonius* in ſermone, quo concilii generalis autoritatem ſupra Papam extollit, non abſolute & formaliter, ſed caſualiter tantum & in neceſſitatibus eccleſiæ de vero Pontifice dubitantis, Pontificem concilio ſubjecerit. Hanc ſententiam Gerſonio plane adverſam eſſe, ipſis Gerſonii verbis, quorum ſenſum obvium & evidentem eſſe pronunciat, adductis demonſtrat. Obſervat inſuper, Johannem XXIII ſimpliciter a Conſtantienſi ſynodo Papam appellatum, donec exauctorationis ſententia in ipſum dicta fuerit, a quo tempore

pore Johannes XXIII nuper aut olim Papa appellatus fuit. Ex quo Autor concludit, Conſtantienſem Synodum Johannem XXIII, cum judiciariam autoritatem in ipſum exercuit, pro reo quidem, non tamen pro dubio, ſed pro vero ac legitimo Pontifice habuiſſe, adeoque non ſolum in caſu ſchismatis, ſed ſimpliciter & abſolute concilium Papa ſuperius agnoſcendum eſſe.

Cæterum cum Clerus Gallicanus in declaratione A. 1682 promulgata ſtatuat, *ſic ineſſe apoſtolicæ ſedi rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant atque immota conſiſtant ſacræ œcumenicæ ſynodi Conſtantienſis decreta de autoritate conciliorum generalium, quæ ſeſſione quarta & quinta continentur*, ſuarum partium eſſe duxit Autor, ut hanc Cleri Gallicani ſententiam, & prædicta Conſtantienſis ſynodi decreta, quarta & quinta ſeſſione promulgata, quorum autoritatem curiæ Romanæ patroni infringere laborant, peculiari diſſertatione tueretur. Sequitur igitur quarta diſſertatio, qua Autor decreta iſta concilii Conſtantienſis, & Clerum Gallicanum iisdem decretis inhærentē, adverſus antagoniſtas nonnullos vindicat. Ac primum quidem eccleſiam Gallicanam declaratione ſua ſibi tantum, non aliarum eccleſiarum Prælatis ac Doctoribus legem ſtatuere profitetur, neque ſupremam autoritatem concilii generalis ut dogma fidei, verum ut opinionem magis probabilem & Scripturæ S. ac traditioni magis conſonam proponi. Negat deinde, Præſules Gallicanos declarationem ſuam de eccleſiaſtica poteſtate eo conſilio edidiſſe, ut Curia Romana propoſitionibus illis perturbata cogitationes ſuas a regaliæ negotio averteret, quod *Autor anonymus tractatus de libertatibus eccleſiæ Gallicanæ* objecerat. Perſuaſum enim ſibi habet, Pontificem Romanum ejusmodi propoſitionibus minime turbari potuiſſe, quæ & ante & poſt concilium Conſtantienſe, & in ipſa quoque Tridentina ſynodo, ab academia Pariſienſi & eccleſia Gallicana propugnatæ fuerint, longeque aliis machinis potentiſſimum Regem perturbare urbem curiamq; Romanam potuiſſe, ſi id in animo habuiſſet. Porro ſententia Cleri Gallicani primatui Pontificis nihil derogari aſſerit, niſi forte in eo poſita fingatur Romani Pontificis dignitas, quod Reges exautorare, canones pro arbitrio diſſolvere & diſciplinam eccleſiaſticam evertere valeat, aut quodvis peccati genus cum impunita-

tis privilegio committendi potestatē habeat. Quemadmodum igitur Deus non irascitur Theologis de omnipotentia divina disputantibus, eiq; omnia ea denegantib9,quæ æternæ ipsius sanctitati congrua non sunt: pari modo nec a Pontifice Romano ægre ferendum pronunciat, si Theologi de Pontificia potestate inter se disceptent, & plenitudini pontificiæ potestatis ea subtrahant, quæ non ad ecclesiæ ædificationem,sed destructionem vergunt. His aliisque pro justitia & necessitate declarationis a Clero Gallicano promulgatæ præmissis, aggreditur *Emmanuelem Schelstratenum*, cujus tractatum de actis concilii Constantiensis,in actis nostris A. 1683 Cal. Novemb. p. 501 relatum videas.Ejusdem Schelstrateni pro hoc tractatu contra *Maimburgium* vindicias in actis nostris A. 1686 mens. Jun. p. 307 excerpsimus. Verum illas Autori nostro, cum hanc dissertationem scriberet, nondum cognitas & perspectas fuisse, ipsa temporis ratio facile persuadet. Asserit autem contra priorem illum Schelstrateni tractatum, decreta illa concilii Constantiensis Sacræ Scripturæ, traditioni patrum & regulæ ecclesiasticæ conformia, totiusque ecclesiæ consensu & ipsorum Pontificum decretis confirmata fuisse.

Ex Scriptura Sacra adducit Matth. XVIII, 15 & seq. ubi notat, Pontificem Romanum esse fratrem peccato obnoxium, adeoque fraternæ correctionis capacem, & si fratrem corripientem non audiat, ecclesiæ, quæ non sit ipse Pontifex, judicio subjectum; item Matth. XVIII, 20. Joh. XIV, 16 & Act. VIII, 14. Ad loca ex Luc. VII, 42. Joh. XXI, 15.16.17. Eph. IV, 11 & seq. Eph. V, 25. a *Bellarmino* in contrarium adducta, quibus *autor anonymus tractatus de libertatibus eccl. Gall.* duo alia loca ex Math. XVI, 18. & Luc. XXII, 32. adjungit, ordine respondet.

A Scriptura pergit ad traditionem Patrum, quos concilium generale pro supremo causarum ecclesiasticarum tribunali agnovisse, e controversia de festo paschatos, e quæstione de baptismo hæreticorum, e causa Cæciliani, Apiarii,aliisque certaminibus in primitiva ecclesia agitatis,per singula secula ostendit, & anonymi scriptoris aliorumque objectiones diluit.

Postquam recte a Concilio Constantiensi Pontifices concilio subjectos ostendit, decretum illud integrum inviolatumque ad nos perveniisse,contra *Schelstrateni* conjecturas probat, contra eundem

dem asserens, synodum Constantiensem 4 & 5 sessione ecclesiam universalem sufficienter repræsentasse, neque ea decreta sine debita deliberatione omniumque,quorum interfuit, consensu edita fuisse, tandemque concludit, illorum sententiam a Clero Gallicano merito improbari, qui decreta quartæ & quintæ sessionis de conciliorum generalium supra Papam eminentia,vel de solo schismatis tempore intelligunt, vel omni valore ac robore destitui arbitrantur. Hæc de secundo 15 & 16 seculi volumine, quod quarta hac dissertatione clauditur, sufficiant. Tertium & quartum volumen ad aliud tempus reservamus.

JOH. JACOBI HARDERI PHIL. ET MED. Doct. Anatom. & Botan. Prof. Serenissimi Princ. Badens. Med. & S. R. I. Acad. Nat. Cur. Pæonis ac Patavin. Illustr. Recup. Socii APIARIUM.

Basileæ, impensis Joh. Phil. Richteri. 1687, in 4.

QUæ alias apum est solertia in colligenda undiquaque mellis ceræque copia, ea certe Harderi quoque industria fuit in congerendis jucundis pariter ac utilibus Observationibus Medicis, ita ut præsens hæc Centuria non immerito Apiarii nomine superbire queat. Quid enim jucundius magisque gratum accidere potest naturæ curiosis, quam accuratior corporum inquisitio & examina anatomica, quorum largiorem numerum non parca manu exhibet præsens tractatus. Sistitur hic sectio ciconiæ, aquilæ, tardæ avis atque gallinæ, ranæ, serpentum, lacertarum, talpæ, muris alpini, rupicapræ, hinnuli cervique, item uteri porcini & ovilli, fœtus vitulini, leporini, humanique &c. Ne vero quis existimet in nudis speculationibus acquiescere Authorem, sciendum est, Historias hic congestas utplurimum esse practicas, rariores, adeoque tales, quæ prodesse non minus quam delectare poterunt. Sic vos non vobis mellificatis apes: & utinam omnes cum Hardero æque ingenue in publicum conferrent commodum, quæ privatis laboribus acquisita per invidiam celantur. Nam & in hoc imitatus est Clarissimus Vir apum mellificia,quod non ea solum delibare quæ suavia, sed

& quæ virulenta voluerit. Hac de causa crebrius instituto experimento vires tentavit olei nicotianæ destill. inque variis animantibus, ciconia, rana, serpente, lacerta, molossoque lethalia induxisse symptomata, spasmum præcipue aut motus convulsivos aut tremorē, expertus est. Exhibuit autem oleum illud nunc interius, vel solitarie, vel cum pane aut amygdalis dulcibus contusis, nunc exterius modo inunctum capiti vel dorso, modo leviori vulnusculo instillatū aut mediante acu trajectum cum filo; ubiq; vero mors secuta est, solis exceptis limacibus, quippe quorum connata lubricitas omnem istius olei acrioris virulentiam elusisse visa est. Ast cicutæ terrestris noxam in canibus, porcellisque Indicis, item radicis lupariæ luteæ venenositatem in ciconia satis notabilem observavit, facto hunc in finem non uno tentamine. Neque tandem prætereundum duximus, irritatum a *Joh Bapt. de Lampsverde* in Hist. Nat. Molar. Uteri, *Harderum* ad defensionem sui esse jam paratissimum. Sentiet fortassis & ille aculeum Nostri, qui uti alias solitus est nocere nemini, ita non male invectivas adversarii decenti Apologia, occasione Observationis 92 hic adjecta, obtundit.

DE L' UTILITE' DES VOYAGES ET DE l' avantage que la recherche des antiquitez procure aux Scavans : par M. Baudelot de Dairval.


id est


De utilitate peregrinandi, & commodis quæ Antiquitatum investigatio eruditis conciliat: auctore Carolo Cæsare Baudelotio de Dairval.

Parisiis, apud Petr. Aubouin, 1686. in 12.

MAgnam peregrinationis esse utilitatem, plurimumque scientiæ comparare eos, qui populorum longis regionum intervallis disjunctorum urbes ac mores perspiciunt; & hac potissimum via claros doctrina viros in arcana sapientiæ ac eruditionis penetrasse, compluribus exemplis & insignibus rationibus demonstrat Auctor. Cumprimis autem Antiquitatum investigationem, quarum

TAB. II. ad A: 1688. pag. 98: 116.












Fig. 9.



Fig. 10.









Fig. 11.





Fig. 12.









Fig. 13.



rum in itineribus se copia offert, iis qui veram peregrinandi rationem ineunt, multum conferre ad consequendam præclaram in artibus ac omni disciplinarum genere scientiam, ostendit: quod sacrorum prisca religio, omniumque rituum ratio ex vetustis, quæ per orbem visuntur, monumentis, nummis, statuis, inscriptis lapidibus, tabulis, & libris manuscriptis cognoscatur, quæ ad solidam eruditionem consequendam ingens adferat adjumentum. Numismatum utilitatem *p. 70.* inscriptionum præstantiam *p. 75.* statuarum nobilitatem *p. 89.* explicans, & quam solliciti veteres non magis in tribuendo his honore, quam adipiscenda earundem copia fuerint, quod pretiosissimæ supellectili eas annumerarent, exemplo Ciceronis & Senecæ docet: cujus obscuriorem locum e *cap. 9.* libri *de tranquill. animi* post Lipsium cæterosque commentatores illustrat & emendat *p. 104. 110.* sicut & super Trebellii Pollionis loco de *Calphurniæ statua in templo Veneris locata Argolica sed aurata* e *Triginta Tyrann. cap. 32.* late disquirit, & a Salmasio Casaubonoque discessione facta, conjecturas suas exponit *p. 118*, ac observat, magnitudinem statuarum, quas quatuor generum fuisse *p. 115.* tradit, maximam Deorum, magnam Heroum, minorem Principum, minimam & quæ vulgari hominum staturæ responderet, reliquorum insignium virorum, neutiquam ob conditionem eorum, quibus positæ fuerunt, sed pro ratione situs ad oculorum mensuram fuisse discretam *p. 129.* Inseritur justa de Diis Laribus commentatio, eorumque origo & nomina exponuntur *p. 134. & seqq.* Deorum scilicet Samothracum, Penatium, Præstitum, Geniorum, Tutelarium: quæ universa idem significare docet, nec singulare Deorum genus fuisse Lares, sed quemvis Deorum, quem quisque pro sua pietate colendum sibi elegerit, isthoc nomine venisse tradit *p. 146. & seqq.* Quasvis parvas figuras & imaguncula Larium appellatione nuncupatas fuisse e Macrobio patere asserit, qui festum Sigillariorum & Larium idem esse memoriæ prodiderit *p. 165.* Boxhornium, qui putavit Lares nihil aliud esse, quam animas virorum bene meritorum, atque ideo Deorum conditioni, ut Apulejus loquitur, conciliatorum confutat *p. 165 & seqq.* & Kippingium, qui e cera tantum Lares compactos & caput caninum retulisse tradidit, *p. 177. & seqq.* notat: proprium vero penatium indicium esse canem vel caninam

pellem cum lampade obſervat, variasque lampadum formas ex Liceto & aliis profert, plurimasque Inſcriptiones recitat & illuſtrat, usque ad *pag. 278.* Subjunguntur quædam de picturis & muſivis ac anaglyphis, ſeu cælaturis eminentibus *p. 279.* architectura, & operibus publicis *p. 287. & ſeqq.* gemmis & earum ſculpturis, *p. 293.* Inter quas cum ſuperſtitioſi etiam annuli numerentur, de iſtis quædam non contemnenda affert, & huc refert Ægyptias gemmas, quas a voce cum portentoſis formis in iisdem extante ABPAKAΣ appellatas TAB. II. Fig. 9. 10. exhibent. Ithyphallicas quoque vel Priapejas rariores nonnullas *p. 332. 333.* ac tandem amuletorum figuras varias, quas contra faſcinum pueris puellisque collo ſuſpenderunt, *p. 334. ſeqq.* ob oculos ponit. Concludit *priorem* libri tomum commemoratione ſcriptorum ſeu librorum, qui varia antiquorum utenſilium vaſorum, ac hujusmodi ſupellectilis genera exhibent: tandemque in juſtis theſauri rerum antiquarum & pretioſarum, a Galliarum Rege collecti, laudibus deſinit *p. 358.*

Tomum *poſteriorem* inchoat a diſſertatione de ſignis illis conſecratis, quæ Arabico nomine TALISMAN appellant: quod vocabulum a Græco τέλεσμα ortum, ab Arabibus receptum eſſe, Salmaſius ad Flavium Vopiſcum fol. 360 docet. Sunt autem Talismani icunculæ aliæve figuræ gemmis inſculptæ, aut ex auro, argento, ære, ferro conflatæ cuſæque, aut e ligno vel lapide cæſæ, conſecrationibus carminibusve myſticis aliisque certis artibus, inprimis obſervato ſiderum motu, ad mala averruncanda aut proſpera conferenda factæ; quales conſpiciuntur in adjecta tabula Fig. 11. 12. depromtæ e *p. 394.* Horum inventores Ægyptios fuiſſe, & ab his ad Iſraelitas hanc artem derivatam, arcana quadam naturæ vi, cujus ratio perveſtigari nequeat, tot admiranda effeciſſe, ut Galenus, Alexander Aphrodiſæus, aliique ſummi Viri ejus uſum approbarint, Auctor cenſet, & e Gaffarello, Petro Petito, Chiffletio ac pluribus ſcriptoribus multa de iſtis taliſmanis, annulisque Samothraciis affert. Poſt hæc Manuſcriptorum codicum præſtantiam commendat, eaque occaſione lites Papebrochii & Jac. Petiti cum Mabillonio ſuper diplomatibus quibusdam *a p. 432. ad p. 442.* enarrat, ac manu exaratos libros ſimiles ait venis aurifodinarum, unde literæ ſplendorem imo vitam habeant. Plurimum tamen eos inter ſe differre,

ferri, & pro fatis populorum imperiorumque libros quoque fata ſua eſſe ſortitos, *p. 443.* De variis hoc loco linguis, Chaldæa, Phœnicia, Punica, Hetruſca, Druidarum, Ægyptia, Hebræa, Coptica, Armena, Perſica, Arabica, Græca & Latina *p. 444. & ſeqq.* diſſerit, & in earum plurimis formas literarum hodiernis diſſimiles extitiſſe oſtendit, & tum Græcas *p. 466. ſeqq.* tum Latinas *p. 475.* per ætates certas ceu claſſes diſtinguit, deque uncialibus, capitalibus, quadratis & minuſculis literarum elementis disquirit. Trium litterarum, quas Claudius Imp. prioribus in Latina lingua addiderit, ubi mentionem facit, duo antiqua monumenta, quorum unum *Figura 13* exhibet, e *pag. 479.* depromtum, illuſtranda ſibi proponit. Fig. 13. An aliæ etiam litteræ Romanis in uſu fuerint, multis adverſus Budæum & inprimis Mabillonium diſputat; ſumma tandem iſthuc redeunte, unius generis eos uſos eſſe litteris, omnem vero mutationem earum Gothis & Longobardis deberi. Varia quoque de materia librorum apud Veteres diverſa, atramenti ac ceræ coloribus, & tribus Manuſcriptorum generibus profert, quorum primum *p. 466,* alterum *p. 510.* tertium *p. 521.* exponit. Tandem de Nummis antiquis multa diſſerit *p. 529. & ſeqq.* enarrans eorum ortum, quem ad Hebræos refert, materiam, nomina, magnitudinem, pondus, genera diverſa; elenchum item attexens multorum numiſmatum, quæ ipſe poſſidet *p. 587. & ſeq.* & qua ratione genuini nummi a ſuppoſititiis & falſis, novi ab antiquis ſint diſcernendi, tradens. Subnectit indicem virorum per Europam clarorum, quibus antiqua monumenta cordi ſint *p. 675. & ſeqq.* denique regulis quibusdam cuivis peregrinas regiones adituro ſervandis *p. 695.* librum claudit. Quæ, etſi non indigna relatu, prolixius enarrare chartæ anguſtia prohibet.

* * *

Sub actorum horum finem, curioſis Antiquariis indicandum duximus: Marcum Majerum, *bibliopolam Lugdunenſem in Gallia, editionem latinam meditari* Siciliæ Veteris & Novæ, numismatibus a Philippo Paruta & Leonardo Auguſtino collectis illuſtratæ. *Pars illius altera ex ſcriptoribus optimæ notæ* hiſtorico-geographicā deſcriptionem Siciliæ *ſuccincte eruet; altera* Siculorum hiſtoriam per ſe-

cula sequiora ad nostra usque tempora *deducet. Utrobique singulis Autorum dictis fides astruetur ex* marmoribus, numis *& id genus* monumentis *aliis, Græcis, Latinis, vetustis, barbaris, recentioribus, cum cura explicandis. Obnixe igitur rogantur Eruditi, ut apographa ectypaque illorum numismatum ac inscriptionum, quæ* Parutæ, Augustini, *ac, qui post illorum messem spicilegium invenit,* Georgii Gualterii *diligentiam fugerunt,* Majero *impertiantur benevole, qui, ut singulorum hoc nomine bene de re literaria merentium mentio in opere ipso cum decenti gratiarum actione fiat, curaturum se bona fide promittit.*

LIBRI NOVI.

Christophori Franckii S. Theol. D. & Prof. Ord. Exercitationes Anti-VVendelinianæ de præcipuis inter Ecclesias Lutheranas & Reformatas controversiis. Kiloni, 1687, in 4.

Tobiæ Pfanneri de Catechumenis antiquæ Ecclesiæ Liber. Francofurti, 1688. in 12.

Francisci Burmanni Exercitationum Academicarum Pars prior & posterior. Roterodami, 1688. in 4.

Pratique de l' Arithmetique, par le Sieur L. G. à Liege 1687. in 12.

Ouvrage de Prose & de Poesie des SSrs de Maucroy & de la Fontaine. A Amsterdam 1688. in 12.

Testament Politique d' Armand du Plesis Cardinal Duc de Richelieu, A Amsterdam, 1688. in 12.

Methode pour apprendre facilement la Geographie par Mr Robbe. A Utrecht, 1687. in 12.

L. Johannis Cypriani Historiæ Animalium a D. VVolfgango Franzio olim scriptæ Continuatio in Commentario & Supplemento. Lipsiæ & Francof. 1688. in 8.

Petri Petiti de Amazonibus Dissertatio. Amstelod. 1687. in 8.

Philippi a Limborch de Veritate Religionis Christianæ Amica Collatio cum Erudito Judæo. Goudæ, 1687. in 4.

ERRATA.

In Actis A. 1687. pag. 587. lin. 25. pro *qualitatis*, lege *quantitatis*. pag. 588. lin. 12. pro *20. 10. 4.* lege 20. 5. 4. Rogantur vero serio, quotquot Acta nostra legere dignantur, librorum inprimis qui memorantur Auctores, ut si quæ errata seu typographica, seu alia per festinationem aut incuriam forte referentis admissa, deprehenderint, de iis, ut emendari mature possint, amice nos ac libere admoneant. Humani enim nihil a nobis alienum putamus, & labi possumus facillime, eoque promptius correcturi, si quid est peccatum aut deinceps peccabitur.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anni M DC LXXXVIII.

GUILIELMI ZAPFII, ARCHIATRI CLARISSIMI, ad O. M. Amicum veterem Epistola, Aloes Americanæ, prout in Serenissimi Saxoniæ Ducis MAURITII GUILIELMI horto nuper efflorvit, Historiam complexa.

QUod a me flagitasti hactenus, Vir — — — — , ut scilicet accuratam Aloes Americanæ, quæ hic loci nuper efflorvit, Historiam tibi communicarem, id ego pro amicitia nostra, licet tardiuscule, tandem exequor. Nam, fateor, excusandam habeo moram, quam tamen non morositate quadam contraxi, sed quod floris rarissimi periodum integram, qua iste pariter ac universa cætera caduca, natus est & adolevit, & jam in occasum vergit, expectare, nec tantum qua cœperit ratione, sed & qua desierit, exponere volui. Quod autem florem istum pro rarissimo, imo monstroso vendito, de eo tibi mecum facile convenerit, ubi quæ mox sequuntur, haud gravate intellexeris, & cum aliorum observationibus contuleris.

Illata est hæc planta XVII abhinc annis horto, qui aulæ Reverendissimi & Serenissimi Principis, MAURITII GUILIELMI, Ducis Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium &c. Episcopatus Numburgensis Administratoris, Domini mei Clementissimi, contiguus est, XII quidem annos jam nata, sed exigua magnitudine conspicua. Effecit autem singularis cura hortulani, peritia pariter ac industria nemini suæ professionis facile secundi, ut anno

trigesimo nondum exacto, nempe pridie Iduum Junii A. M DC LXXXVII caulem inopinato prorrudere inciperet. Enimvero quid de caule dico? cum, quod de hac planta (antequam *Abrahamus Muntingius* Botanices, dum viveret, in Academia Groningensi Professor, in Aloidario, quod vocat, Tractatui de Vera Herba Britannica annexo, & in Actis Eruditorum A. 1682 pag. 17 memorato, suæ illius & vere, ut fatetur, monstrosæ Aloes Descriptionem publicæ luci exposuit) vix visum auditumve fuerat, caules tres, eosdemque haud exiguæ proceritatis, & quidem simul emiserit, quorum medius in XII pedum, extremorum autem major in XIII pedum & 2 pollicum, minor in XI pedum & 9 poll. altitudinem excrevit. Circa quos observatu dignũ adhuc est, quod nullus istorum caulium, uti fieri cæteroquin solet, ex meditullio plantæ, sed omnes ex ejusdem latere promineant. Interea nimius ille luxuriantis naturæ conatus procul dubio in causa fuit, cur nullus ex caulibus eam, quam alias vi unita consuevit, altitudinem attigerit. Extantiorum duorum uterque in XXIV, brevior autem in XXII ramos vel brachia discessere, & flores colore luteo-virides in universum 3921 exhibuere, qui mense demum Septembri apparere cœperunt, moram injiciente dubio procul, qui tunc desæviit, Euro-Borea, & aere gelido; quorum injuriis tamen mox hibernaculo condita planta spretis, quod reliquum florum est, fornace obstetricante adhuc excludit. Quilibet florum VI gaudet foliis, totidemque staminibus, quorum apicibus antheræ flavæ transversim impositæ videntur. Hæ arefactæ sulphur quoddam vegetabile (nec tamen inflammabile) vi anodyna præditum, ideoque epilepticis & calculosis conducibile præbet. E centro florum stylus exurgit, altitudine stamina dicta superans, cujus apici corpusculum triangulare inhæret. Ex floribus copiose stillavit aqua blandissimi roris, qui in Corona Imperiali colligitur, saporem referens. Sed vix unius noctis spatio servata, adeo computruit, ut fœtorem gravissimum ederet. Tentata est ejusdem mediante destillatione depuratio, sed a corruptione liberari nulla ratione potuit. Fuit qui me suasore, explendæ curiositati, duo cochlearia illius aquæ degustaret, homo robustus & egregie valens, quæ ei mox nauseam & binos excitarunt vomitus. Spes est, plantam, etiam postquam defloruit, & cau-

TAB. III.
ad A. 1688. pag. 123.



TAB. IV.
ad A. 1688. pag. 123.



Christian Schæfer. delineavit.

J. C. Böcklin. sc.



& caules emarcuere, ſervatum iri, nec, uti alioqui ſolet, perituram, cum ex oppoſito latere ſtolones quatuor ſatis validos atque ſanos adhuc oſtendat. Num autem totidem caules emiſſura aliquando ſit (quod quidem probabile reddunt, quæ in Muntingiana Aloe, cujus memoratam ſupra deſcriptionem cum mea hac noſtra Hiſtoria conferri operæ foret pretium, deprehenſa fuere) an pauciores aut plane nullum, eventus docebit. Hæc ſunt, Vir — — —, quæ relatu digna duxi. Nec enim vacavit, aut lubuit, quæ vulgaria ſunt & aliis paſſim obſervata, huc tranſcribere. Mitto vero & ipſius Aloes delineationem ad ſcalæ adjectæ menſuras exactam, & ramuſculum floribus onuſtum nativæ magnitudinis. Tu hæc æqui bonique conſule, meque amare perge. Dab. Cizæ die XXIII Januarii A. M DC LXXXVIII. Tab. II & IV.

AULI GELLII NOCTES ATTICÆ CUM Notis & Emendationibus Joannis Frederici Gronovii.

Lugduni Batavor. apud Joann. de Vivie, 1687, in 8.

VAriam & miſcellam & quaſi confuſaneam doctrinam ex optimis auctoribus veteribus Græcis & Latinis, quorum plurima monumenta interciderunt, conquiſitam, ordine rerum fortuito digeſtam, *viginti* commentariorum (ut ipſe appellat) voluminibus haud contemnendo ſtylo conſignatis, incluſit Gellius: quæ quia Athenis contexuerat, ubi dies in ſtudiis & ſocietate philoſophantium ducens, longinquas per hiemem noctes ac vigilias iſtis annotationibus conſcribendis impenderat, *Noctium Atticarum* nomine inſignivit. Ex iſtis ſextus liber διὲφαλ@ hodie cernitur, totus vero octavus injuria temporis abſumtus titulos ſolum vel indices capitum habet ſuperſtites; qui autem ſuperſunt, plurimis ſive depravatorum codicum, ſive incurioſorum editorum culpa, inquinati ſunt mendis: quibus eluendis haud infelicem operam tribuerunt *Ludovicus Carrio* in ſuis Variarum Lectionum & Emendationum collectaneis; *Juſtus Lipſius* in Criticis ſuis operibus; *Claudius Salmaſius* in prolegomenis Exercitationum Plinianarum, ubi Præ-

fationem harum Noctium antea operi integro subjectam, suo loco asserit & præfigendam ei esse ostendit, ac erudite emendat & illustrat; *Petrus Lambecius* in Prodromo Lucubrationum criticarum in Gellianas Noctes, Parisiis A. 1647 edito; *Philippus Carolus* in Animadversionibus Gellianis, a Christophoro Arnoldo A. 1663 evulgatis, aliique passim in philologicis suis commentationibus, quarum vix ulla reperietur collectio, quæ non operam præstare corrupto uni alterive loco Gellii studeat. Integrum autē eum in lucem primi protulerunt, typisque descriptum publico dederunt Romæ A. 1474 *Sueinhemus* & *Panartius*, quos secuti sunt *Badius*, *Gryphius*, *Aldus*, *Mosellanus*, *Henr. Stephanus*, *Ant. Thysius* & *Jacobus Oiselius*. Etsi vero in restituendo eo multum operæ hi posuerint, multis tamen corruptorum locorum tenebris immersas relictas ab iis fuisse has Noctes, Codex qui in bibliotheca Regis Galliæ diu neglectus delituerat, manifestam dedit fidem. Hunc a Salmasio, Bourdelotio & Lambecio conspectum, accuratius evolvendum sibi putavit in indagandis optimæ notæ codicibus, & ex his emendandis Scriptorum Græcorum Latinorumque depravatis locis, maxime industrius felicissimusque Vir, *Jacobus Gronovius*, patris celeberrimi *Joannis Frederici* consilium secutus: qui antea nactus Salmasii Gellianum librum, cui is varias lectiones in Regio Codice deprehensas adscripserat, eundem auctorem ad istud exemplar concinnatū anno 1651 primum evulgavit; postea etiam a Jo. Scheffero e Suecia, & Bern. Rottendorffio e Westphalia acceptis codicibus usus, cumprimis autem Regii istius præstantissimi in Gallia, & Lincolnienſis in Anglia MSStorum ductu, quæ in itinere doctissimus Filius accuratius perlustraverat, cum vulgatis contulerat, & Parenti varias lectiones enotatas submiserat, emendatissimum Gellium ejusque Noctes omnibus tenebris depulsis dare constituit, & in istum Notas conscripsit: quarum filum, ubi ad nonum pervenerat librum, ulterius pertexere per fatorum legem ipsi non licuisse, sed vitæ simul & operæ hujus filum abruptum fuisse (quod anno 1671 maximo cum litterarum damno & dolore summo contigit) æmulus & dignus tanto Patre Filius nos docet. Qui studii hujus paterni Gellio impensi fructus ne intervertatur, sed ut ad plures perveniat, editionem hanc Notis ac Emendationibus ad priores novem libros instructam publico dedit, & a Patre aspersam

lucem

lucem Noctibus his affudit, exhibentibus *primitias quasdam & quasi libamenta* (ut præclare de iis ipse Auctor loquitur) *ingenuarum artium: quæ virum civiliter eruditum neque audisse unquam, neque attigisse, si non inutile, at quidem certe indecorum est.*

JACOBI USSERII OPUSCULA DUO &c.

Londini, impensis Samuelis Smith, 1687, in 8.

Quinque diversos tractatus continet hic libellus, a diversis auctoribus concinnatos, quos ordine enumerabimus.

Primi duo Jacobum Usserium, Achiepiscopum Armachanum, nulli non litteratorum notissimum, parentem habent, & Anglico sermone antea editi, nunc Latio donati sunt per R. R. E. B. P. sub quibus litteris quale nomen lateat, Lectoribus divinandum relinquimus. Prius Usserii opusculum *Episcoporum & Metropolitanorum originem* explicat, quam is partim in exemplari a Deo in V. T. præscripto; partim in imitatione ejusdem ab Apostolis invecta, & ab ipso Christo in N. F. confirmata, fundari adserit. Proinde repetita breviter Sacerdotum Levitarumque ex sacro Codice historia, officium eorum ex Deut. 33, 10. inculcat, & cum posterior muneris pars in sacrificiis & thymiamatis consistens una cum illis exoleverit, tum ex priore concludit, Episcopos & Presbyteros debere διδακτικὸς esse, nec ut Anti-Christi commentum rejiciendos. Pergit ad vindicandum locum Apocalypseos I. 20. de Angelis septem Ecclesiarum, adversus Thomam Brightmanum Presbyterianum, & inprimis de Ephesina Ecclesia dispicit, in qua unus Angelus cæteris præsederit, seu Timotheus is fuerit, seu unus ex successoribus illius proximis. Timotheum fuisse Antistitem Presbyterii Ephesini, fateri Bezam, eundemque primum Ephesiorum Episcopum fuisse ordinatum, non solum in subscriptione secundæ ad Timotheum Epistolæ, & in Hist. Eccles. Eusebii legi, verum etiam in duobus de Timothei martyrio libellis, altero apud Photium, altero sub Polycratis nomine edito. Adjicit Ignatii testimonium, qui in epistola ad Ephesiorum, Ecclesiam, duodecim tantum annis post Apocalypsin scripta, Onesimi episcopi eorum mentionem faciat; & in altera ad Smyrnenses Episcopo eorum & Presbyterio salutem dicat; illum autem non alium fuisse, quam Polycarpum, qui & in loco Apocalypseos per Smyrnensis Ec-

cleſiæ Angelum deſignetur. Subdit Tertullianum cap. 32 de Præſcript. hæret. ſucceſſiones epiſcoporum inculcantem, quas in Eccleſiis etiam Britannicis ſervatas contendit, ſiquidem verum ſit, quod Simeon Metaphraſtes ex ignoto nobis Euſebii libro referat, Petrum Apoſtolum ibi Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos ordinaſſe. Præterea ex Tertulliani lib. 4. adverſus Marcionem cap. 5. conficere vult, cæteros Epiſcopos ad eandem originem referri debere, idque confirmare ex ſcriptore martyrii Timothei apud Photium, qui Joannem ſeptem Epiſcoporum præſentia adjutum Epheſiorum Metropolin gubernaſſe adſerit; & ex Clemente Alexandrino, qui ab eodem Apoſtolo Epiſcopos conſtitutos adfirmat. His confirmatis varia adfert argumenta, quibus probet, ſeptem illas urbes in Apocalypſi memoratas fuiſſe metropoles Aſiæ Lydianæ ſive Proconſularis, adeoque Eccleſias illas fuiſſe Metropoliticas. Disquirit etiam, quænam illa Regio ſit urbicaria, cui Epiſcopus Romanus præfuerit, quamque ex Ignatio aliisque ſcriptoribus oſtendere ſatagit. Tum agit de unica eccleſiaſtica metropoli, Carthagine in Africa, cui præfuit Cyprianus; de metropoli Lugdunenſi in Gallia, cujus præſes erat Irenæus; de Gortynæ Eccleſia metropolitica in Creta, cui præſedit Philippus, quamque ab ipſo Tito Euſebius derivat, ſubſcribentibus ſi poſterioribus Græcis & aliis. Hinc monet, origo hujus Epiſcoporum plurium ad ſuperiorem unum ſubordinationis, ab Apoſtolico jure non poſſet repeti; tamen eam Bezam arceſſere ab eodem naturæ ſuaſu & ab eadem neceſſitatis flagitatione, qua ſenſim homines primo in ſocietates & politias coierint: concluditque, de primis illis Eccleſiæ Chriſtianæ Epiſcopis reverenter ſentiendū eſſe.

Poſterius Uſſerii Opuſculum continet *Diſquiſitionem Geographicam & Hiſtoricam de Aſia Lydiana ſive Proconſulari, & de ſeptem in ea Eccleſiis Metropoliticis.* In qua primum obſervat, Romanos, cum poſſeſſionem caperent earum regionum, quæ prius ad Pergamenos Reges pertinebant, eas in provinciæ formam redegiſſe; quam Magnæ Continentis nomine vocarint Aſiam. Hanc a Cicerone in quatuor regiones, Phrygiam, Myſiam, Cariam, & Lydiam, diſtinctam monet, ſingularumque terminos ſolicite inquirit: præſertim vero de poſtrema, Lydia, agit, eamque Aſiæ nomine veniſſe cum ex aliis ſcriptoribus probat, tum ex Novo Teſtamento, Act. XVI. Addit, ſeptem Aſiæ Eccleſias in Apocalypſi, Lydianæ illius Aſiæ limitibus

bus contineri, & quæ aliunde objici poterant, diluit. Inprimis autem veriſimile putat, Veſpaſianum hanc Proconſularem Aſiam ab Aſia reliqua ſeparaſſe; monſtratque variis teſtimoniis, ab hoc tempore & deinceps, longe ante diſtributionem Imperii a Conſtantino factam, Proconſulis Aſiæ nomen in ſcriptoribus occurrere: poſt Conſtantinum autem, Officiorum Vicarii Diœceſis Aſianæ, & Proconſulis Aſiæ, diſtinctionem evidentius occurrere, præſertim in Eunapio, cujus notabilem locum in vita Maximi præclare illuſtrat. Subjicit, a Theodoſio ſeniore Conſularis Helleſponti Provinciam Vicario Aſianæ Diœceſeos ademtam, Proconſuli Aſiæ ſubjectam fuiſſe; atque aut ab ipſo, aut ab Arcadio ejus filio, interiorem Lydiæ Provinciam contra Proconſuli Aſiæ detractam, & Vicario Diœceſis Aſianæ additam. Porro obſervat, quanquam olim in Aſia Proconſulari Metropoles eſſent plures; tamen in diſpoſitione Imperii per Conſtantinum facta decretum fuiſſe, ut tam in hac, quam in aliis omnibus ſingulatim Provinciis, urbs una tantum primaria Metropolis haberetur: eamque dignitatem in Aſia iſta Epheſo collatam eſſe. Deniq; cum in Orientali præſertim Imperio Eccleſiaſtica adminiſtratio civili reponderit, tum declarat, quomodo in Aſia Proconſulari Metropoliticarum Eccleſiarum dignitas vel ſervata, vel immutata fuerit.

Sequitur *Veteris Eccleſiæ Gubernatio Patriarchalis, ex Eduardi Breerevvood ad certas quæſtiones Reſponſione, declarata.* Prima quæſtio eſt: *An Concilii Nicæni tempore unaquæque Eccleſia ſive Epiſcopus, uni e tribus Patriarchis, Romano, Alexandrino & Antiocheno, quorum in ſexto Synodi illius Canone fit mentio, ſubjiceretur?* Reſpondet Auctor, negando: quia in ipſo Canone ſtatim addatur, apud cæteras quoque provincias, honorem ſuum unicuique Eccleſiæ ſervandum eſſe; & canon ſecundus primæ Generalis Synodi Conſtantinopolitanæ tantundem fere adfirmet. Dehinc exponit terminos jurisdictionis trium illorum Patriarcharum, Romani cumprimis, qui ſuburbicarias regiones tenuerit, de quibus ſenſum ſuum explicat: reliquarum autem provinciarum Eccleſias ad modum civilis gubernationis adminiſtratas fuiſſe ſuſtinet, ita ut Epiſcopus, veteri more, ſummus in Eccleſiaſticis rebus rector urbis fuerit; Metropolita Provinciæ; totius Diœceſeos Primas. Primates undecim fuiſſe putat, extra tres Patriarchas, pro numero tredecim Diœceſium Romani Im-

ni Imperii; eorumque non jurisdictionem, sed dignitatem Patriarchis aliquanto minorem fuisse. Secunda quæstio est: *Cuinam Patriarchæ Ecclesia & Episcopus Carthaginensis subesset? Alexandrino, an Romano?* Respondet: neutri, sed ipsum Episcopũ Primatem fuisse, adeoq; in omnes Provincias diœceseos (sex autem erant) imperium habuisse Patriarchicum: quod pluribus ostendit, objectionesque de Lybia, de Appellationibus, & alias a Romanensibus pro Papæ sui in Africam jurisdictione proferri solitas diluit. Ad tertiam quæstionem: *Ad quemnam Patriarcham spectaret Britannia? ad Romanum, an ad quemnam alium?* respondet, nec Patriarchæ Romano eam subditam fuisse, nec alii omnino externæ jurisdictioni: sed cum esset una per se sex Diœcesium Imperii Occidentalis, Primatem habuisse suum, eundemque Episcopum Eboracensem: in quorum postremo adstruendo præcipue laborat. Ad quartam denique quæstionem: *Quo in Patriarchatu Justiniana prima esset?* respondet, in nullo: sed ipsam Primatum habuisse Diœcesis Dacicæ; quem etiamsi erudite describit, fatetur tamen, causam se non tenere, cur Episcopus Thebanus ab Episcopo Justinianæ Romam appellarit, illamque appellationem Gregorius Papa receperit.

Adnectitur *Diatribe de antiqua Ecclesiæ Britannicæ libertate atque de legitima ejusdem Ecclesiæ exemtione a Romano Patriarchatu*, cujus autor litteris itidem initialibus tantum signatur, I.B. SS. Theologiæ Professor; præmittiturque epistola a V.R. ad auctorem scripta, & Vesaliæ 12 Aprilis 1656 data, ex qua liquet, opusculum istud eo jam anno publicæ luci adsertum fuisse, adeoq; tempus Actorum nostrorum longe transscendere. Quare ab eo recensendo abstinemus, tantum commemorantes, subjici ibi notabile Joannis Barnesii, Britanni, Monachi Benedictini, testimonium, *de Ecclesiæ Britannicæ Privilegiis*, ex opere MS. cui titulus: *Catholico-Romanus Pacificus*. Ad hoc fragmentum nos remittit Auctor citatæ diatribes, initio quartæ theseos, addens in margine, bonum illum Barnesium e media Lutetia correptum, suo habitu exutum, & quadrupedis instar barbarum in modum alligatum ad equum, & ita violentissime avectum, primo in Flandriam, dein Romam, ubi in Inquisitionis barathrum, deinde in maniacorum ergastulum detrusus interierit: sed truculentos homines divulgasse, eum mania abreptum e vita emigrasse.

DEUX

DEUX LETTRES DU P. MALEBRANCHE, &c.

id est

P. Malebranchii Presbyteri Oratorii duæ epistolæ, ad Lib. II. & III. Reflexionum Philosophicarum & Theologicarum D. Antonii Arnaldi pertinentes.

Roterodami, apud Reiner. Leers, 1687, in 12.

IN arctum jam redigi apparet tractatam prolixe inter duos istos Doctores controversiam, quæ plurimas, nec unius anni Actorum nostrorum paginas occupavit. Et proximi quidem anni menses Majus & Junius exhibent compendium ex Libro II & III *Reflexionum* Arnaldi. Constrinxerat autem hic tandem, quæ in adversario erronea & revocanda esse urget, ad duas maxime propositiones, quas ex fine Libri Tertii p. 344. dictorum Actorum excerpsimus. Hunc librum tertium cum accepisset Malebranchius, secundo vero diligenter licet, ut scribit, quæsito, potiri non posset, tertium illum prius aggressus est, publicata epistola, quæ in hoc tractatu primũ non solum locum habet, sed eum totum fere occupat. Nactus enim postea librum II, non nisi tribus paginis, quibus epistola secunda absolvitur, eum refutat, aut potius refutatione opus habere negat. Quoniam vero, uti diximus, in duas propositiones summam disputationis congessit Arnaldus, non illubenter ad has quoque vim omnem defensionis suæ reducit, & ut brevius molestia respondendi defungatur, neutram scribit suam, sed utramque ab Arnaldo, præoccupata adversus se mente (de qua plurima queritur, quæ referre nolumus) male conceptam esse. Id ut tanto evidentius in conspectu veluti ponat, post plurima terse & subtiliter disputata, p. 106 parallelismum exhibet primæ propositionis, quam pro sua agnoscit, tum illius, quam Arnaldus efformavit. Suam hanc esse dicit: *Anima Jesu Christi personaliter cum Verbo unita, ita ab hoc dependet, ut quoniam aliam potestatem ad diffundendam in corda nostra gratiam non habet, quam mediatoris, advocati, summique sacerdotis, sive uno verbo, quia est causa occasionalis; ut inquam non exerceat illam potestatem,*

quam per infinita desideria, quæ omnia habet a Verbo, & quæ a Verbo in illa formantur, & habenda determinantur per lumen, quo eam illustrat, aut aliis modis, qui usum libertatis suæ ei non adimant. Adjungit eam, quam ab Arnaldo sibi tribui queritur his verbis: *Anima Jesu Christi, etiamsi Verbo personaliter unita sit, tam parum tamen ab eo dependet, ut quia non habet aliam potestatem, quam causæ occasionalis, eam potestatem non exerceat, quam per infinita desideria, quæ omnia habet a se ipsa, non formata aut determinata a Verbo.* Addit vero etiam tertiam, quam Arnaldi esse, & ex dogmate Jansenio de *gratia efficaci per se*, sive *invincibili*, necessario sequi contendit: *Anima Jesu Christi Verbo personaliter unita, diffundit gratiam in corda nostra per efficaciam potestatis, naturæ suæ tam propriæ, ut ejus effectus non prorsus veniat ex potentia divina; ab ea tamen ita dependeat, ut omnia ejus desideria per impressionem invincibilem Verbi formentur, quod ei libertatem nunquam relinquit, ad suspendendum consensum suum, sed utitur ea ut instrumento ad sanctificandos homines.* Quibus vero rationibus suam defendat & fulciat Malebranchius, quomodo imputationes Arnaldi depellat, & quorum hunc errrorum insimulet, ex prolixis priorum utriusque librorum recensionibus haud difficulter putamus colligi posse, & Autor ipse haut parum gravatur denuo repetere, quæ toties responderit, & quæ aut nolit aut nequeat Arnaldus percipere, adeoque cum larvis a se ipso effictis perpetuo pugnet. Quod secundam propositionem attinet, eam sic ab Arnaldo compositam refert p. 121: *Anima Jesu Christi, etsi cum sapientia æterna unita sit, tam parum tamen ab ea illuminatur, ut non cognoscat secreta cordium, ut ut ea cognoscere ex Malebranchii sententia debeat, ut sapienter agere possit, in distribuenda gratia.* Hanc quoque suam esse negat Malebranchius; dicit enim se in *Tractatu* de N. & G. edit. 1684 p. 113. scientiam omnium, quæ Deus in immensitate entis sui continet, animæ Christi tribuisse: intelligit autem id de scientia habituali sive de facultate sciendi; non de actuali omnium rerum & eventuum scientia seu consideratione. Talem enim animæ Jesu Christi competere negat, quia hæc finita sit, finita autem non possit habere actualiter infinitas cogitationes: scire itaque animam Christi Verbo unitam omnia per habitum, sed actu non omnia cogitare, neque id facere posse, quia semper eadem actu cogitaret, adeo ut alia eodem actu & tempore ignoraret. Quo fine

fine autem hac distinctione utatur, in prioribus libris multoties expressit, & in hoc quoque inculcat, ut nimirum difficultatem tollat, quæ oritur ex consideratione, cur gratia sufficiens non detur justis ad vincendas tentationes, præsupponendo scire Christum, quanta cuique gratiæ mensura opus sit. Cum igitur defectus charitatis erga homines imputari Christo nullo modo debeat, satius esse ut dicatur Christum ut hominem, sive ut causam occasionalem, non scire actualiter determinationes humanarum voluntatum, neque secundum illam scientiam distribuere gratiam. Quibus argumentis id probet, summatim repetit p. 128. 129. nempe (1) quia ordo Dei, qui est regula voluntatis Christi, non permittat, ut anima Jesu Christi semper vires gratiæ dispensæt respectu futuræ justorum negligentiæ. (2) quia non teneatur agere ut scrutator cordium: attributum enim hoc essentiale esse naturæ divinæ, humanam vero suos characteres servare debere, ut Deus exequatur opus suum via simplici, & magna faciat per media, ut ita dicere liceat, parva. (3) quia consilia Christi fidelibus data essent inutilia, si ad prævisæ negligentiæ nostræ modum gratiam suam distribuere deberet. (4) quia Christus influxum suum in membra dirigat secundum veram eorum indigentiam, & secundum suum propositum ad decorem ædificii, quod meditatur; sciens, si quidam a fide deficiant, nec acquirant merita, quæ obtinere possent, per cooperationem libertatis suæ cum gratia, non defuturos alios, qui coronam sint adepturi, quam cæteri sua culpa perdunt, & quod ita opus suum semper habiturum sit perfectionem, quam ei destinavit. An isthæc ad Scholarum tricas vel dissolvendas, vel nova arte nectendas inventa, cum pia & simplici Theologia conveniant, cordati expendent. Gratulamur nostris Ecclesiis, quæ inter scopulos illos horribilis decreti, & Pelagianæ de viribus humanis jactantiæ, mediam viam ad cynosuram S. Scripturæ tenuerunt. Ut vero Nestorianismi & Pelagianismi errores ab Arnaldo sibi impactos a se amolitur Malebranchius, ita adversario damnatam a Pontificibus in Jansenio opinionem de invincibilitate gratiæ aliaque exprobrat, nec dissimulat, (p. 187.) tractatum suum de Natura & Gratia eo fine a se compositum fuisse, ut amicos, quos Arnaldi scripta pro Jansenismo turbaverant, confirmaret, & quidem ex principio novæ philosophiæ de causis, quod cum

iis commune habebat, & quod in libro de inquirenda veritate aliisque scriptis operose proposuerat. Postea amicorum opera, se quidem non dissentiente, publicatum fuisse tractatum fatetur, neglectis censorum, quæ petisolent, approbationibus, absque sua culpa; illas tamen pro superfluis haberi posse existimat, quia examinatæ & probatæ fuerint *Meditationes suæ Christianæ*, eadem dogmata continentes, a viris sibi neque notis, neque a se requisitis, *Episcopo* nempe *Ascalonensi Suffraganeo*, & D. *Volusio* Censore librorum Moguntino. Animadvertisse autem Arnaldum, hac methodo Jansenii & suam sententiam convelli, ideo ad prolixas refutationes prorupisse, neque tamen ipsum prioribus scriptis suis approbationes procurasse posterioribus datas parum putat respiciendas esse, quia falsis præsuppositis nitantur, neque suas sed affictas sibi ab Arnaldo propositiones feriant. Addit pathetica multa, ut adversarium ad agnoscendam vel injuriam vel negligentiam adigat, qua in male referendis & interpretandis scriptis suis usus sit, Satisfactum enim ei esse debere contendit, quia a se non agnoscantur propositiones, quæ Arnaldus illi attribuerit: Si ipse idem de suis, quæ pro Jansenio publicavit affirmaverit, sibi quoque promittit satisfactum fore. *Secunda* epistola, ut diximus, nil aliud paucis verbis agit, quam ut ostendat, ad omnia, quæ secundo volumine tractavit Arnaldus, dudum responsum esse, neque a se expectari debere, ut ingentibus etiam ipse voluminibus actum agat. Si vero in compendium redigat Arnaldus, ad quæ ex secundo volumine responderi velit, se id exacte præstiturum esse pollicetur.

FIDES ECCLESIÆ ORIENTALIS, SEU Gabrielis Metropolitæ Philadelphiensis opuscula, nunc primum de Græcis conversa, cum notis uberioribus Richardi Simonis, e Congregatione Oratorii.

Parisiis, apud Dan. Horthemels, 1686, in 4.

GAbriel Severus Monembasiensis natione fuit, & Archiepiscopus Philadelphiensis a Jeremia Patriarcha Constantinopolitano creatus

atus superiori seculo Venetiis vixit, ut patet ex testimoniis ab editore ex variis scriptoribus præfixis. Opuscula ejus Venetiis Græce ediderat Antonius Pinelius, sed varie vitiata & corrupta, quæ restituit ac emendavit Latinaque versione donavit Simonius, & primum Parisiis edidit a. 1671. Hæc altera est editio (nisi forte novo saltem titulo ornata) cujus recensioni quod locum in Actis nostris dedimus, eo magis veniam speramus, quoniam illius libri notitia ad paucos pervenit, a Theologis autem eum discuti apprime necessarium est, quippe quo Simonius consensum Ecclesiæ Orientalis de transsubstantiatione & aliis controversiis, tot verborum ampullis jactavit. Gabrielis autem opuscula hæc sunt. *I. Apologia pro Ecclesia Orientali.* II. *Opusculum de particulis.* III. *de Colybis, sive de decoctis leguminibus.* IV. *Commentariolum de sanctis Sacramentis.*

Simonius *viginti duo Notationum capita* subjunxit, quorum priora duodecim Apologiam, cætera reliquos Gabrielis libellos illustrant. Singula ordine percensebimus. I. Gabrielis vitam describit, eumque semper Græcorum schismaticorum partibus addictum fuisse probat, indeque concludit, eundem non ut λατινόφρονα fidem Latinæ Ecclesiæ de rebus Ecclesiasticis expressisse. Deinde a Crusio, Perronio, Morino, Arcudio, Allatio, Goaro, Arnaldo, aliisque ejus mentionem fieri observans, Claudii Calviniani (ut vocat) Ritus Carentone Ministri, in respondendo ad objecta Gabrielis testimonia varietatem perstringit. II. de duplici apud Græcos altari, προθέσεως & sacrificii agit, explicatque, quomodo in priori sacra dona proponantur, & demissa inclinatione a populo adorentur, qui ritus etiam apud Ruthenos & Æthiopes obtineat. Hunc quod nonnulli sub idololatriæ & artolatriæ specie reprehendant, inde fieri, quia Latini ritus sint amantissimi, nec attendant, quid gentilitia Græcorum consuetudo ferat. Quo nomine Caucum & Arcudium reprehendit, nihilque Claudio ex eo accedere contendit, cui & reliquis Gabriel os obstruat. III. de hymni Cherubici usu & origine disquirit, ac postquam fassus esset, priscis Ecclesiæ temporibus Christianos minus ceremoniarum, plus vero pietatis habuisse; canticorum tamen orationumque usum, pariter scripturarum lectionem, inde jam ab illius exordio in fidelium synaxibus extitisse; hinc Episcopis alia adjungentibus, ceremoniarum multi-

titudinem ita accreviſſe, ut oneri eſſe cœperint, & a Chryſoſtomo ac Baſilio Liturgiæ contractiores factæ ſint (ſi tamen Liturgiæ iſtæ vere eorum ſint,) imo eo usque progreſſam eſſe temerariam ſacerdotum quorundam pietatem, ut ab ipſa pene Eccleſiæ infantia, non alias in Miſſa, quam a ſeipſis compoſitas orationes recitarent: cui tandem malo Eccleſia occurrerit: monet, in Liturgiis Orientalibus non occurrere hymnum Cherubicum, quæ cum e Græcis deſumtæ ſint, firmiſſimum ſuppeditent argumentum, ritum illum tunc nondum in Liturgiarum Græcarum corpus invectum fuiſſe; idque inprimis conficere Liturgiam D. Jacobi Chaldaicam apud Maronitas. Quibus addi poſſit Miſſarum Latinarum conſenſus, quæ a primæva Miſſalis officii ſimplicitate minus quam Græcæ degenerarint. Poſtea expendit opinionē Allatii, jam a temporibus Germani Conſtantinopolitani ritum hunc invaluiſſe, ex illius Theoria probantis. Reſpondet autem Simonius, id quidem argumentū minus firmum eſſe, quum res ipſa loquatur, illud opus a diverſis ſcriptoribus, temporibus diverſis concinnatum fuiſſe; nihil tamen inde detrahi illius ceremoniæ antiquitati, quum in vero & nullis interjectionibus interpolato Codice MSto, (qui vero non Germani, ſed Baſilii magni nomen præferat) illa magna ex parte conſpiciantur, quæ ad hymnum Cherubicum ejusque ritum pertinent. Allegat quoque Cedrenum, ad Juſtini Imp. & Hormisdæ Papæ tempora hymni illius inſtitutionem revocantem, pluraque ſubjicit ad defendendum Gabrielem contra Arcudium & Claudium. IV. Græcorum de adoratione imaginum ſententiam explorat, & contra Claudium ſuſtinere laborat. V. modum exponit, quo Græci, veteres Latini, Rutheni, Æthiopes & Neſtoriani Babylonienſes, panes oblatitios præparare ſoleant. VI. de panis fermentati uſu Græcis Neſtorianos conſentire, ex horum Miſſali MSto probat, & deinceps disquirit, an Armenii, Maronitæ ac Æthiopes idem faciant, diſcuſſis Alvareſii, Thomæ a Jeſu, & Abrahæ Echellenſis diverſis teſtimoniis. Adjungit Corollarium adverſus Claudium, ut refellat, quod ille contendit, Græcos cum Latinis de azymis diſputantes ſupponere, in pane etiam conſecrato, quicquid eſt ſubſtantiæ, ſalvum & integrum remanere. Hinc quæcunque Claudius ex Triodio, Niceta, Joanne Ruſſiæ Metropolita, Balſamone, Joanne Citrio aliisque collegit, enodare conatur.

natur. VII. deſcribit ſigillum, quod Græci, Syri, Alexandrini, & Neſtoriani oblatis imprimere ſolent. IIX. Gabrielem manifeſte transſubſtantiationem adſtruere contendit, & gloriatur, ab ipſa naſcentis Eccleſiæ infantia doctrinam illam extitiſſe, etſi nondum nomen hoc uſurparetur. Quam in rem Cyrillum Hieroſolymitanum allegat, cujus mentem Gabriel παραφρασικῶς, & vocibus ad ſuam ætatem magis accommodatis expoſuerit. Dehinc miratur, quod Albertinus & Claudius, non obſtante Forbeſii & Juelli confeſſione, Græcos hodiernos Latinis in hoc negotio conformari negent, & producta ab iis teſtimonia expendit. Hieremiam Conſtantinopolitanum in transſubſtantiatione cum Eccleſia Romana ſenſiſſe, Theologorum Wirtenbergenſiū, qui Acta ediderunt, ſuffragio probat. Addit, ex colloquiis cum Eccleſiæ Orientalis hominibus id unum reportari, quod cum noſtris loquutionibus non aſſueti ſint, ſi rogantur ſuam ea de re ſententiam, ſtatim & indubitate reſpondeant, panem & vinum in corpus Chriſti & illius ſanguinem tranſire: ſi vero urgeas, ſaltem accidentia remanere; iterum, quia non ſatis adſequuntur, quid ſit accidens, reponant, nihil omnino panis & vini retineri: ſed poſtquam exemplis quibusdam declaratum eſt, quid accidentium nomine intelligendum veniat, tunc manibus pedibusque deſcendant in Latinorum ſententiam. Idque toties expertum ſe eſſe profitetur, quoties cum illis ſermonem contulerit. Poſtea de Æthiopum Liturgiis quædam ſubnectit, & Monachorum S. Antonii Monophyſitarum de transſubſtantiatione ſuffragium ex tractatu Arabico MS. de Sacramentis allegat, monetque, univerſam Eccleſiam Orientalem, mutationem ſpiritualem ac moralem, qualem commenti ſunt Calviniani, nullatenus agnoſcere; fatetur, conſtitutiones Maroniticas, Joannem Darenſem, Joannem Maronem, ſimilesque ſcriptores ab Echellenſi productos dubiæ antiquitatis eſſe, & ſupervacaneum judicat, ſubtilius diſquirere in tanta librorum Orientalium inopia, & maxima gentium illarum obſcuritate, qua ætate hic vel ille ſcriptor vix de nomine nobis notus vixerit: hinc tamen nihil decedere cæterorum Orientalium de transſubſtantiatione fidei, quam illi ut alia Græcis acceptam ferant. Subnectit rurſus Corollarium adverſus Claudium, quo μετουσιώσεως vocem apud Græcos reperiri contendit, quanquam infrequens ſit: imo

imo sublato hoc vocabulo rem ipsam adstrui. Hinc expendit, quæ Claudius in contrarium attulerat, & Agapium Monachum ab Arnaldo allegatum suppositititium non esse prolixe commonstrat. IX. disputat de ἐπικλήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος, *invocatione Spiritus Sancti*, in Orientalium Liturgiis recepta, an ab ea pendeat transformatio symbolorum in corpus & sanguinem Christi? quod affirment quidem Græci, plerique autem Doctores Latini acerrime impugnent, Utriusque partis argumenta illustrare conatur. Græcorum Liturgias Jacobi, Basilii ac Chrysostomi nomine inscriptas primo producit, deinde ut cæteris Orientalibus eandem sententiam inhærere probet, ex MSto Nestorianorum missali, ex edito Romæ Maronitarum missali, quod a censoribus Romanis mutatum ex MSto codice in integrum restituit, ex Armenorum & Æthiopum missa, ex MSto Liturgiarum Copticarum codice, multa describit; tum Patres unanimi consensu pro Græcorum sententia decertare putat, excerptis plurimis eorum testimoniis: præterea in controversiæ super hoc negotio inter Græcos & Latinos in Concilio Florentino agitatæ evolutione occupatur, & Græcorum nomine argumenta format, quibus objiciant, Latinorum opinionem recens natam esse, & ex D. Thomæ libris vim omnem ac robur suum hausisse, nec obscure Græcis accedere Hieronymum, Augustinum, Ambrosium & Gregorium Magnum. Denique subsistit in recensione eorum, quæ Ambrosius Catharinus & Christophorus de capite fontium pro Græcis disputarunt, additque judicium suum de posterioris assertis, monstrans, quomodo ea ex vetustis Latini Missalis exemplaribus & Judæorum ritibus confirmare potuisset. Latinorum sententiam de verbis consecrationis ita exponit, ut Turrecremata orationem adversus Græcos in Synodo Florentina habitam, & aliam Bessarionis ad Papam & Cardinales, & Claudii Sanctesii Episcopi Ebroicensis, Petrique Arcudii ac Cardinalis Perronii, hanc in rem disputata summatim recenseat, descriptisque Florentini ac Tridentini Concilii decretis mentis suæ sensum afferat, quo ingenue & libere profitetur, Theologorum nimiam subtilitatem præsenti controversiæ plus attulisse detrimenti, quam emolumenti, dum in ea tanquam in re mathematica aut metaphysica versantur. Si autem ea moraliter consideretur, utriusque ecclesiæ concilia-

conciliationem facillime obtineri, cum apud omnes Patres Græcos Latinosque in confesso sit, ad rationem consecrationis certa & determinata verba necessario requiri: orationes autem, quæ præcedunt, vel subsequuntur, huc referri necesse dicit, quandoquidem hæc omnia, ut una eademque actio respiciantur: quod Bouii Ostunensis Episcopi suffragio confirmat, & ex formula deprecativa apud Græcos, Syros & Æthiopes in baptismo & pœnitentia adhiberi solita illustrat, eamque in rem ex Jesuiab, Patriarchæ Nestoriani, forma baptismi MSta quædam profert. Mox corollarium adversus Claudium adjicit, qui Orientalium Liturgiarum fidem accuset, quod ex Latinis saltem Pontificiorum versionibus proferantur. Hinc distincte ad objectiones ejus respondet: primo de Liturgia Ægyptiaca Salmasium, cui Claudius innititur, litterarum Arabicarum *t* & *n* similitudine deceptum fuisse ostendens: deinde de Æthiopica, tertio de Mallabarica agit, fateturque, Liturgias Orientales a suis erroribus expurgatas fuisse, sed ea inprimis resecta esse, quæ ad mysterii Incarnationis, non Eucharistiæ, doctrinam pertinent. Quarto ad Armenos progreditur, & quia nubem testium ex ipsis Pontificiis produxerat Claudius, respondet, omnes ab uno Guidone Carmelita dependere, qui parum fidus scriptor fuerit, notanterque monet, eos qui peregrinationes suas in vulgus edunt, perpaucis exceptis, ne quid industriam suam ac diligentiam fugisse videatur, id omne quod in aliorum libris, qui res Orientis attigerunt, occurrit, temere & absque delectu in suos transferre. Addit, ex Protestantibus Gerlachium & Olearium fateri, Latinorum & Armenorum hac in parte nullum esse dissidium, idemque affirmare Stanislaum Orechovium Roxolanum. Quinto sententiam Armenorum de corpore Christi excutit, & ad Uscani Armenorum Episcopi Parisiis degentis consensum de reali præsentia & vera symbolorum conversione provocat, ac Abrahami Ecchellensis fidem adversus Claudium defendere conatur. Sexto Maronitas cum Latinis consentire, & locutiones quasdam Liturgiarum Græcarum transsubstantiationi minime contrariari, adversus Claudium contendit. X. eruditam de Liturgiis Dissertationem orditur, in qua primo Græcorum sententiam explicat, quod Jacobus Domini frater primus Liturgiam composuerit, quam postea Chrysosto-

mus & Basilius contractiorem fecerint. Observat, eam Procli de traditione liturgiæ libello totam inniti, qui tamen extra controversiam illius non sit: antiquas tamen esse illas Liturgias, docere canonem 32 Trullanæ Synodi. Posthæc Balsamonis & Hieremiæ Constantinopolitani de Liturgiis Jacobi & Marci judicium explorat, & eruditos inter Latinos, ut Bellarminum & Perronium, de eo ferendo longe incertiores esse commonstrans, Bivarii nugas ridet. Tum suam expromit opinionem, quæ in eo consistit, ut certa & propria in qualibet Ecclesia conficiendæ Liturgiæ ratio fuerit, quam suis conditoribus acceptam ferebat. Et hoc pacto fieri potuisse, ut revera Jacobus in Ecclesia Hierosolymitana, & Marcus in Alexandrina, Missas quæ sub eorum nominibus editæ sunt, instituerint. Quam in rem Epiphanii testimonium hæresi 79 allegat, hinc que factum existimat, quod Liturgiæ sub omnium fere Apostolorum nominibus in Ecclesia Orientali habeantur. Negat autem inde sequi, eos reapse libros Missales in Ecclesiarum suarum usum confecisse; sed hæc & alia ejusdem generis complura ex traditione hausta esse. Sic quia Basilius & Chrysostomus Ecclesiam Græcam maxime illustrarint, Liturgias ad eos velut auctores referri. Ita Cophtitas Cyrilli Alexandrini, Nestorianos ipsiusmet Nestorii, Armenos Gregorii cujusdam Armeni, Maronitas similiter & Jacobitas, speciales hominum, quorum memoriam venerantur, Liturgias plurimi facere. Verum a quibus illæ profectæ fuerint, accuratius anquirere, censet omnino superfluum: quia perfectissima sit omnium consensio, si ad ea, quæ præcipua sunt, & ex quibus veluti constat eorum corpus, attendamus. Quod postquam ex Chrysostomo, Tertulliano & Justino Martyre confirmare allaborasset, in Protestantes invehitur, contendens, ordinem Missæ, quem tenet Ecclesia Orientalis, & Occidentalis, si perpauca, eaque minutissima exceperis, quæ postea adjecta sunt, ab ipsismet Apostolis, saltem viris Apostolicis, derivatum fuisse. Fatetur tamen, Orientalium codices maxime variare, & ex Liturgiis Græcis pro adstruenda rei alicujus antiquitate sobrie & caute ducenda esse argumenta, priusque in singulas Liturgiæ partes non segniter inquirendum, quam aliquid earum auctoritate constabiliatur; monstratque modum, quo ex rubricarum & aliarum Orientalium Liturgiarum diversitate argumenta

gumenta mutationis peti possint. Tum singulares nec alibi obvias de Liturgiis Maronitarum, Nestorianorum, Coptorum, Æthiopum ac Armenorum, observationes profert. XI. de sensu vocis *Antitypi* in Liturgiis Græcorum disputat, & usum ejus ex controversia iconoclastica probat, & verba Basilii προσδέντες ἀντίτυπα explicat, improbatque, quod nonnulli metu Calvinianorum ab hoc & *figuræ* vocabulo abstineant, quum Theologi non solum priscæ fidei, sed & vocabulorum, quantum fieri potest, tenaces esse debeant. XII. adversus Claudium sustinere vult, adorationem corporis & sanguinis Christi in symbolis eandem agnoscere Ecclesiam Græcam, atque Latinam, eamque ob causam cum Liturgiæ Græcæ, tum Gabrielis sui, nec non Simeonis Thessalonicensis & Nicolai Cabasilæ loca explanare ac confirmare nititur, ac partem Liturgiæ Græcæ, quæ ad Symbolorum adorationem pertinet, ex Syrica Nestorianorum & Maronitarum inedita illustrat, tandemque ad objectiones Claudii & Albertini, ex vita præsertim junioris Stephani & Damasceno desumtas, pro virili parte respondet. XIII. quia Gabriel Particularum originem ex traditione non scripta derivarat, Simonius occasionem commodam ejus laudandæ nactus, Basilii, Tertulliani, Damasceni & Vincentii Lirinensis loca describit, mox tamen Gabrielem suum deserit, quod ad Basilium & Chrysostomum originem particularum refert, cum liturgias ab iis profectas esse certissimis indiciis demonstrari non possit, multaque in Liturgiarum codices recens invecta fuerint. Nec quidquam præsidii collocandum esse in edita Germani Theoria, quum a codice MSto ante laudato ea omnia absint; in quo cum impresso conferendo prolixus admodum est, ut antiqua & non interpolata Theoriæ Germani forma, hac in parte palam & omnibus innotescat. XIV. non dubitat orationes pro mortuis a prima & Apostolica Ecclesia derivare, & a Judæis ad Christianos perveniisse arbitratur. XV. Græcos recentiores de pœnis damnatorū non idem sentire observat, & quanquam Allatius Origenicum de finiendis damnatorum pœnis errorem iis omnibus tribuit, Simonius tamen aliquibus tantum communem esse sustinet, alios autem æternum damnatorum ignem fateri, e quibus auctorem anonymum de purgatorio a Bonaventura Vulcanio editum, Agapium, Hieremiam Constantinopolitanum & Anastasium Si-

naitam, nominatim compellat. Oſtendit etiam, Græcos cum Origene facientes inter ſe non conſentire, eosque tandem cum Latina Eccleſia conciliare laborat. XVI. de genuflexionibus eorum die Pentecoſtes agit. XVII. de lumine gloriæ ex Græcorum ſententia diſputat, quibus perſuaſum ſit, beatos nondum in cœlis divinæ fruitionis eſſe participes, ſed fore demum in die extremo, ubi tamen divinæ eſſentiæ contemplationem non aſſequantur, quæ ne Angelis quidem aſpectabilem ſe præbeat. XVIII. adverſus Claudium diſputat, ex Græcorum de particulis non conſecratis ſententia transſubſtantiationem non everti. XIX. de Colybis addit obſervationes Goari & Allatii. XX. ut perfectum Græcæ Eccleſiæ cum Latina in numero Sacramentorum conſenſum obtineat, præ aliis Gabrielis ſui tractatum ſummatim recenſet. XXI. de auctore Sacramentorum non æque conſtare ait apud Græcos, fateturque Gabrielem ab ea ſententia, quæ nunc Latinorum ſcholas occupat, non recedere, eique præiviſſe Simeonem Theſſalonicenſem & Hieremiam Conſtantinopolitanum. XXII. ſimile Damaſceni, quo Euchariſtiam cum carbonibus comparat, exponit, nec latius extendi, aut unionem hypoſtaticam panis cum divinitate ſtatui patitur.

Ad calcem ſubjicit *duas epiſtolas* ad Morinum ſcriptas, alteram a Leone Allatio, alteram ab Abrahamo Ecchellenſi: deinde curioſum *Catalogum MStorum* a ſe adhibitorum: denique *admonitionem de Agapii teſtimonio*, cujus librum Venetiis a. 1641 lingua Græcorum vernacula editum, & ἁμαρτωλῶν σωτηρία, *peccatorum ſalus* inſcriptum, pluribus adverſus Claudium defendit, cenſuramque de illo ſuam liberiorem contra ipſum Arnaldum aliosque Sorbonitas, quibus ea diſplicuit, ſuſtinere laborat.

HISTOIRE DES AVANTURIERS, QUI ſe ſont ſignalez dans les Indes &c. Par Alexandre Olivier Oexmelin. i. e.

Hiſtoria prædonum, qui in India ab annis viginti inclaruerunt: autore Alexandro Oliverio Oexmelino.

Pariſiis, apud Jac. de Febure. A. 1686 & 1688, in 12. Tom. I. II.

Quan-

QUanquam honeſtiori vocabulo *Avanturiers* ſive periclitantium, probroſam & immanem vitæ ſuæ ſectam velare ſoleant, qui in hoc libro deſcribuntur; veram tamen absque dubio appellationem ab Hiſpanis, Americæ colonis, acceperunt, a quibus *Latrones* vocantur. Nos pro vocabulo illo Gallico, non aliud magis quam prædonum ipſis convenire putavimus. Et profecto ſi nihil aliud duobus hujus operis *Tomis* traderetur, quam quæ iſtud hominum genus, terra marique, in tractu illo mundi, quem *Indiam occidentalem* aut *Americam* nominare conſuevimus, perpetrat, videri poſſet ab illorum relatione penitus abſtineri debuiſſe. Quid enim florentiſſimis Gallorum & Anglorum nationibus, & Chriſtianam fidem profitentibus, indignius eſſe poteſt, quam quod tot hominum millia, rebus domi deſperatis, in regiones illas excurrant, non alio fine, quam ut primo ſe ipſos ad aliquot annos vili pretio venatoribus & cerdonibus addicant, & eam induant barbariem, dein alios doceant, cujus ſummus gradus eſt, omnem humanitatem exuere, & ex Hiſpanis pro hoſtibus habere, quicunque aliquid quod rapi mereatur, poſſident. Illos enim ſæviſſime excruciant, ut reconditam indicent pecuniam, plurimos necant, alios in ſervitutem abducunt, ſtupris denique & flammis omnia fœdant. Horum criminum immania exempla intra annos viginti, (quorum tamen termini accurate non exprimuntur) edita Alexander iſte refert, mediocris homo conditionis, & qui chirurgi artem inter iſtos exercuit. Neque tamen omni utilitate hiſtoria iſthæc caret. Si quis enim, cui pietas & religio cordi eſt, iſta percipiat, conſiderabit ſane non ſine ingenti animi dolore, quo prolapſa ſit res Chriſtiana. Ex hoc enim autore diſcimus, conſpirare in impietate plusquam barbarica perditos iſtos, ita ut non niſi de belluinæ audaciæ & ſcelerum enormitate certent. Tantus etiam ipſis eſt religionis abuſus, tantumque ludibrium, ut cum innoxios invadunt, non vereantur precibus publicis ante pugnam Deum fatigare, ſuo quisque ritu & cantu, uno tamen fine, ut ſucceſſum largiri velit, ad cædes, rapinas & ſtupra. Dein infelicitas humanorum conſiliorum, & eventuum mira converſio expendi meretur, qua fit ut fertiliſſimæ illæ & ſpatioſiſſimæ regiones, quæ plurium regnorum magnitudinem & opes ſuperant, ab Hiſpanis ante duo ſecula primum inventæ, tot

egregiis & populosis coloniis excultæ, tot præsidiis & classibus munitæ, nequissimorum tamen hominum insultibus adeo pateant, ut jam non parvis & obscuris latrociniis pauci aliqui vexentur, sed tota maria intuta fiant, & innumeræ naves, castella, urbes, etiam primariæ, in potestatem immanissimorum latronum cum omnibus thesauris veniant, quos postea in popinis & alea celeriter & turpissime consumunt, tantoque majori cupiditate ad novas invasiones provolant. Fiunt quidem ista absque Regum auspiciis, imo pace publice inter illos pacta & constituta; interim tanta coit nebulonum multitudo in societatem latrocinii, ut non minora damna, quam justi exercitus, inferant. Sic *Panama* regia urbs, sex vel septem millibus civium habitata, A. 1670 a Morgano quodam, agricolæ Angli filio, collectis ex sua & Gallica natione, & incredibili cum labore & periculo per invia loca, ab orientali Americæ littore in occidentale traductis bis mille prædonibus, expugnata, exspoliata & incensa fuit, profligato etiam urbis & provinciæ præside regio. Verum est, non plane extra culpam esse, si autori huic creditur, qui provinciis illis Regum nomine præsunt. Neque enim solum receptum isti hominum feci dant, sed & aliquando per mandata (*commissiones* vocant) eorum expeditionibus autoritatem, nescio quo prætextu, præbent. Hæc generaliter de latrociniis istis notasse sufficiat. Si quis infamium hominum, qui ex laniis & venatoribus archipiratæ fiunt, nomina & gesta, tum fata, meritis aliquando digna, nosse velit, longo ordine narrata inveniet, *Tom.* I, *part.* II & *Tom.* II, *part.* III & IV.

De veritate relationis, is qui editionem procuravit, confidere jubet, ob simplicitatem maxime autoris, non nisi visa aut a fide dignis audita referentis. Ejus tamen stylum rudem sese emendasse fatetur, rebus ipsis minime mutatis. Interim multis incredibile videbitur, qui legent, quanta cum audacia parvus horum hominum numerus fortuito confluens, copias bis terve numerosiores & instructiores, & munitissima quæque loca aggrediantur, ipsi seminudi, non nisi sclopetis, quæ ignem ex silice concipiunt (*fusils* Galli, nostri Flinten vocant) & gladio acinacis in modum instructi, nulli præterea disciplinæ assueti, non ordines servare, aut alias militiæ artes edocti, sola feriendi industria excellentes, & vitæ contemtores

tores, quam sine spoliis miserrimam habent. Tyrocinia duplici modo ponunt: alii boves occidunt, quorum insulæ istæ habitatoribus magna ex parte vacuæ, sed pabulum in pratis toto anno virentibus abundantissime præbentes, ingentem numerum alunt; eorum carnem, quia durior est, abjiciunt, coria vero ad ignem siccata vendunt, unde *Boucaniers* voce Indicæ originis, quasi *coquos* aut *assatores* dicas, nominantur: alii apros venantur, eorumque carnem, sapidissimam illis locis, saliunt, itidemque vendunt. Utrumque genus vitæ molestissimum & sordidissimum est, sed in eo ad famem sitimque, & ad labores immensos, aerisque & tempestatum incommoda toleranda assuefiunt, miram etiam feriendi peritiam acquirunt. Hujus tyrocinii tempore, quod Gallis trium, Anglis septem annorum est, dicuntur *engagez*, i. e. obligati; nec aliter ac mancipia tractantur, verberibus aliquando ad mortem a dominis cæsi. Eandem sævitiam postea ipsi, jam veterani, in novitios exercent. Ex hac schola lembos conscendunt, duces ex teterrimis & audacissimis sibi ad tempus & pro lubitu deligunt, iisque certis parent legibus, quarum contenta refert Autor Tom. I p. 210, & Tom. II p. 118. Legibus istis ad excitandam temeritatem & contemtum periculorum, præmia ex præda constituuntur, non solum iis, qui præ aliis mascule pugnant, sed & qui membris truncantur, aut insigniter debilitantur. Ita *Morganus*, cujus supra mentionem fecimus, pro utroque crure amisso, vel inutili facto, 1500 *thaleros* sive *Imperiales*; pro duobus brachiis 1800, pro uno crure, brachio vel manu 500, pro oculo uno 100, pro duobus 2000, pro digito 100 constituit, ex communi præda solvendos. Spoliorum cæteroquin æqualis distributio est, nisi quod ordinum ductoribus aut navium præfectis extra ordinem aliquid conceditur, prout strenue rem gerunt. *Morganus* tamen in expeditione *Panamica*, præter virilem, tot sibi pactus est portiones, quot centurias latronum habebat, & inde tantum confecit, ut relicta illa vita in *Jamaica* insula uxorem ducere, & splendide, regia quadam præfectura ornatus, vivere potuerit.

Quod ad descriptiones locorum & gentium attinet, autor licet illiteratus, non pauca tamen memoratu digna observavit, tabulas etiam Geographicas, quæ non spernendæ videntur, confecit; ita

ita nec injucunda nec inutilis est lectio libri. Invenient lectores, (ut quædam saltem veluti digito commonstremus) Tom. I. cap. IV. p. 4. descriptionem ritus ridiculi sed barbari, omnibus licet nationibus usitati, exagitandi illos, qui prima vice navigant. Cap. II, p. 14. describitur insula quæ Gallis *Tortue*, sive testudo marina, a situs figura dicitur, & a magna S. Dominici insula parvo freto dividitur. Illa piratarum tutissimum dicitur esse receptaculum. De gubernatoribus insulæ testudineæ eorumque fatis agitur cap. III, IV & V. Descriptio insulæ *Hispaniolæ* sive *S. Dominici* habetur cap. VI. Hujus etiam magnam partem hodie Galli tenent, iisque sunt viribus, referente Autore, ut Hispanos expellere possent. De animalibus, arboribus, & plantis plurima commentatur Autor, sed ab aliis peritioribus prolixe tradita. Præ aliis laudat arborem pretiosissimam, quæ *Cacao* dicitur, cujus fructus grana illa fert, ex quibus potus *Chocolata*, Hispanis tantopere æstimatus, conficitur, ab aliquot annis etiam nostris regionibus invectus. Vix credibile videtur, quod Autor p. 91 notat, reditū annuum unius viridarii, arboribus istis consiti, ad viginti millia Imperialium, deductis omnibus expensis ascendere: alibi ex horto arboribus, quæ toto anni tempore per vices glandes & poma, ad alendos porcos ferunt, sex millia percipi memorat. Sequitur de *Chocolata* conficienda informatio cap. VIII & IX, & ut grana illa monetæ usū in America præbeant, eorumq; 12 aut 14 pro uno *Regali*, quem vocant, Hispanorum nummo (*real*) æstimentur. De resina ex arbore Gummifera, qua apri vulnera sua curare sciunt, & de *Chinchina*, quæ cortex arboris istius est, agitur p. 102. & seq. uti de radice *Manioco*, ex qua panem sive cibum quotidianum indigenæ conficiunt, & ut a succo venenoso purgari debeat, p. 104. Quadrupedum & avium historia legitur cap. X: de testudinibus marinis, & ut sanitati summopere conducant, aliaque singularia commemorantur p. 119 & seq. De pisce *Lamentino* optimum & salubrem cibum præbente p. 134, de crocodilis p. 138, de lacertis p. 141, de colubris p. 142, de canibus marinis, homini infestissimis p. 143. agitur.

Secunda Tomi hujus pars, sicut & *Tomus secundus* totus, historiam piraticam exhibet, de qua jam satis retulimus; interseruntur tamen multa, quæ ad Geographiam & ad mores indigenarum pertinent. Vid. *Part.* III, cap. IV. V, & *part.* IV p. 233 & *seqq.* Reliqui enim

enim sunt ex veteribus incolis, & in barbarie sua persistunt, nec domari possunt, quos Hispani *bravos*, i. e. bellicosos vocant: iidem tamen cum Gallis & Anglis negotiantur. Appendicis loco Tom. II. subjungitur, quod in titulo Libri indicatur, Breviarium, idque ex MS. Hispanico nunc primum edi dicitur. Tres habet *partes*: *Prima* describitur constitutio trium quas vocant *Camerarum*, unius in Novæ Hispaniæ, alterius in Novæ Granatæ, tertiæ in Peruviano regno. Collegiorum præsides, assessores, apparitores & jurisdictiones describuntur capite II: provinciarū præfecturæ capite III. *Parte secunda* Archiepiscoporum VI, Episcoporum XXXVIII, sedes, diœceses & reditus notantur. Abbatum, Decanorum & Canonicorū sexcenti esse referuntur. Annui proventus aut salaria totius cleri duorum *millionum* & præterea 821545 librarum Gallicarum summam conficere dicuntur: templorum tam parochialium, quam claustralium septuaginta millia numerantur p. 339. *Tertia parte* de reditibus & juribus Regis Hispaniarum in America agitur. Maximum vectigal est vigesima auri, argenti, omniumque metallorum: præterea ex detecta nova metalli fodina Regi certum spatium præcipuo jure assignatur, qui tamen inventori triginta annorum usum fructum concedere solet. Fidem fere superat, quod ex chartis, quas vocant, lusoriis reditus vicies centies mille Imperialium i. e. duorum *millionum* percipi narratur p. 358. Multa etiam utilitas capi notatur ex lana animalis, quod capræ magnitudinem & ovis figuram refert, & Hispanis *Vicunna*, Gallis *Vigogne* dicitur. Lanam enim fert pretiosissimam, & in ventriculo ejus lapis *Bezoar* invenitur. Summa tandem redituum regiorum, deductis expensis, *millionum quinque & 250000* librarum Gallicarum computatur, major longe, ut autor ait, futura, nisi Regius fiscus variis modis fraudaretur. Cæterum mensuram aut calculum leucarum 87000, quæ p. 322 Americæ, qua Hispanis paret, tribuuntur, errore sive typographi sive autoris non carere putamus. In fine paucis exponitur, quæ aliæ Europæ gentes in America possideant. Et Galli quidem magnam partem septentrionem versus habent, ab A. 1508 detegi cœptam, quam fluvius, qui a S. Laurentio cognominatur, mediam fere secat. Provinciæ vocantur *Acadia*, *Canada*, *Saguenaya*, *Huronum & Iroquiorum* tractus, aliique noviter additi & amplificati.

ficati. *Quebecum* caput est coloniarum, & episcopi atque gubernatorum sedes. Ad Gallos etiam spectant ex insulis quas *Antillas* nominant, vel totæ, vel magna ex parte, S. *Christophori*, S. *Martini*, *Guadaloup*, & aliæ, præter celebrem illam *Tortues* testudinis, de qua diximus. Fertilissima & amœnissima Americæ meridionalis pars Lusitani juris est, & provincias habet in longissimo litorum tractu *Omaguam*, *Maragnanam* & *Brasiliam*. Ex septentrionali regione Angli tenent *Virginiam*, *Novam Hollandiam*, a Batavis pacto novissimo cessam, *Novam Angliam*, insulas *Barbados*, partem *S. Christophori*, *Terræ Novæ*, & alias; Jamaicam denique *Cromvelli* Angliæ dominatoris tempore occupatam. Belgæ fœderati paucas colonias, & ut autor refert, tenues possident, inter quas est *Surinam*; ex insulis notior cæteris est, quæ *Tabago* nomen habet, & pars *S. Martini*, nec non *S. Eustachii*. Rex Daniæ parvam quandam Insulam inter eas, quæ *Virgines* dicuntur, sibi subjectam habet a *S. Thoma* nominatam. Dux Curlandiæ primus in insulam *Tabago* coloniam dixit sed postea neglectui habuit.

AUR. CORN. CELSI DE MEDICINA Libri VIII, brevioribus Rob. Constantini, Is. Casauboni, aliorumque scholiis ac locis parallelis illustrati, cura & studio TH. J. ab ALMELOVEEN M.D.

Amstelod. apud Joh. Wolters, 1687. in 12.

PRimus inter Latinos de re medica scriptores A. C. Celsus, magno semper in pretio a politioribus ingeniis fuit habitus merito suo. Est enim purissimæ non solum latinitatis auctor, qui ex Hippocrate cæterisq; ex Græcia ortis Principibus præstantissima quæque transtulit haut infeliciter; sed in cheirurgicis inprimis plene perspicueque tradendis operam insumsit sane laudabilem. Unde & eruditissimi viri studio suo illustrare eum sunt aggressi: ex quibus *Joh. Cæsarii*, *Guil. Pantini*, *Jodoci Lommii*, *Rob. Constantini*, *Hierem. Threverii*, *Bald. Ronssei*, *Hieron. Rubei*, *Pet. Pauvii*, & *Joh. Lindani* labores extant in publicum editi; desiderantur adhuc, & forsan desiderabuntur perpetuo, quarum spes una cum suis auctoribus interci-

disse videtur, *J. C. Scaligeri*, *Joh. Walæi*, *Æl. Ever. Vorstii*, *Joh. Rhodii* & *Mentelii* promissæ lucubrationes. Quarum tamen jacturam ut æquiori feramus animo, spectata jam multoties Cl. V. *Theodori Janssonii ab Almeloveen* industria facit, qui sicuti Medicus est atq; Philologus doctissimus, Celsoq; adeo in pristinum nitorem restituendo aptissimus; ita jam dudum eam sibi sumsit operam, ut elegantissimum hunc scriptorem justo commentario illustratum emittat indiceque amplissimo, qui lexici vicem supplere possit, quale in Scribonium Largum dedit *Joh. Rhodius*. Interea ut satisfaceret plurimorum desideriis, minorem tamen & quasi portatilem Celsi editionem requirentium, hanc apparavit, ultimæ illi, quam *Lindanus* publicaverat, paginarum linearumque numero exacte respondentem, subjunxitque singulis fere paginis locorum ex *Hippocrate* aliisque auctoribus parallelorum seriem non contemnendam; quemadmodum jam ante hos tres annos ad *aphorismos Hippocraticos* cura sua ac studio editos sententias ex *Celso* ὁμοψήφους annotaverat. Præcedit *Lindani* dedicatio ac præfatio; tum ipsius *Celsi* effigies ex iconibus Medicorum ac Philosophorum illustrium a *Sambuco* editis desumta, cui addi potuisset epigramma *Poetæ veteris anonymi* imagini Cornelianæ subscribendum, quod est inter *Epigramm. Vet. a Pithoeo*, ut apparet, *edita L. II. p. 48.*

Dictantes Medici, quandoque & Apollinis artes
Musas Romano jussimus ore loqui.
Nec minus est nobis per pauca volumina famæ,
Quam quos nulla satis bibliotheca capit.

Imaginem excipit *Vita Celsi* a *Rhodio* scripta, quæ fere sola ex viri eruditissimi curis in Cornelium impensis injuriam ignis effugit, una cum ejus dissertatione *de Acia* & *de ponderum ac mensurarum apud Celsum ratione* a *Th. Bartholino* edita. Hanc sequitur omnium, de quibus constat, Celsi editionum indiculus, cum nonnullis variorum auctorum de eo testimoniis ac elogiis. Ad calcem libri subjiciuntur breviora scholia ex *Jo. Cæsarii*, *Robertique Constantini* annotationibus ac aliorum scriptis, qui Celsum velut in transcursu emendarunt aut illustrarunt, collecta, quibus & interspersæ notulæ hactenus nondum visæ, quas ad codicem quondam suum alleverat *Isaacus Casaubonus*. Rerum denique & verborum index librum claudit in

omnibus hactenus editionibus desideratus, & tanquam majoris lexici Corneliani prodromus, quod ut propediem cum commentariis a doctissimo editore perfectum emittatur, omnes illi serio exoptant, quibus curæ sunt literarum studia.

DISCURSUS DE SUPREMATU ADVERSUS Cæsarinum Furstenerium.

Hyetopoli ad Istrum, 1687. in 8.

JAm decennium fere est, quod in Batavis prodiit tractatus Cæsarini Furstenerii (quod sibi autor nomen fecerat) de Jure Suprematus & Legationis Principum Germaniæ, pluries deinde intra breve tempus in Germania recusus, promte distractis exemplaribus. Occasio scribendi fuit, quod Neomagi a quibusdam exteris pomum Eridos in Germaniam jacere molientibus, jus Principum nostrorum mittendi Legatos primi ordinis, sive charactere repræsentatitio præditos in dubium vocaretur. Contra quos Furstenerius demonstrare aggressus est, Principes Germaniæ rerum potientes, atque ex splendidissimis origine & magnitudine familiis oriundos, nihilo esse inferiores Italis Imperio nostro non minus obnoxiis, qui tamen eminenti Legationis gradu fruantur, nec Germanos minori quam Italos jure vocari Souverains & Potentats, cujus appellationis vim uno *Suprematus* vocabulo exprimi posse credidit. Asserit autem hunc fuisse controversiæ eventum, ut Galli testarentur, se Cæsaris exemplum secuturos, Cæsar autem & Rex Hispaniæ & Ordines Fœderati Belgii declararent, sese Ministros Principum, de quibus tunc quærebatur, pro Legatis primi gradus, sive Ambasciatoribus non illibenter habituros. Ita ut de summa rei fuerit transactum, etsi de cæremoniis quibusdam conveniri tunc non potuerit, quibus non nulli Reges & Electores a Principum Legatis suos discerni debere judicabant.

Hoc Cæsarini Opus ob verborum & quarundam rerum novitatem varia hominum judicia excitavit, aliis in sententiam ejus pedibus euntibus, aliis acriter reclamantibus; qui tamen sese ex professo opposuerit, primum (si Annotationes quasdam Coloniæ Allobrogum

brogum, ut inscriptio fert, editas, & in Actis nostris A. 1683, pag. 100, memoratas exceperis) nunc demum sese in theatrum prodire ait hic scriptor Discursus Hyetopolitani, cum ob eruditionem & scribendi elegantiam, tum vero ob moderationem laudandus, qua usus est tanta, ut quem impugnat, summis laudibus ornaverit, cujus proinde verba in exemplum urbanitatis atque candoris proponenda, & judicium de adversario continentia, ascribere placet. *Prodiit*, inquit, *uti omnibus est notum, ante annos non ita multos, sub medio pacis Neomagi tunc conficiendæ fervore, scriptum cujusdam Cæsarini Furstenerii de jure Suprematus ac Legationis Principum Germaniæ, cum novitate argumenti, qua plerique delectantur, tum vero etiam summa autoris facundia & stupendo pene artificio insinuandi commendandique argumentorum suorum vim, haudquaquam spernendum. Unde factum, ut statim liber ille in omnium manibus & ore versaretur, & prout quemque studia aut animi sui sensus ferrent, diversa judicia expertus esset, quamvis omnes eloquentiam & judicium scribentis admirarentur. Quis autor ille fuerit, non ita inter omnes constat, cum alii alium dixerint. De eo convenit, eruditissimum fuisse virum, & mascula eloquentia, quam ad temporum nostrorum genium præstantissime accommodavit, pene incomparabilem.*

Profitetur autem Refutator, se non disputare contra jus legationis Principum, sed tantummodo contra Suprematum, qualem describit Furstenerius, quem pro re fictitia habet. Mallet etiam *Potentatus*, quam incognitum Latio *Suprematus* vocabulum fuisse adhibitum, cum eo exprimi debeat illorum jus & dignitas, qui Gallis vocantur Potentats. Et cum statuisset Cæsarinus, Majestati *Cæsaris* & Sacri Imperii connexum esse *Jus Advocatiæ Ecclesiæ Universalis*, eoque nomine Cæsarem esse brachium seculare totius Ecclesiæ, & Imperatorem seu Ducem natum Christianorum contra infideles, rerumque Christianitatis communium, quantum seculari Principi convenit, moderatorem; Autor noster non exiguam scripti partem in ea sententia examinanda consumit, quippe cui Cæsarini Suprematum inniti arbitratur. Deinde occupatus est in illis discutiendis, quibus Furstenerius ad Suprematus notionem assurgit. Hic enim cum agnosceret obligationes, quibus Electores & Principes tam Germaniæ, quam Italiæ Imperio sunt astricti, cui fidelita-

tem, imo subjectionem jurant, & videret tamen, illis jus belli, pacis fœderumque competere, tantamque esse magnitudinem, ut in conventibus & tractatibus Europæarum gentium cum autoritate interveniant, tanquam liberi & Suprematu præditi (Souverains & Potentats) indagare voluit notionem distinctam, quæ ista in speciem pugnantia conciliaret, questus Scriptores systematum Politicorum magis Aristoteli & Scholæ, quam usui hodierno sese accommodare. Putat ergo libertatem, subjectionem, imo jus omne tam rerum, quam personarum distingui posse in duos quosdam gradus, ut aliud sit magis simplex, & in nudis *liciti* ac debiti obligationisque finibus consistens, aliud magis sit prægnans & facto propius, quod præter justitiam causæ tribuat etiam proximam potestatem exequendi: quin & causæ titulum putat a potestate ista separari & fieri posse, ut, qui hanc habeat, careat justitia in ejus usu, & contra is, penes quem causæ justitia est, injuste sibi executionem sumat. Sic bellum duplici ratione etiam Grotio post veteres justum dici, ut vel bello injusto opponatur, si adsit justitia causæ, vel latrocinio aut rebellioni, si adsint alia requisita juris gentium, quorum potissimum est, ut ille, qui bellum justum gerere dicitur, jus belli habeat, licet fortasse causa armorum mala sit. Idemque discrimen & in privato jure apparere; sic jus rerum duplex censeri, ad rem & in re. Nam etsi alius quis actionem habeat justissimam ad rem nostram petendam, qua condicere eam & contendere possit sibi dari oportere, ita ut res a nobis injuste retineatur; non ideo tamen minus rem in dominio nostro esse, nostræque subjectam potestati, nec nos ab eo, qui remotiorem illum juris gradum habet, in usu propioris illius facultatis manu rem tenendi turbari posse, donec vel traditione nostra, vel judicis officio, vel (si nosmet ipsi in nullius potestate simus) bello ipsum jus reale ad eum pervenerit. Eodem modo & jus personarum aliud remotius esse, & utcunque referri ad personam; aliud propius eam afficere & potestatem dare in personam; sic servos & filios familias in potestate esse, clientes & libertos non esse, utcunque sint obligati. Similiter igitur putat, nomina libertatis & subditi & his similia duplicem sensum habere, sic ut liber dicatur Princeps vel populus, si in nullius sit manu ac potestate, qui tamen alio sensu etiam subditus censeri potest, si alteri ad obedi-

obedientiam præstandam obligatur. Priore igitur sensu, cujus in jure gentium exteriore potissimum rationem habendam putat, licet Princeps vel Populus sit alteri certa quadam obligatione maxima arctissimaque obnoxius, respectuque ejus non tantum clientis & vasalli, sed & civis jurisdictioni cuidam subjecti rationem habeat, & ut verbo dicam, Majestati ejus obedientiam profiteatur, sacramentaque dixerit; si tamen idem in Senioris, Domini, Imperatorisve sui vi & manu ex jure non sit, hoc est, si superiori jus ordinarium non sit in potestate habendi ditionem inferioris, & manu militari tenendi, tunc inferiorem illum liberum censeri, scilicet non ab obligatione, attamen a potestate proxima vel facultate, qua hæc metienda autor ille censet. Atque hoc ipsum jus propriæ potestatis constituere libertatem Statuum Imperii Principumque tam Germaniæ, quam Italiæ tantopere decantatam, quæ passim in Germania *superioritas territorialis* appellatur; ejus vero eminentiorem quendam gradum in Electoribus & Ducibus sive Principibus illis majoribus inolitæ dignitatis, qui rerum potiuntur, & Europæarum gentium negotiis cum autoritate interveniunt, ipsissimum esse *Suprematum*.

Verum in his Furstenerii explicationibus multa incommoda notat Refutator. Queritur eum magis vim præsentem librare videri, & factum potius, quam jus respicere. Mallet etiam libertatem per absentiam obligationis propriæ, quam potestatis alienæ definiri, & jus simplex atque internum, quam facti facultatem adhiberi. Objicit etiam p. 44. esse quosdam Immediatos Imperii, qui non sunt Status, & quorum in terris tamen Cæsar non magis quam in terris Statuum, jus receptum atque ordinariū præsentis potestatis habeat. Quos si etiam liberos fateamur, quo ipse inclinat p. 52. quærit, quid de illis dicendum sit, qui jus præsidii in aliorum terris acquisivere, ut Batavi in quibusdam Cliviæ oppidis salva Principis superioritate, quemadmodum, qui jus pignoris vel usus in re aliena nactus est, salvo jure ordinario nempe dominii. Urget etiam exempla quarundam Provincialium Germaniæ urbium, quæ in suamet erant potestate aut sunt etiamnum, utique liberæ ex Furstenerii principiis appellandæ, si jus propriæ potestatis ipsis competiit. Objicit etiam, Furstenerio ipso fatente, dubitatum olim esse, verum civitates Imperia-

periales sint Superioritatis territorialis capaces, cum tamen dubitari non possit, utrum in sua potestate sint, unde sequatur notionem superioritatis a *jure propriæ potestatis* non esse sumendam, vel certe notionem istam olim non satis distincte cognitam fuisse. Quin & p. 70 putat, Gallos eam unicam ob causam Legatis Electorum pares cum Legatis Principum Italiæ honores recusare, quod isti nimirum a Dominis missi sint Romano Imperatori Imperioque arctiori subjectionis vinculo & jurejurando astrictis, adeoque minus liberis, quam Itali esse perhibentur. Cum tamen Cæsarinus defenderit, Electores esse Regibus comparandos, & Principes Italos Imperio obnoxios nihilo esse liberiores Electoribus & Principibus Germaniæ, eademque plane sacramenta præstare, & Cæsareo judicio, ac jurisdictioni subesse. Et Gallos, quæ Germanis negant, Italis concessisse, cum ob matrimonia & alios respectus, tum quod Germani talium essent olim negligentiores, Galli autem hanc liberalitatem introducti semel styli obtentu, in eventum alicujus commodi aut honoris vicissim a Germanis extorquendi, dissimulato licet consilio, servare videantur.

Quod vero ipsum attinet Suprematum strictissime dictum, Cæsarinus cum judicaret inter eos, qui superioritate territoriali sive libertate publica præditi sunt, immensum esse discrimen dignitatis, idque illustrasset exemplo veteris regni Ivetotiani in Normannia, & hodiernæ Reipublicæ Sanmarinianæ in Italia Pygmæis comparabilium, & esse quendam gradum Regibus & majoribus Principibus aut Potestatibus communem censeret, (qualem in Italis Principibus Reges agnoverint) unde alii minorum gentium Domini summoveantur, qui etiam ipsius sententia risui se exponerent, si sese inter Potentatus censere, & ubi de dignitate & autoritate agitur, majoribus illis medios ingerere ac similes honores affectare vellent; ideo certam rursus notionem indagandam sibi ex jure gentum moribusq; proposuit, qua commune illud fastigium explicaretur, & unde mensura quædam capi posset, ne res plane vageturin incerto, & in solo arbitrio aut possessione casu aliquo quæsita consistat, sed principiis rationi consentaneis innitatur. Non putavit autem melius explicari posse jus Potentatus sive Suprematus superioritati simplici superadditum, quam habita ratione potentiæ atque

atq; autoritatis, quæ tanta esse debeat, ut quis confesso atq; ordinario jure non tantū domi ditionem manu militari obtinere, sed & exercitum extra fines ducere, & armis, fœderibus, legationibus & cæteris juris gentium functionibus aliquid momenti ad rerum Europæ generalium summam conferre possit. Hunc esse fontem aliarum prærogativarum, & qui hoc jure utantur, eos merito frui pleno honore juris gentium, qui Regibus Electoribusque reservatus non est; hoc est jure fraternitatis cum Regibus, & jure mittendi Legatos primi gradus & hujusmodi aliis; cum ea habeant in manu, quibus hanc inter gentes autoritatem sibi conciliare possint. Ideo qui altero, nihil eminentius habente, Suprematus sui conditionibus inferior non est, pari honore afficiendum esse, nisi quis statuere velit, honores hujusmodi non jure competere, sed in incerto esse & arbitrio Regum aliorumve, prout rebus suis conducere putent, his concedi, illis in eadem licet aut potiori causa positis negari posse, quod (ipsius judicio) esset totius hujus disquisitionis principia tollere, & honorum rationem in nundinationem professam, magnis animabus indignam, convertere. Statuit igitur, ut Imperatori quædam præ omnibus Regibus, ita vicissim Regibus atque Electoribus eximia quædam concedi debere præ aliis tam Germaniæ, quam Italiæ Principibus. Unde tantum abest, ut parificationem (quam vocant) Electorum atque Principum defendat, quemadmodum quidam ei imputant, ut potius disertis verbis agnoscat Electoribus competere, quæcunque Reipublicæ Venetæ aut Batavæ (quas Capitibus coronatis comparant) indulgentur; & arbitratur, facilius has prærogativas regias tueri posse Electores, si alii Germaniæ Principes hujus splendoris capaces communia Suprematus Italis concessa obtineant. Absurdum autem cum Vicquefortio censet, exteros quosdam, quæ Italis tam liberaliter sunt largiti, quorum aliqui & potentia, & originis splendore, & aliis magnitudinis notis vix in comparationem venire possint, ea magnis Germaniæ Principibus, imo Electoribus negare velle.

At Refutator, quanquam non diffiteatur p. 50, esse quandam in eminentioribus Germaniæ Principibus velut tertiam (præter jurisdictionem nudam & superioritatem territorialem simplicem) jurium illorum & opum considerandi rationem, quæ iis autoritatem

quandam inter gentes conciliet, majoremque esse illorum amplitudinem, quam novorum Principum & Statuum minorum: attamen non videtur probare, quod ex majore autoritate & dignitate novum quoddã jus Suprematus sive Potentatus Furstenerius fabricaverit. Id enim esse in meram vim & potentiam commutare juris nomen, & ut eleganter ait, perinde fore, ac si quis Samsonem quendã aut Milonem Crotoniatem ob robur, singulari ac præcipuo jure vivere inter homines debuisse contenderet. Ne vero de nomine tantum pugnare, in re autem ipsa convenire videatur, cum ipse Furstenerius effectum sui Suprematus potissimum in dignitatis fastigio & iis, quæ ad honores pertinent, collocet, ideo multa alia recenset incommoda, quæ ex Furstenerianis principiis consequi videantur, quorum aliqua breviter attingemus. Potissimum horum est, quod non satis definiri potest, quis gradus potentiæ & autoritatis Suprematum faciat. Nam sunt Comites atque Urbes, ne quid de aliis minoribus Dominis dicamus, qui Principibus quibusdam palmam dubiã faciunt. Quærit igitur, an omnibus Principibus concedendus, omnibusq; Comitibus & Urbibus liberis Imperii negandus sit Suprematus. Quid enim, si rediret hodie aliquis Comes Hollandiæ, quid si Sabaudus & Wurtenbergius nunquam facti Duces fuissent, easdem tamen quas nunc ditiones haberent? Quod si Suprematus Comitibus conceditur, quantillus inde erit ad Barones majores descensus? Esse præterea urbes territorio atque opibus multis Principibus superiores, in quibus etiam exteri Reges sæpe Ministros alant, qui tamen minores quosdam Principes vix salute dignentur. Quærit etiam, quid de Fœderati Belgii singulis Provinciis, imo Urbibus, & Helvetiorum Pagis sive Cantonibus, ut vocant, sit sentiendum, & quid de fœdere Hanseatico, cujus olim Regibus formidanda quoque fuit potentia. Denique p. 63 non posse præcise definiri ait, ubi desinat nuda Superioritas incipiatque Suprematus, & p. 65 designari magis præcise debere, quis militum numerus pro exercitu reputetur, quem Suprematum habens ducere posse debeat. Quoniam vero multæ sunt hominum notiones, præsertim circa res, quibus opinio intervenit, quas scimus latitudinem aliquam postulare, neque puncto aliquo dividi posse, ut si quæratur, quoto nummo adjecto quis dives, aut quoto pilo amisso calvus fiat, facilius enim divitem

vitem agnoscimus & calvum, quam limites divitis & non divitis, calvi & non calvi definimus; unde fortasse assereret Furstenerius idem in Suprematu usu venire, satisque esse ad ejus notionem, aliquos tam exiguos Dominos esse, ut omnium consensu excludantur, alios contra tam magnos omnium confessione Principes, ut sine injuria ab aliis quibusdam nihilo eminentioribus distingui non posse videantur; licet præcise illi majorum & minorum limites assignari non possent: sed hoc tamen Refutatori satisfacere non videtur; putat enim si semel vim & potentiam pro mensura capiamus, infinita nova jura & nomina pro variis potentiæ gradibus excogitari posse. Monet præterea, interdum divitias potius regionis, quam magnitudinem territorii spectandam. Queritur etiam, Furstenerium callide ignota & peregrina exempla attulisse, & invidiæ vitandæ causa pro minoribus Imperii Statibus extera quædam exigua Dominia nominasse.

Atque hæc quidem & his similia contra formam & subjectum Suprematus disserit. Sed habet tamen, quod in effectibus quoque reprehendat. Negat Principes ad Concilia Legatos mittere jure Suprematus, cujus rei hanc rationem affert, quod Romana Ecclesia eos excluſura sit, qui secessionem fecere, sed hoc ex accidenti. Expeditiones contra infideles ait jam longo tempore in desuetudinem abiisse, (quod utinam factum non fuisset!) In fœderibus, tractatibus, garantiis, mediationibus; ostendit etiam minorum potestatum rationem haberi, licet non pari autoritatis & honorum gradu. Et quoniam alicubi inviolabilitatem *Principum etiam eorum, qui solam spem regnandi habent*, defenderat Furstenerius, tanquam effectum Suprematus Familiæ adhærentis, ita ut criminalibus judiciis non temere pulsandi videantur; Noster contra docte & operose defendit, tam atrocia ab aliquo Principe posse admitti, ut salutis atque quietis publicæ necessitas cogat in ipsum exempla edi, ne adolescentes summo loco nati, atque indulgentius habiti & proposita impunitatis securitate animati, ad pernicioſissima molienda prorumpant. Negat ex Suprematu sequi jus Fraternitatis; cum Regibus alioqui & Respublicas hac appellatione fore honorandas, sed hoc fortasse Furstenerius de iis tantum accepit, qui hujus compellationis sunt capaces.

Circa applicationem Suprematus ad Principes Germaniæ, præter jam dicta, notat id quod Galli vocant *la Souveraineté*, non in excellenti suo gradu, quo nemini obnoxium significat, sed analogia quadam ipsis competere posse. Exteros titulis amplioribus blandiri nostris animo nocendi, quo magis dissolvant vinculum Imperii, nec has Sirenum voces auribus admittendas. Plurima a Cæsarino allata parum ad rem facere, vel etiam mirioribus Statibus esse communia, quale illud est: tantum posse Principem in suo territorio, quantum Imperatorem in Imperio; aliaque regalia ex veteri jure vel instrumento pacis competentia. De origine Principum alibi se acturum ait, & ex Hincmaro atque Trithemio ostensurum, Duces ac Regulos olim in plena potestate Regum fuisse. Addit eandem Comitum complurium, quam Ducum originem esse. Neque vero considerationem originis multum ad rem facere, cum de præsenti jure agatur. Jus belli Principum inter se, quod pace politica demum sublatum putat Furstenerius, negat noster ex diffidationibus & triennalibus aut quadriennalibus illis veteribus pacis publicæ edictis satis probari. Jus belli in exteros ab ipso Furstenerio arctis satis limitibus includi, ut ne scilicet Imperio periculum inde creetur. Tandem ea percurrit, quæ Furstenerius objectionibus a se ipso propositis responderat. Fatetur quidem, eum specioſe causam agere & cum summo applausu, & esse in his omnino aliquid veri, plurima tamen a Patriis Legibus moribusque abhorrere. Quod aliqui Principes Imperii simul sint exteri Reges, eo non putat adjuvari Furstenerium. Si enim Princeps non possit capitis damnari, quin simul executio tangat Regem, hinc non posse capita Regum proscribi, ut a Duce supplicium sumatur; secus esse in illis, quos nulla peculiaris qualitas tuetur. Interim fatetur ex sacramento quod dicunt Principes, tale quid non sequi, cum Reges illi idem dicant sacramentum; ex banni autem formula, & judiciis rem rectius probari. Refert tamen nuper in Comitiis Imperii disputatum de exemtione Ecclesiasticorum a judiciis Imperii in causis personam concernentibus, quibus alii Principes seculares, præsertim Protestantes, deteriores haberi nolint. Fatetur Coronas pacis sponsores, atque adeo magnam partem Europæ intervenire causis Principum, sed indirecte, & sic, ut justitiæ & judiciorum cursus sufflaminari non

non debeat. Denique quod Furstenerius dixerat, proscribere esse hostem judicare, non negat quidem, sed tamen plus inesse proscriptioni civis recte contendit, quam bello in exterum hostem decreto. Plura hujusmodi lectu dignissima apud hunc scriptorem reperientur, quæ excerpere nostro instituto non convenit: operæ tamen pretium visum est, momenta causæ exponere paulo uberius ob dignitatem novitatemque argumenti. Judicium autem Lectori ita relinquimus, ut non negemus ad decus Imperii & honorem Germaniæ pertinere, ut Cæsari Advocatia totius Ecclesiæ Christianæ, Electoribus par Regiæ dignitas, Principibus denique Germaniæ tantum honoris quantum Italis Imperio æque obnoxiis, quousque fas est, asseratur; quæ omnia maxime illustrare cœpit Cæsarinus Furstenerius.

DEMONSTRATIO VELOCITATIS, QUA CUM Aer irruit intra exhaustum Recipiens, exhibita Societati Regiæ a Doct. D. Papino, ejusdem Societatis Consorte.

Ex Transact. Philos. Angl. Mens. Octob. 1686, n. 184 pag. 193.

CUm variis in casibus proficuum esse valeat, pernosse aeris velocitatem secundum diversas pressiones ipsum impellentes; Academia Regia Parisiensis ope quorundam experimentorum tentavit hancce notitiam adipisci. Nimirum vesica quadam nunc aqua nunc aere impleta, experti sunt, tametsi & pondus ad exprimendos hosce humores, & foramen ad illos emittendos idem foret, nihilominus vesicam *aere* plenam evacuari sic posse intra 25 partem temporis, ad expressionem *aquæ* ex eadem vesica requisiti; unde concluserunt, aeris celeritatem vicies quinquies majorem esse aquæ pernicitate, dum uterque liquor eandem patitur pressionem. Et experimentum quidem hoc non abs re in considerationem venit, potuitque sufficere, donec melius adinventum foret; attamen Viri isti egregii non potuerunt non pervidere, id nequaquam perfectum esse. Ratio hæc est, quod aer admodum cedit, atque sic vesica eo repleta mox plenam adsumet figuram, quamprimum pondus ali-

quod notabile eidem ſuperimponitur. Evidens itaque eſt, pondus incumbens largiori cuidam ſpatio, non premere quamlibet ejus partem eadem vi; ut quidem faceret, ſi veſica ad tempus aliquod maneret turgida, prout contingit, cum aquæ plena eſt: præterea, dum aqua ipſa intra veſicam gravis eſt, nonnullam efficit preſſionem. Ut adeo appareat, preſſionem in hoc experimento non tantam eſſe ſuper aere, ac ſuper aqua. Quapropter aliam commentus ſum viam, quam meliorem autumo, perveniendi ad hancce notitiam, eandemque humiliter ſubmiſſam volo Societati Regiæ.

Innititur hæc mea methodus principio iſti Hydroſtatico, *quod liquores vi pollent tam alte adſcendendi, ac eorum ſcaturigo exiſtit*; & quamvis reſiſtentia *Medii* ſemper obſtet, quo minus aquæ ex ſiphonibus ejaculatæ plene ad eam pertingant altitudinem, nihilominus liquor in prima ſua eruptione neceſſariam habet velocitatem ad eo usque perveniendum.

Ppoſiti o I.

Ab hoc principio facili negotio deduci poteſt hæc propoſitio, quod e duobus diverſis liquoribus, per eandem preſſionem propulſis, is qui *in ſpecie* levior eſt altius eniti debeat, ac ille, qui gravior eſt, ac utriusque altitudo reciproce eadem conſtet proportione, quam utriusque gravitas invicem habet. Sic argentum vivum dum $13\frac{1}{2}$ vicibus aquam gravitate ſuperat, tantum preſſionis patitur, cum ad altitudinem 1. pedis e ſiphonis orificio proſilit, quantum aqua, quando ad $13\frac{1}{2}$ pedes usque ejaculatur; atque ſic altitudo ad quam Mercurius adſcendet, erit $13\frac{1}{2}$ vicibus minor altitudine, ad quam aqua propelletur, æquali utrobique preſſione adhibita.

Propoſitio II.

E præcedenti propoſitione aliam commode licet inferre; videlicet, quod e diſtinctis liquoribus eandem preſſionem ſuſtinentibus, is qui levior *in ſpecie* eſt, acquirere debeat majorem velocitatem, ita quidem ut diverſa utriusque velocitas ita ſe ad invicem habeat, ut radices gravitatis ſpecificæ utriusque e dictis liquoribus: Etenim vidimus *Prop. I.* altitudinem emetiendam in eadem proportione eſſe cum gravitate ſpecifica; jam Galilæus, Hugenius aliique demonſtrarunt, velocitatem diverſorum corporum ita ad invicem compa-

comparatam eſſe, uti radices quadratæ altitudinum, ad quas adſcendere valent: atque ſic in hac occaſione ſunt itidem velut radices gravitatis ſpecificæ. Si proinde velimus cognoſcere, quæ ſit velocitas aeris per quemcunq; preſſionis gradum propulſi, non alio opus eſt, quam ut indagemus, quænam foret aquæ velocitas ſub eadem preſſione: atque tum capiamus radices quadratas gravitatis ſpecificæ utriusque horum liquorum: quantum enim radix quadrata gravitatis ſpecificæ in aqua excedit radicem quadratam ſpecificæ aeris gravitatis; tantum adhibita proportione velocitas aeris excedet aquæ celeritatem. Exempli cauſa computare cum vellem, quænam foret pernicitas globi ope machinæ pneumaticæ ejaculati, (cujus deſcriptio habetur in Philoſ. Tranſact. n. 179.) ratio mihi primum fuit ineunda, quænam eſſet velocitas aeris ipſius globum expellentis: obſervavi ideo aerem hac in occaſione preſſionem ſuſtinere quam proxime eandem, ac aqua patitur, quando ad altitudinem 32 pedum proſilit: talis itaque aqua ſufficienti cum velocitate emicaret ad 32 pedes perpendiculares, ac proinde ſecundum regulas & obſervationem Galilæi, Halleji aliorumque aqua talis velocitate pollet ad emetiendum 45, pedes intra unum minutum ſecundum. Non ſupereſt ergo aliud, quam ut noverimus proportionem inter gravitatem aeris & aquæ: deprehendimus autem ipſam non ſemper eandem eſſe, dum altitudo, calor ac humiditas atmoſphæræ variant: nihilominus generatim dicere poſſumus, rationem initam inter aquæ & aeris ſpecificam gravitatem quam proxime eſſe, ut 840. ad 1. Aſſumtis igitur utriusque radicibus quadratis, ut ſupra monui, quæ ſunt 29 & 1, concludere licet, quod aeris pernicitas aquæ velocitatem vicies novies ſuperare debeat: atque ſic multiplicando 45 aquæ nempe velocitatem per 29, deprehendemus velocitatem illam aeris ab univerſa atmoſphæræ preſſione impulſi, facere circiter 1305 pedes intra minutum ſecundum.

BILANCIA HISTORICO-POLITICA DELL' Impero Ottomano, overo Arcani reconditi del Maomettiſmo &c.

id eſt

Trutina

Trutina hiſtorico-politica Imperii Ottomannici, ſive Arcana Muhamediſmi recondita &c. Autore Antonio Geropoldo Nobili Albano.

Venet. apud G. Parè, 1686, in 4.

QUas in Opere hoc Turcicarum rerum notitias Auctor ſuppeditat, eas tam ex aliis Scriptoribus, quos omnes, qui de iis egerunt, ad manus habuerit, quam colloquiis, non ſine magnis ſumtibus ſe hauſiſſe, & ingentem earum partem Legato cuipiam Regio haud ita pridem defuncto debere fatetur, arguto & inde alicubi obſcuro qua hactenus dicendi genere uſus, interſperſis paſſim notis hiſtorico-politico-legalibus, compluribusque paralleliſmis ex Tacito non incongrue applicatis. Decem autem libris Prima hæc, quæ ad nos pervenit, Pars abſolvitur. *Lib.* I. duodecim Sultanorum, ab Ottomanno usque ad Solimannum II, Annales a *Van-Ali-Rais Effendi* Magno Cancellario conſignatos, quos ab *Hieronymo Beck a Leopoldſtdorf* Ferdinando I. Imp. Conſtantinopoli allatos *Joh. Gaudier* Germanice, *Joh. Leunclavius* vero Latine reddidit, a Noſtro collatione cum novis MS. inſtituta correctos complectitur.

Liber II. trium noviſſimorum Portæ Ottomannicæ Miniſtrorũ Chriſtianorum vitam & diverſa fata exhibet. *Primus* eorum *Panajotus Nicoſius*, cujus dexteritate & meritis non parum adjutum fuerit Imperium Turcicum, Conſtantinopoli mediocris fortunæ parentibus natus, Græcæ, ſed quam docti ſuam faciunt, Arabicæ, Perſicæ, Turcicæ, Italicæ & Latinæ linguarum exacte, Gallicæ ita peritus, ut intelligeret magis, quam intelligeretur, Politicorum inſuper Scriptorum cognitione imbutus, Interpretis primum vices obiit. Vezirii deinde *Kiupurli* ſenioris favore ad Secretarii primarii, & Conſiliarii Status dignitatem evectus, ad inſolitam alias filii Achmetis *Kiupurli* in officio paterno ſucceſſionem commendatione ſua admodum plauſibili plurimum contulit. Ex uxore, e Cantacuzena familia, quæ in Moldavia & Conſtantinopoli adhuc ſuperſtitat, oriunda, prognata filia *Zoi* (a Græco ζωὴ) Johanni Principis Moldaviæ filio, cum 400000. argenteorum dote in tori ſociam ceſſit. Tandem dum aliquando cum Solimanno Aga Baſſæ Siliſtriæ

ſtriæ locum tenente cœnat, hauſta juſto largius Polonorum aqua vitæ vita eum, apoplexia tactum exuit. Quam ægre mortem ejus Sultanus tulerit, venationis interſtitium indicio fuit, a qua tamen nec cladis ad fl. Arabonem & Chocimum acceptæ nuncius, nec matris & amaſiæ, nec utriusque Kiupurli obitus eum retrahere potuit. Compoſitionis Candioticæ occaſione, propiorem Chriſtianæ militiæ oculis perluſtrandæ commoditatem nactus, tria inprimis, quæ decentem ejus uſum impedirent, in ea vitia taxavit, *luſum* puta, *comæ* alendæ ſtudium, & *vini* ingurgitationem. Ob *luſum* quippe armorum tractationem negligi, victorem lucrum luxurioſe prodigere, & victum ſtipendii, quod luſu perdidit, penuria argente duci ſuo faceſſere moleſtiam: ab animalculis illis in *capillitio* prolixiori facile generandis militem, cui veſtes mutare integrum non ſit, miſere affligi: *vini* copia ſi adſit, ebrios nec juſſa prompte exequi, nec ſomnolentia præpeditos ad officia ita habiles eſſe; ſi deſit vinum, enervatos quaſi neceſſariis ad pugnam viribus deſtitui. Alter horum Miniſtrorum *Alexander Mauro-cordatus* itidem Conſtantinopolitanus, mercatoris filius, Patavii medicinæ, uti ex editis opuſculis eniteſcit, feliciter ſatis incubuerat. Ob apparitorem ibi occiſum cum aliis proſcriptus, & Bononiæ Nobilis cujusdam patrocinio ſuſtentatus, de Pulmonibus diſſertationes conſcripſit. In patriam reverſus, Panajoto ſibi conciliato, proximum ab ipſo publicorum negotiorum arbitrium adeptus, & in ejus deinceps locũ ſuffectus, opibus corradendis operam impendit. Vezirio Muſtapha ſtrangulato, cum Magno Cancellario *Rais-Effendi* Adrianopolin accitus, & literarum Imp. Romani parum fideliter explicatarum inculpatus, illo capitis ſupplicium perpeſſo, 180000 aureis vitam redemit, carceri, donec ſummam exolvat, incluſus. Tertium locum *Andreas Barozzi* occupat, Candiota, qui durante bello in patria Chiliarchæ aliquandiu legatus, cum aliis dimiſſus ad Baſſam Boſnienſem ſe recepit, & ab eo a jactata architecturæ militaris peritia Vezirio commendatus, facto huic locorum Candiæ minus munitorum indicio, omnium, quæ ad familiam hominis ibidem ſpectabant, ædium, diverſorumq; caſtellorum & villarum promiſſionem impetravit. A Baſſa Regni, domum ereptam & alii traditam repoſcenti reddere refragante, & dejecto (quod magnam ſapit injuriam)

juriam) capitis involucro alapam insuper infligente, irritatus Barozzus, a Sultano neutrum offensuro alios in Chio insula reditus consecutus est. Sed & horum pertæsus, cum *Kaplam* Bassa rei maritimæ præfecto, cui a secretis fuit, Smyrnam abiit, cum domino epilepsiæ malo laborante (quem *Mauro-cordatus* cura morbi ab ipso Sultano demandata, *Karæ Mustaphæ* Vezirii instinctu, lento veneno sustulit) eodem fati genere vitam finiit. Comparationem inter hos tres Ministros dum Autor instituit, unumquemque eorum animum emergendi habuisse, sed primum obtinuisse eminentiorem dignitatis gradum eumque retinuisse, alterum obtinuisse quidem, sed tueri non potuisse, ultimo neutrum obtigisse concludit. Tria vero a Turcis in ministro e Christianis seligendo attendi asserit. 1. ut subditus sit, & ita metu damni in bona vel familiam redundaturi in fide persistat, quam a Græcis in negotiis cum Principibus Romano-Catholicis tractandis, ob singulare versus Ecclesiam Latinam odium certissime sibi promittunt. 2. ut facultatibus polleat, tum, ne ab exteris corrumpi se patiatur, tum, ut causa quæsita fiscum inde ditare valeant. Hinc ne ærario quid decedat, insularum quarundam Archipelagi reditus assignant. 3. ut variorum Statuum notitiam & secretum literarum commercium ibidem habeat.

L. III. excitatos a famoso isto Cosaccorum duce *Petro Dorosenko* motus ejusque inconstantiam, urbis *Humay* in Ukraina direptionem, succedentes sibi invicem aliquot Cosaccorum duces, inauspicatos *Tekelii* ausus, minus prosperum dissuasæ a Starenbergio prioris obsidionis Budensis eventum, induciarum præterea inter Cæsarem & Regem Galliæ conclusarũ articulos exponit. L. IV. & V. Vezirii *Karæ Mustaphæ* virtutes & vitia, quæ Oeconomo, Politico, & Militi conveniant, vel inesse consueverint, & quomodo a primo tyrocinio ad Seraskierii, Caimacani, & denique Vezirii fastigium gradatim ascenderit, celebratarum item cum adoptiva *Kiupurli* filia *Faisse-Cadun* nuptiarum solennia, & reciprocas Soceri Generique æmulationes sistit. Quibus alia quædam, quæ ad Vezirii Achmet *Kiupurli* vitam, characterem & mortem spectant, subjicit, quod patri moribus & fortuna similis, multos sibi amicos & inimicos expertus, diversam sortis faciem æqua mente tulerit; omnia alias

alias, quæ ipsi non probarentur, reprobare solitus, adulationum patiens, in laude autem, quam avide aucupabatur, aliis laude dignis tribuenda parcior, puras tamen a muneribus manus habuerit. Mors ejus, quæ anno ætatis 45, post expeditionem Polonicam, in vicino Adrianopoli pago, Viro qui ædificandi studiosus tot sibi palatia extruxerat, in stabulo obtigit, Sultanum, cui ob vinolentiam exosus erat (licet eum in literis suis *pollicem sinistræ* suæ vocare non dubitaverit) parum affecisse dicitur. Fœderis inter Portam & Tattaros, præsente *Dziambet Gercio* Chami filio initi articulis annexis, bellum Moscovitis illatum, & simul vexilli regii (cui ex *Casnà* seu receptaculo signato, in quo tempore pacis nulli conspiciendum asservatur, depromto omnis victoria, & quia ob amissionis periculum per mare in Candiam transferri non potuit, tardior occupationis successus tribuitur) ab Aga Janizarorum ex Mufti sinistra Sultano primum, & ab hoc Vezirio traditi cerimonias commemorat. L. VI. & seqq. præmissis Vezirii *Mustaphæ* ad Sultanum & Sultanam de *Cechrini* (ad quem obscurum locum tamen 50000 periere) incendio literis, in quarum posterioribus Sultanam *Sigillum Regnorum, Thesaurum nationum, Gemmam Musulmannorũ*, & *spectabilem sinistræ Dei annulum* inscribit; amplitudinem jurisdictionis, qua *Bey* Ægyptii, nec ipsis Bassis cedentes, gaudent, *Bey Gigensis* (qui locus Cairo 15 dierum itineris spatio distat) exemplo confirmat, qui ad numerosam familiam alendam quotidie 500 saltem vervecibus opus habuerit, & post mortem 4. mancipiis suis 8000. camelos, totidem jumenta, ingentemque auri, argenti, gemmarumque, inter quas patera ex integra Turcoide 100000. scutatorum valorem attigerat, reliquerit. Hisce *Agli Kam Basoræ* Principis ad obsequium Turcicum reversi, nec non *Lazari Ulasky* Cosacci feloniæ accusati, & oblatione ejus ad Turcismum amplectendum posthabita, A. 1680 strangulati & in mare projecti, Babyloniæ porro seu *Bagdat* ab *Amurathe* præsente A. 1638. post 39. dierum obsidionem captæ historiam subtexit. Et ne soli Romani & Græci Scriptores orationes a ducibus ad milites habitas allegare sciant, Sultani Orationem adjicit, sub auspicium obsidionis Magnates tam civilis quam militaris ordinis convocatos allocuti, sed quam huc transcibere supersedemus. Nec parum in laudem ejus vergit, quod in chirurgorum

tentoriis, a ſuo proxime diſpoſitis, vulneratos erogatis in ſingulos 40. 50. aureis, blando affamine conſolari, & durante obſidione noctu & interdiu humi proſtratus, cum lachrymis precibus vacare conſueverit. L. IX. & X. *Hofmanni* & *Capraræ* Internunciorum Cæſareorum iter in aulam Turcicam ſtrictim perſequutus, priorem niſi obitus interveniſſet, pacem (quod poſteriori integrum non fuerit) compoſiturum fuiſſe, innuit. Et hac occaſione digreſſione quadam de Legatis Chriſtianis Conſtantinopoli ordinarie ſubſiſtentibus facta, Tractatus ab *Henrico IV.* Galliæ (uti verba habent) Imperatore cum *Achmet* Sultano d. 20 Maji A. 1604 in gratiam nationis ſuæ, cui multa privilegia in eo obtinuit, initi & 47 articulis comprehenſi, tabulas inſerit. Nec intactum relinquit, quod Gallus Reſidentem Cæſaris, eo quod hic in coronatione Imperiali omnem cum Turcis pacem abjurare ſoleat, non niſi pro Regis Hungariæ miniſtro agnoſcat, & jam olim Legatus Gallicus *de Breves* (cujus inſignia merita tribus *Clementis* VIII P. R. literis ad eum datis probare ſatagit Autor) præ *Rudolphi* II Imp. Legato prærogativam obtinuerit. Tandem quomodo Sultanus Adrianopolin, Vezirius vero Viennam verſus moverit, diffuſe recenſet, adjecto Baſſarum, quos ſingulos deſcribit, militiæque computo, in quo equites 53382 & pedites 49512, exercitum 102894 virorum confieiunt. Ubi etiam obortum ſub egreſſum Sultani turbinis impetum, delapſamque imbrium violentiam, ceu inauſpicatum ſubſecuti eventus præſagium, exantlatas ruſticorum in cogendis feris moleſtias, illatamque compluribus pagis fœdam vaſtitiem ſilentio præterire noluit, & quod Baſſæ Cairi petulantiæ militari refrenandæ deſtinato uſitatum proverbium objectum fuerit: *conculcatum ſemel ab equo Sultani ſolum non amplius vireſcere.* Lætiſſimam ipſius obſidionis ex Chriſtianorum parte cataſtrophen, in ſecunda forte parte Autor exponet, quam dum expectamus, paucula hæc ex prima delibaſſe in præſens ſufficiat, quanquam plura lectu non injucunda in ea latere ſubentes fateamur.

HISTOIRE METALLIQUE DE LA REPUblique de Hollande, par Mr. Bizot.

id eſt

Hiſtoria Fœderati Belgii Numismatibus illuſtrata, auctore Bizoto.

Pariſiis, apud Dan. Horthemels, 1687, fol.

INſcriptionem nitidiſſimi hujus Operis, Gallico ſermone compoſiti, Latine ita reddendam cenſuimus, ut Auctoris inſtitutum argumentumque libri primo ſtatim contuitu cognoſceretur. Neque enim aliud propoſitum Bizoto fuit, quam Fœderati Belgii Hiſtoriam, a primis natæ Reipublicæ initiis ad hæc usque tempora deſcriptam, per numiſmata, ſive Fœderatorum Ordinum auſpiciis, ſive privato aliorum auſu, eo temporis intervallo cuſa illuſtrare: eum in modum, quo clariſſimam lucem Romanæ quidem Hiſtoriæ a diverſis auctoribus, Seleucidarum in Syria Regum a *Vaillantio*, Imperatorum Conſtantinopolitanorum a *Carolo du Freſne*, Romanorum Pontificum a *Molineto*, ex numis affuſam, in Actis A. 1682, p. 121 memoravimus. Poſt brevem præfationem, qua recentioribus æque ac antiquis Numismatibus decus ſuum ac utilitas aſſeritur, & origo Fœderatæ Belgarum Reipublicæ ſuccincte enarratur: Opus ſuum ab anno 1566 orditur Bizotus, quemadmodum & Annales ſuos Belgicos auſpicatus ab eodem Hugo Grotius fuerat. Itaque primo loco Numiſma illud ex Famiano Strada aliisque belli Belgici ſcriptoribus notiſſimum comparet, in memoriam nominis *Guheſiorum*, i. e. mendicantium, Brederodio aliisque Nobilibus, qui Margaretæ Auſtriacæ Belgii Gubernatrici libellum ſupplicem obtulerant, per contumeliam objecti, ſed a factione cum applauſu ſuſcepti, cuſum; in cujus antica parte Philippi II Hiſpaniarum Regis expreſſa eſt effigies, cum epigraphe: *En tout fideles au Roy*, i. e. Re- Pag. 1.
gi in cunctis fideles; in poſtica, mantica ſpectatur duarum complexu manuum intercepta, circumque leguntur hæc verba: *jusques à porter la beſace*, h. e. usque ad manticam. Inde Bizotus cœptum Hiſtoriæ filum pertexit, & quid quoque anno poſt exortos graviſſimos illos in Belgio motus, totoque civilis, in quod eruperunt, belli tempore geſtum fuerit; ut ſeculo noſtro bellum utrinque per duodecennales inducias quieverit, ſed iis finitis eo exarſerit acrius, donec anno 1648 in æternam tandem pacem deſineret; quæ Fœ-

deratæ Reipublicæ, postquam Hispanicum excussisset jugum, domi forisque fata fuerint, donec variis gravissimisque cum hostibus aliis jactata bellis, quieti tandem per pacem Neomagensem A. 1678 restitueretur; Hæc, inquam, aliaque Annalium in modum, sed breviter & per summa rerum capita recensет: ubique vero Numos, quibus rerum gestarum memoria consignata est, æri quam elegantissime insculptos exhibet, eademq; adeo opera per Numismata Historiam & ex Historia Numos illustrat & explicat. Nos ex ipso Historiæ contextu nonnulla excerpere supersedemus, ne ex compendio compendium facere videamur, cum Bizotus ipse, ut jam innuimus, quam brevissimo rerum gestarū recensu defungatur. Non ingratum vero futurum Lectori Benevolo arbitramur, si ex Numismatibus quædam seligamus, & speciminis in modum descripta demus.

Pag. 8. Primum quod honori Wilhelmi I Arausionensis Principis, cui libertatis suæ primordia Fœderati Belgæ debent, dedicatum fuit, Principis effigiem pectore tenus præsentat, cum inscriptione: *Guilelmus D. G. Princeps Auraicæ, Comes Nassaviæ.* Parte aversa Alcion visitur mari innidificans fluctuoso, addita inscriptione:

Sævis tranquillus in undis.

Constantiam Principis, inter sævissimas persecutionum procellas intrepidi, nemo non videt designatam.

Pag. 38. Cum d. 23. Jan. A. 1579 fœdus Ultrajectinum, per quod fundamenta jacta fuere florentis hodieque Belgarum Fœderatæ Reipublicæ, sancitum esset, Numisma vulgatum fuit, quo duæ naves eodem mari jactatæ repræsentantur, subscriptis verbis: *Frangimur, si collidimur.* Parte altera boves duo currum trahentes comparent, cum epigraphe: *Trahite æquo jugo.* Simile fere A. 1617, cum factiones Remonstrantium & Contra-Remonstrantium Rempublicam divisuræ viderentur, cusum legitur; nisi quod navium loco, duæ ollæ figulinæ undis innatantes exhibentur. Nimirum perpetuum concordiæ studium commendandum sibi mutuo censuerunt Fœderati, non minus Numismatibus ejusmodi, quam assumpto symbolo: *Concordia res parvæ crescunt, discordia magnæ dilabuntur.*

Pag. 42. Actum eodem anno Coloniæ Agrippinæ solenni conventu de pace erat, sed quam libertatis tenacissimi Ordines repudiaverant. Hinc A. 1580 Numus Fœderatorum, ut Bizotus memorat, Ordi-

Ordinum auspiciis cusus fuit, cujus altera parte cum Pontifice Romano Rex Hispaniarum præsentatur, Leoni (Belgico) abblandiens manuque dextra oleæ ramum offerens, sed sinistra lorum occultans leoni injiciendum, circumscriptis verbis: *Liber revinciri Leo pernegat*; parte altera conspicitur statua columnæ insistens, ad cujus basin Leo loris devinctus est, quæ a mure arroduntur, cum hac inscriptione: *Rosis Leonem loris mus liberat.*

Cum A. 1628 a Petro Heynio ditissima Hispanorum classis ex Pag. 158. America redux, haut procul Cuba insula, intercepta esset, & duodecim millionum pretium superans præda capta, tantæ felicitatis memoriam propagare visum fuit Numismate, quo navibus mare sulcantibus distichon hoc circumscribitur:

Non ferro tantum Hispanus, quantum valet auro:
Aurum aufer, ferro non superabit Iber.

In aversa parte hæc leguntur: *Indica classe intercepta, partisque sine sanguine opulentissimis spoliis, ad Cubæ portum Hispanorum nunc damnis quam olim cæde nobiliorem, Fœderatæ Belgico-Germaniæ Proceres e gaza captiva monumentum cudi fecerunt.* cIↃ IↃc XXIX. In peripheria alterius Numi eodem tempore eademque ex causa cusi, ex una parte verba hæc ex Jerem. 51. v. 33. 48. leguntur: *Filia Babylonis quasi area calcabitur ab Aquilone tempore messis ejus*; in altera vero ista ex Jerem. 27. v. 7.: *Gentes servient ei, donec veniat tempus quo eandem ab ipso servitutem exigent.*

Postquam Silva Ducis A. 1629 a Friderico Henrico, Principe Pag. 163. Auriaco, justa & difficili obsidione capta esset, diversi prodiere Numi, ex quibus unum indicasse sufficerit, quo silva præsentatur monstrorum plena, sed quæ positus in medio Leo, altero pede septem sagittas, altero gladium tenens fugat pellitque, circumscripto versu:

Hinc inimica mihi, silva est mea, fugite monstra.

Hugonis Grotii memoriæ quod consecratum Numisma est, ut non Pag. 206. prætereamus, ipsa Viri in rem literariam merita videntur postulare. Exhibet illud effigiem ejus cum inscriptione: *Hugo Grotius natus 1583. 10 Apr. obiit 1645. 28. Aug.* In postica parte Belgicum hoc legitur poema:

De Fenix van het Vaderlandt,
Het Delfs Orakel, 't groot Verstandt,

Het

Het Licht dat d' Aarde alom beſcheen,
De Groot vertoont zich hier in't kleen.

Quod Latino carmine ſic expreſſeris:

Qui Phœnix Patriæ quondam, Oraclumque Batavæ
Delphicum, & ingenio magnus & altus erat,
Lumen & immenſi radians per climata mundi
GROTIUS, hoc parvo ſiſtitur ære Tibi.

Poſtquam A. 1648 Monaſterii Weſtphalorum pax æterna
Pag. 213. inter Hiſpaniarum Regem & Fœderati Belgii Ordines coaluiſſet, inter alios Numus quoque comparuit, Pacis imaginem repræſentans, dextra cornucopiæ, ſiniſtra caduceum geſtantis, curruque a leonibus duobus, quorum alter coronatus ſceptrumque præferens Hiſpaniam, alter ſagittas ſeptem complexus Fœderatum Belgium notat, tracto, ſuper confracta arma vectæ, adſcriptis verbis: *pax Hiſpano-Batava:* circumſcripto vero verſu:

Et juncti currum Dominæ ſubiere Leones.

Parte averſa hæc habentur: *Pacis felicitas orbi Chriſtiano quæ reſtituta, quæ ad incitamentum demonſtrata, tot regnis & provinciis ad utrumque Solem, utrumque Oceanum, terra marique parta ſecuritas, tranquillitatis publicæ ſpe & voto, Monaſterii Weſtph. A. 1648.*

Pag. 229. Ita & cum atrox bellum, quod inter Anglicæ Belgicæque Reipublicæ rectores A. 1652, Cromvvello præcipuo auctore exarſerat, compoſitum A. 1654 eſſet, in memoriam pacis numismata varia ſparſa in vulgus fuere. Eorum aliquod duas exhibet conſidentes virgines, pileum velut libertatis inſigne elevatis manibus oſtentantes; quarum altera Anglicam deſignans, citharam genubus impoſitam præfert, altera Belgicam notans, cubantem ad pedes ſuos leonem cum ſagittis habet; diſticho circumſcripto:

Mentibus unitis priſcus procul abſit amaror,
Pilea ne ſubito parta cruore ruant.

In altera parte duæ naves conſpiciuntur, cum epigraphe:

Luxuriat gemino nexu tranquilla ſalo res,
Pag. 265. *Excipit unanimes totius orbis amor.*

Ex iis, quæ poſt ſancitam Bredæ A. 1667 cum Carolo II Magnæ Britanniæ Rege pacem prodierunt, unicum huc tranſcribere lubet, quo Leo ſiſtitur, anterioribus pedibus tormentum bellicum verſans, poſte-

poſterioribus arma alia conculcans hoc circumſcripto chronoſticho:

SIC FINES NOSTROS, LEGES TVTAMVR ET VNDAS.

Parte averſa hæc verba leguntur: *Deo auſpice aſſertis non minore animo quam ſucceſſu avitis patriæ legibus adverſus tres potentiſſimos Hiſpaniarum Reges, coactis deinde ſemel iterumque contra vicinos Britannos arma ſumere Batavis, poſt pacem egregia virtute bello partam atque reducta generis humani commercia, Conſules Senatuſque Amſtelodamenſis Monumentum 1667 fieri curarunt.*

Miſeranda fuit duorum fratrum Wittiorum cædes, Hagæ Co- Pag. 281.
mitis a furente plebe A. 1672 patrata; quorum tamen memoriam poſt tam dira fata alii honorificis elogiis non dubitarunt proſequi. En numiſma æterno eorum honori ſacrum, quod ne juſto prolixiores ſimus, ultimum in hoc ſpecimine noſtro futurum eſt. Sculptæ ſunt una parte pectore tenus duorum fratrum effigies adverſis frontibus, Cornelii ſagato, Johannis togato habitu. A latere Johannis verba hæc leguntur: *Johannes de Wit natus A. 1625*; a latere Cornelii iſta: *Cornelius de Wit natus A. 1623.* Minoribus litteris a tergo Johannis ſcriptum: *integer vitæ*; a tergo Cornelii: *ſceleriſque purus.* Suſcriptio ita habet: *Hic* (Cornelius) *armis maximus, ille* (Johannes) *toga.* Altera numi parte feræ beſtiæ repræſentantur, cadavera cæſorum fratrum dilaniantes, circumſcripto verſu:

Mens agitat molem & magno ſe corpore miſcet.

Cujus ſenſus, prout quidem hic applicari debet, non cuivis forte obvius, Gallice a Bizoto noſtro ſic expreſſus eſt: *Une intelligence ſecrete fait agir toute La maſſe & ſe méle parmy ce grand corps.* Subſcriptum eteoſtichon:

NOBILE PAR FRATRVM SÆVO FVROR ORE TRVCIDAT. XX AVGVSTI.

Extrema averſæ hujus partis peripheria his exaratur hexametris:

Nunc redeunt animis ingentia Conſulis acta,
Et formidati ſceptris oracla Miniſtri.

ANTICA BASILICOGRAFIA. i. e.

Basilicographia Antiqua Pompeji Sarnellii, Th. & J. U. D. Protonotarii Apostolici ac Abbatis S. Homoboni Cæsenæ.

Neapoli, impensis Ant. Bulifonis, 1686. 4.

CUm superiori anno ecclesiasticas *Pompeji Sarnellii* epistolas ad Acta *Aprilis & Maji* referremus, optabamus, ut ejusdem Clarissimi Viri *Basilicographia*, quantocyus fieri posset, lucem publicam aspiceret. Sed vota is nostra jamjam prævenerat, ac plane talem ediderat librum, qualem abs ejus industria variaque lectione expectare æquum fuerat.

In hoc ergo opusculo, cujus nobis copiam clarissimus *Magliabechius* fecit, præmissis Basilicarum synonymis, distinguit illas quidem ab *ædibus privatis ac cryptis*, quæ Christianis persecutionis tempore templorum loco erant; earum tamen *origines* ab ipso Apostolorum ævo repetere nullus veretur, fide potissimum nixus *Abdiæ Babylonii*, *Anacleti* Papæ, ac *Nicephori Callisti*. Sed & *ecclesiæ* ac *altaris* nomina urget, Irenæo, Tertulliano, Origeni memorata, itemque edicta *Alexandri Severi* ac *Diocletiani*, quorum ille *locum* aliquem *publicum*, quem popinarii sibi vindicabant, Christianis concedi, hic Christianorum *templa* dirui soloque æquari jussit. Utrum vero his argumentis probari satis possit, *ædes publicas sacras* Christianis fuisse ante seculum tertium, dudum inter Nostrates ac Pontificios disquisitum fuit.

Ubi dein docuisset, basilicas ex veteri ritu *fronte* (seu parte ea, quæ portæ majori e diametro adversa erat,) orientem, latere dextro meridiem, sinistro septentrionem spectare debuisse; animadvertit nihilominus, Constantini M. ævo seculisque sequioribus situm illum non ubivis stricte adeo observatum fuisse, sicque e. g. Basilicam a Constantino in loco resurrectionis Dominicæ extructam, nec non Lateranensem ac Vaticanam Romanas, fronte occidentem, porta orientem, latere dextro septentrionem, meridiem sinistro latere respexisse partim, partim hodienum respicere.

Partes porro singulas basilicarum perlustraturus, notat, Romæ sese non nisi duas reperisse, quæ a vetustissimarum forma propius

pius absint. Harum alteram *S. Clementis* martyris & papæ, alteram *SS. Nerei & Achillæi* nominibus sacram esse. *Partes* autem *exteriores* veterum basilicarum erant *atrium*, *exedræ*, *porticus*, *vestibulum*, *portæ*, *fontesque* ad utrumque latus portæ majoris in muro occidentali conspicui, ex quorum alterutro manus vultumque abluebat quilibet Christianorum, antequam in narthecen inferret pedem. Quod *interiores partes* attinet, medium ædis sacræ occupabat *navis major*, cujus proram *narthecen* dixeris, a porta majori occidentali pertingentem orientem versus usque ad *murum* illum *transversum*, qui pœnitentes, infideles, heterodoxos, neophytosque catechumenos a communione & cœtu fidelium secludebat. *Carinam* referebat ecclesiæ *gremium*, quod *in longum* ab occidente in orientem inde a *muro transverso* secabatur, tum per *murum* cubitos aliquot altum, tum ubi murus desiisset, per *ambonem*, qui formam habebat chori oblongi quadranguli. Eminebant ex hoc *pulpitatria*, quorum majus *cantorum* cœtus, alterum *diaconus*, tertium *subdiaconus* tenebat. Intra ambonem humi erant *sedilia clericorum minorum*; extra murum ambonemque versus meridiem *mares*, septentrionem versus *fœminæ* stabant. *Laterum carinæ* speciem præ se ferebant *porticus* illæ *laterales*, quas & *minores naves* vocari moris est. Vidisses heic sacella non una, ubi solitariis precibus vacare licebat. In horum aliquo, eoque quidem meridionali, erat *baptisterium*. Amboni vero & sanctuarii cancellis interjacebat *solea* marmoribus gemmisque strata, ac reliqui gremii pavimento eminentior. Ex hoc loco accipiebant eucharistiam fideles. Heic itidem subdiaconorum lectorum sedes erant. *Puppi* denique non absimile erat *sanctuarium*, quod non minus ac ambonem βήματος nomine Græcis salutari notum est; observat tamen Sarnellius, illud ἁγίου βήματος, hunc μεγάλου βήματος epitheto abs homonymo suo solicite distingui. Dirimebatur *velo* sanctuarium a gremio. Velo hoc, (post dimissos infideles, hæreticos, schismaticos, pœnitentes catechumenosque,) diducto, cernere erat *altare*, cui subjacebat *martyrium* seu crypta martyrum reliquias asservans, ac Sarnellio judice, indigitata in Apocalyptico illo: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Tegebatur altare *tabernaculo* seu *ciborio*, quatuor columnis innixo. Ad dextram altaris, circa

septentrionalem sanctuarii parietem, locus erat *mensæ*, in qua vestes sacræ jacebant. Ad sinistram, circa parietem meridionalem, *diaconium* visebatur, hoc est, mensa, cui vasa sacra cum velis suis, ut & eulogiæ imponebantur. Sanctuarii parietes ad formam hemicycli versus orientem vergebant. Jungebantur iis ex utroque latere *sedilia presbyterorum*; summo vero hemicycli loco *cathedra episcopalis* visebatur. Extra sanctuarii latera *pastophoria* duo erant sive sacraria, quorum alterum *bibliothecam*, alterum totam *supellectilis sacræ penum* complectebatur.

Hæc universa Sarnellius cum cura describit, compendioque adeo ac optimo ordine exhibet, quæ *Baronius*, *Cabassutius*, *Macri* fratres, *Bona*, aliique Pontificiorum antiquarii fuse ac confuse de hoc argumento scripserant. Immiscuit hic illic digressiones non temnendas de festivis frondibus portarum, de quinque gradibus pœnitentiæ canonicæ, de diaconissis, de diptychis, de oblationibus fidelium eulogiisque, de communione tum laica tum peregrina, de agapis, de lampadibus in templo accendendis, de campanis, & quæ id genus alia sunt.

DE' FATTI VENETI, DI FRANCESCO *Verdizzotti Nobile Veneto. i. e.* Franciſci Verdizzotti Nobilis Veneti de Geſtis Venetorum Volumen I & II.

Venetiis, typis Stephani Curti, 1686, in folio.

POst tot tantosque Venetorum historicos, qui cum rebus a Republica patria præclare gestis suummet nomen seræ posteritatis memoriæ commendarant hactenus, anno abhinc quarto in scenam orbis litterati prodiit *Alexander Maria Vianoli* Nobilis Venetus. Hunc, cum *Historiam* ejus *Venetam* ad Acta *Septembris A. 1684* referremus, *boni historici* non minus ac *boni civis Veneti* partes satis bene expleviſſe, arbitrati sumus. Nunc alium sistimus, *Franciscum Verdizzottum*, Nobilem itidem ac Historiographum Venetum, de quo non idem modo dicendum, sed & addendum videtur, jure eum optimo *disertissimi* insimul *panegyristæ* nomine nobis appellatum iri.

Hac

Hoc quippe fine stylo sublimi potius, metaphorisque ac similitudinibus refertissimo uti maluit, quam conciso illo atque simplici, qui plerisque Historicorum familiaris est. Neque tamen nos fugit, quod *Tallemantius*, in præfatione *Baptistæ Nani* Historiæ Venetæ a se Gallice tralatæ præfixa, monuit, *nihil Italis sapere, nisi figuris condiatur.* Unde & Historicum nostrum, ne nihil civium suorum genio daret, non aliud dicendi genus adhibere voluisse, facile nobis persuaderi patiemur.

Magis adhuc in *Verdizzottũ* quadrabit elogium *Vianolio* datum, *magno* eum *studio annotasse*, *quicquid ad Veneti nominis splendorem facere* putarit. Hincque factum censemus, quod non unas, quas Veneti passi feruntur, injurias silentio plane præterierit. Exempli loco afferamus pervulgatissimam illam de *Francisco Dandulo* veterum traditionem. Ajunt nempe, eum a Venetis interdicto, cui ad eam diem obnoxii fuerant, solvi desiderantibus, Avenionem ad Clementem V. ablegatum, non antea absolutionem a Pontifice impetrare potuisse, quam canis instar ferrea catena revinctus subter mensam ad illius pedes indignum in modum provolutus jacuisset; unde & *Canis* cognomen Dandulo fuerit inditum. Vide *Petrum Justinianum* sub initium libri IV Historiæ Venetæ; *M. Antonium Sabellicum* Historiæ Rerum Venetarum Decad. II. l. 1. p. 194. *Vianolius* hæc ad annum 1313 memorat, sed fabulis accenset. *Verdizzottus* autem, copia verborum alias instructissimus, totius rei paucissimis meminit, & quidem ad annum 1317. Abs eo dicta huc fere redeunt: *Cum humanis felicitatibus cœlitus quoque Venetis obtigit benedictio longo tempore suspiriis expetita. Potuit nimirum Franciscus Dandulus ad Clementem V. legatus, solus permovere tunc Pontificis animum, ut excommunicationem revocaret, quam Veneti ob Ferrariæ dominium affectatum incurrerant, quæque animos tanto hactenus dolore affecerat.* De modo, quo Dandulus Papam Venetis conciliaverit, altum est silentium Authori nostro, pariter ac *Johanni Baptistæ Vero*, qui *lib. I. Rerum Venetarum* hæc tantum ea de re dicere sustinuit: *Nostri*, (inquit) *pacem a Clemente diu nequicquam petitam, NOTA tandem Franciſci Danduli MODERATIONE & OPERA impetrarunt.* Nec ausus tamen factum dissimulare *Leo Matina* in Elogiis Ducum Venetorum, ubi de Johanne Superantio Duce pag.

 157 ar-

157 argute ait: *per Franciſcum Dandulum oratorem ferrea, quaſe vinxit, catena Pontificis diras religavit.* Etſi poſtea, ubi de ipſo Dandulo Superantii in Ducatu ſucceſſore agit, cognomen Canis alium in ſenſum Poetica licentia flectit, *bene*, inquiens, *Canis uſus eſt agnomine Princeps, ut hoſtes domi conſiliis allatraret, foris armorum dente laceraret.* Sed redeamus in orbitam.

Eadem de cauſa conſtituerat olim apud ſe *Verdizzottus*, hiſtoriam ſuam non ultra annum 1504 pertexere, eo quod hoc ipſo anno Venetorum res ſecundæ ſummum ſuum apicem ac fatalem terminum attigiſſent. Exinde ſane Veneti fortunam ſæpius novercam, quam benignam matrem experti ſunt ad noſtra usque tempora, quibus tandem ſpes affulſit fore, ut victricibus armis ea ſibi iterum vindicent, quæ hoc ſuperiorique ſeculo perdiderunt, regna ac provincias. Cum igitur anno 1674 ultimam manum impoſuiſſet tomo primo, univerſo labore ſuo ſe defunctum credidit. Sed, bonum factum! vertente tempore mutavit ſententiam, & *quatuor* demum *tomis* opus ſuum abſolvere ſtatuit. Horum priores duo (quorum alter ab originibus Reip. ad a. 1505, alter ab anno 1505 ad annum 1570 pertingit,) lucem publicam jam aſpexere: tertius ſub prælo gemere cœpit; quartus a fine proxime abfuit, teſte ipſo Nobiliſſimo Auctore, qui in dedicatione Tomi II ſe, quamvis ſenem ſeptuagenarium circiter, ac nec integra ſemper valetudine, nec otio fruentem, alacriter ac indefeſſe perrecturum ſpopondit.

Ut vero non delectaret tantum, ſed & prodeſſet, GESTORUM a ſe deſcriptorum cauſas e conſultationibus, decretis, orationibus tum Patrum Venetorum, tum aliorum, qui aut fœderati amicique, aut æmuli ac adverſarii illorum fuere, ſolerter indagare perſpicueque exponere paſſim ſtuduit. Nec addere veritus fuit, quid de iis ſentiat, quid ſibi probetur, quid diſpliceat. Eaque propter Viro Nobiliſſimo *prudentiſſimi Politici* titulum negaturum eſſe neminem, niſi qui opus hoc non legerit, nulli ambigimus.

OF THE SACRAMENTS IN GENERAL BY GABRIEL TOVVERSON D. D. ſive
Gabriel Tovverſon de Sacramentis in genere.

Londini, apud Rich. Chisvvell, 1686. in 8.

CUm doctiſſimo Auctori, enucleatis potioribus Catechismi Anglicani capitibus, doctrina de Sacramentis quoque tradenda eſſet;

eſſet; viſum ipſi fuit præmittere ſpeciali de Baptiſmo & S. Cœna tractationi præſens opuſculum, in quo ea, quæ Sacramenta in genere concernunt, perſpicue pariter atque erudite quatuor ſectionibus explicat.

In *prima* de Sacramenti vocabulo agit, quod a ſacris illis ritibus, quibus mentes jurantium tanquam rebus ſenſibilibus ad altiora deduci debebant, ortum fuiſſe exiſtimat, notatque primũ illi juramento fuiſſe proprium, quo milites ſua voluntate ipſi conjurabant, ſe fuga & formidinis ergo non receſſuros ex ordine; poſtmodum tamen de illo quoque uſurpatum fuiſſe, quo milites a tribunis obligabantur. Hanc ipſam vero quaſi militarem ſignificationem a veteribus Chriſtianis, quorum tempore tritiſſima erat, ad ſua ſacra translatam fuiſſe, ex Tertulliano & Arnobio, qui vitam Chriſtianorum frequentiſſime ſub militiæ ſchemate repræſentant, ſatis patere putat; ut ſcilicet in ſenſu Eccleſiaſtico ſeu Chriſtiano notaret obligationem certo ritu contractam, ad præſtandam ſummo militiæ Chriſtianæ Duci fidem, & abſtinendum ab omnibus, quæ huic militiæ contraria ſunt, vitiis. Ipſos vero ritus illos ſacros, Græcis μυστήρια, Latinis Sacramenta dictos quoque eſſe, adductis ſcriptorum idoneorum locis evincit. Hiſce ita generatim expoſitis, in ſectione *ſecunda* ad eſſentiam Sacramenti inveſtigandam accedit, illudque ex numero entium relativorum eſſe, eique nullum commodius genus, quam *ſignum* dari poſſe aſſerit; ejus vero attributa eſſentialia ſeu differentias omnium optime ex correlatis, modo relationis, & fundamento poſſe deduci. Docet enim Sacramenta reſpicere primo quidem res ſacras, hoc eſt, Dei beneficia & noſtra erga illum officia, deinde novum fœdus, & tandem corpus fœderatorum, ita tamen, ut modi hujus relationis omnino varii ſint; neque enim Sacramentum ſolum eſſe ſignum repræſentativum, ſed etiam medium & inſtrumentum, non quidem naturale, ſed morale, divinam offerendi gratiam & accipiendi; eſſe quoque pignus gratiæ divinæ & ſignum declarativum noſtri erga Deum officii, ſimulque diſcriminativum Chriſtianorum ab infidelibus, tandemque medium homines cœtui credentium in Chriſtum inſerendi. Fundamentum harum relationum omnium, partim in ſimilitudine ſignorum cum ſignatis, partim in Chriſti inſtitutione quærendum monet. Quibus omnibus ex

hypo-

hypothesibus Ecclesiæ suæ uberius expositis, hanc *Sacramenti* definitionem (licet satis accuratam dare, impossibile judicet) proponit, quod sit *externum & visibile signum a Christo institutum, quo Deus significat exhibetque gratiam suam, deque illa nos certiores reddit; nos vero nostrum declaramus erga Deum debitum, atque ad ipsius præstationem perpetuam nos obligamus.* Dum vero de relatione, quam Sacramenta ad Novum Fœdus habent, disserit, digressionem quandam instituit de significatione vocabuli διαθήκη, quod in sacro Codice nunquam testamentum denotare variis rationibus confirmat, Christumque satis incongrue mediatorem novi testamenti dici prolixe ostendit, quippe cum potius dicendus sit mediator novi fœderis, quod sanguine suo, uti in V. T. solenne erat, inter Deum atque homines pepigit. Locum vero ad Heb. IX, 16. 17, qui ipsi maxime obstare videtur, paraphrasi quadam illustrat, ut appareat nullum ibi de aliquo testamento sermonem esse. Porro alio in loco hujus secundæ partis dictum Paulinum Rom. IV, 11. examinat, num illo probari possit, sacramenta esse sigilla justitiæ, negativamque sibi defendendam assumit.

In *tertia* sectione ea, quæ insinuata brevius fuerant, fusius declarantur, variæque quæstiones de Sacramentorum necessitate, consecratione &c. decidunter: speciatim vero in casu, quo laicus sacramentum aliquod, absente ministro ordinario, administravit, illud nullo modo validum esse judicatur, nisi adsit expressus aut saltem tacitus consensus illorum, quibus Sacramentorum administratio ordinarie commissa. Tandem in *quarta* sectione descendit ad disquisitionem de Sacramentis Judæorum, quæ duplicis generis facit: *Ordinaria*, Circumcisionem & Pascha, & *Extraordinaria* eo tempore usitata, quo ordinaria cessabant: Baptismū in nube & mari, nec non manducationem mannæ & bibitionē aquæ ex petra. Fuisse vero hæc sacramenta ejusdem generalis naturæ cum sacramentis Christianorū contra secus sentientes probat, asseritque differentiam Sacramentorum novi fœderis tantum consistere in claritate repræsentandi majore, & in collatione uberiori bonorum spiritualium. Huic disputationi succedit alia de Sacramentorum numero contra Pontificios, ubi docet *Confirmationem*, licet ab Ecclesia Anglicana servetur, tanquam ritus procul dubio ab Apostolis profectus, non tamen in Sacramentorum proprie dictorum numerum referendam: *Unctionem*, de qua Jacobus Apostolus agit, pertinuisse ad sanationem miraculosam aliquamdiu in Ecclesia durantem: *Absolutionem* omnem humanam esse tantum præparatoriam ad absolutionem divinam &c. Tandem in originem erroris de Sacramentorum multitudine inquirit, quam putat fuisse abusum vocis Sacramenti, quo etiam Tertulliano *Parabolæ* appellantur, ostenditque Papistarum sententiam Petro Lombardo non esse antiquiorem.

ERRATUM.

In Actis mensis Februarii hujus anni p. 85. lin. 2. post verba, *secundum voluntatem*, inserantur hæc: *secreto ipsi revelatam.*

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anni M DC LXXXVIII.

TRAITTE'S DES BAROMETRES, THERMOMETRES & Notiométres ou Hygrométres.

sive

Tractatus de Barometris, Thermometris & Notiometris seu Hygrometris.

Amstelodami, apud Henr. Wetstein, 1688, in 12.

INter varia ingenioſi hujus ſeculi inventa egregia haud parum eminet triga machinarum, hoc in opuſculo pertractata; quarum ope videlicet aeris, corporū ſubtiliſſimi, qualitates ac temperiem, gravior leviorne, calidior an frigidior, ſiccior denique an humidior ſit, accurate dignoſcere & ad graduum usque minutias dijudicare datur. Cum vero elegans hæc materia, ex plurimorum nempe ſcriptis ſparſim addiſcenda, multos hactenus latuerit; non leves certe gratiæ debentur ingenioſiſſimo hujus libri Autori, (qui & idem compoſuiſſe fertur *Tractatum de Magnete*, quem menſe Auguſto anni præcedentis commemoravimus) dum quandam hiſtoriæ ſpeciem de inſtrumentorum talismodi inventione & fabrica contexere, eorumque ſimul uſum & commodum breviter quidem, ſed perſpicue edocere adgreſſus eſt. Placuit autem ei triplicem hanc machinam una opera deſcribere, eo quod magnam inter ſe relationem & connexionem habeant, easque junctim conſulere multum faciat ad præſagiendas aeris viciſſitudines atque mutationes. Et quo certius de hiſce ſingulis propria ſuffultus experientia diſcurrere poſſet, cuncta inſtrumentorum hic exhibitorum, uti perhibet,

genera ſibimet aut conſtruxit ipſe, aut ſane fabrefieri ab aliis fecit: quæ etiam magno ſatis numero ad pleniorem intellectum nitidis ubique figuris depicta inſeruntur. Initium hiſtoriæ ſuæ facit Autor a Barometro, ubi in anteceſſum, ad præparandum melius lectorem, latius de natura & qualitatibus aeris, noſtram tellurem ambientis, diſſerit, quomodo nempe corpus ſit, & proinde in ſpatio, quod ipſe occupat, aliis corporibus locus non concedatur, niſi eo prius inde expulſo; quomodo ſumme & condenſari, & dilatari valeat, & hoc quidem per vim elaſticam, qua pollet, cujusque tam tenax eſſe fertur, ut ſclopetum pneumaticum, utut ultra annum aere intus compreſſo oneratum manſerit, nil quicquam tamen facta exploſione de effectu aut impetu ſuo perdat; quamvis aliis elateribus familiare ſit, ut ſenſim virtutem hanc exuant ſuam, ſi aliquandiu tenſi aut compreſſi relinquantur. Porro de altitudine atmoſphæræ diſcurrit, quam a nonnullis ad 45, ab aliis 20 aut 15 leucas ultra extimam terræ ſuperficiem computari ait: unde neceſſe ſit, cum aer, tanquam corpus, gravitate non deſtituatur, ut partes infimæ ac terræ proximæ a ſummis haut parum premantur & conſtringantur, perinde ac in lanæ cumulo flocci imo loco jacentes in arctius multo ſpatium premendo compinguntur, quam qui in cumuli ſummitate exiſtunt: quam quidem aeris infimi compreſſionem tantam eſſe quidam aſſerant, ut idem, ſi in libertate naturali exiſteret, (uti aer qui in ſumma atmoſphæræ parte eſt,) ſpatium quater millies majus occupaturus foret, ac nunc habet, dum dilatare ſe ac vim elaſticam libere exerere ab incumbente reliquæ atmoſphæræ pondere impeditur. Latius, uti dictum, hæc & ſimilia principia præſtruit noſter; quæ cum eruditis hodie paſſim nota ſint, pluribus hic allegare non erit opus. Propius hinc ad materiam accedens ordine exponit famoſi illius experimenti Torricelliani, (quod nempe primam barometris excogitandis anſam præbuit) originem & incrementa, cujus ope tandem gravitas iſta & preſſio atmoſphæræ accuratius determinari cœpit, dum pluribus experimentis comprobatum eſt, columnam *argenti vivi* 27 circiter *pollicum*, aut columnam *aquæ*, 32 præterpropter *pedum* altitudine, æquiponderare columnæ imaginariæ *aeris* ejusdē craſſitiei, ſi ſecundum altitudinē univerſæ atmoſphæræ erecta concipiatur. Unde quoq; ratio perſpecta eſt, quare per

per antlias ſuctorias aqua altius extolli nequeat, quam ad 32 circiter pedes, (id quod ab hortulano quodam Italo jam olim obſervatum, & Galilæo, Magni Hetruriæ Ducis Mathematico, ac Torricellii hoc in munere anteceſſori, communicatum fuerat;) dum nempe aeris incumbentis preſſio aquam ultra iſtum terminum elevare nequit. Succedente dein tempore animadverſum eſt, facto iſto experimento Torricelliano, machinaq; in eo ſtatu ac ſitu aliquandiu relicta, mercurium in canali vitreo non conſtanter in eadem, nempe 27 pollicum, altitudine ſuſpenſum manere, ſed nonnunquam altius ſcandere, quandoque magis deſcendere, indeque judicatum, aeris gravitatem non ſemper eandem eſſe, ſed pro tempeſtatum ratione variare. Ad hujus ergo rei exactiorem computationem ineundam tubi ejusmodi vitrei in gradus diſtingui, adeoque barometra conſtrui cœperunt: quod ipſum quot modis factum fuerit, & quomodo ea ſuccedente tempore in compendioſam magis atque commodam formam ſint redacta, diſtincte exponit noſter. Cum vero id maxime incommodi, hiſce in inſtrumentis, curioſis diſpliceret, quod variatio ſcandentis in tubo aut deſcendentis mercurii non multum ultra *duos pollices* ſe extenderet, & ſic ob exiguam nimis intervalli hujus latitudinem minimæ aeris mutationes commode adverti haud poſſent, de ampliatione hujus ſpatii laboratum eſt. Et ſufficere quidem hunc in finem potuiſſet, ſi loco mercurii aqua adhibita tuboque incluſa fuiſſet, dum variatio talismodi barometri 28 circiter pollices emetitur: at cum ſic ad minimum tubus 40 pedes altus requiratur, (ob nimiam aquæ levitatem præ argento vivo) incommoda nimis hæcce methodus deprehenſa eſt. Compendioſiorem itaque viam ab Hugenio excogitatam circa annum 1672 narrat Autor, conſtructis baroſcopiis ex mercurio & aqua ſimul conſtantibus, (addita modo aquæ ad præcavendam congelationem ſexta parte aquæ fortis) quæ mole quidem non ita magna eſſent, aeris tamen mutationes ſat latis gradibus diſtinguerent; quorum fabrica ſollicite ab eodem deſcribitur ac delineatur. Cæterum exiſtimat noſter, barometra talia commode adhiberi poſſe indagandæ celſiſſimorum montium altitudini, maxime ſi eorum ſitus alium menſurandi modum non admitteret: cum enim certum ſit, altitudinem mercurii in baroſcopio, in ſummitate montis minorem

rem multo deprehendi, quam erat circa montis radicem, ubi nempe majori atmosphæræ pondere urgebatur; differentia tali utroque in loco studiose annotata, facile computationē altitudinis iniri posse, modo semel proportio nota sit variantis in tubo elevationis; quam quidem ad singulos 50 pedes dimidium fere pollicem in barometro tali Hugeniano efficere adserit. Ultimo loco ostendit, quomodo barometra inservire valeant ad præsagiendas tempestatum alterationes, variasque hanc in rem regulas experientia confirmatas adducit, nec physicas earum rationes allegare omittit. Denique in vicem corollarii narrat, quid Piccartus, Academiæ Regiæ scientiarum in Gallia socius, anno 1675 in suo barometro insoliti observarit: nimirum cum ille hanc machinam tempore perobscuro de uno loco in alium transportaret, mercurium ita in tubo vitreo commotum certis intervallis ex se coruscationes emisisse, phosphori Anglicani micationibus non absimiles, idque sæpius quidem repetito experimento pariter fecisse: ast re postmodum in aliorum barometris tentata, non nisi unicum repertum esse, in quo idem phænomenon semet exhiberet. Curiosos proinde invitat noster ad faciendam ulterius hujus rei ejusque causæ physicæ investigationem. Et hactenus quidem de Barometris.

Progreditur secundo loco ad Thermometra, quorum inventionem tribuit rustico cuidam ex Hollandia septentrionali oriundo, nomine *Drebbel*; qui ipse dein ob ingenii sagacitatem ad Jacobum Angliæ Regem vocatus; microscopii etiam usum excogitarit. Porro hic quoque certa principia physica præsupponit, operationibus thermometricis clarius exponendis inservientia, v. g. quod aer natura frigidus sit, nec calorem habeat, nisi quo a radiis solaribus imbuatur; quod calor corpora dilatare, frigus contrahere in arctius soleat; id quod in corporibus perquam duris fieri quoque adstruit, & in specie communicat experimentum in marmoris frusto, frigori expositio factum, quo compertum fuerit, id a gelu in molem notabiliter minorem, ac prius fuerat, fuisse contractum. Hinc ad recensendas varias thermometrorum species accedit, & primo quidem de iis agit, ubi aer sphærulæ tubulo vitreo impositæ inclusus frigore constrictus liquorem e vase subjecto altius adsugit, & rursus calore dilatatus eundem deorsum pellit: in quibus non absre id incommodi

modi annotat, quod, (cum id commune habeant cum barometris, quod infima tubuli pars patula sit, & sic aeris quoque externi pressioni ex parte subjaceant,) si atmosphæra solito gravior sit, liquor in iis altius scandere soleat, utut frigus ipsum auctum non sit, ut adeo spectator fallatur, ex isto liquoris ascensu aerem magis gelidum factum esse sibi persuadens. Exactiora proinde ea judicat, in quibus non aer, sed spiritus vini inclusus tubulo, hermetice sigillato, semet contrahit aut dilatat, & sic ascendendo vel delabendo gradus caloris indicat: id tamen monet, ut loco bullæ sphæricæ, in quam fere tubulus horum desinit, fiat receptaculum figuræ orbicularis complanatæ, qualem calculi in aleæ lusu habere solent; ita enim calorem aut frigus ad meditullium inclusi spiritus vini facilius penetrare posse. Inter alia talismodi thermometrorum commoda & hoc refert, quod ope eorum error ille vulgaris refutari queat, quo creditur aer in cellis subterraneis æstate frigere, hyeme calere: thermoscopio enim tali istic utroque tempore adhibito appariturum, tantum non eandem ibi semper manere aeris temperiem, præsertim si cella profundior & ab aeris externi accessu liberior sit. Plura dein hujus instrumenti genera construere, eaque in varias figuras componere docet; nec silentio præterit, quomodo liquor iis infundendus præparari, gradusque in illis commode signari ac distingui queant. Unicam modo e pluribus thermometri speciem adhuc afferre placet, constantem e cylindro crystallino 4 aut 5 pollices longo, & sesquipollicem in diametro habente: hunc jubet spiritu vini, non tamen ad summum usque, impleri, immissis simul 10 aut 12 bullis vitreis aere plenis, atque sic ad aeris externi exclusionem hermetice sigillari: ita futurum, ut aucto calore bullarum in summo natantium una post alteram ad fundum decidat, imminuto vero rursus emergat; ut sic bullarum delabentium aut emergentium numerus ad gradus caloris designandos inserviat. Speciatim machinulam hanc adhibere jubet ad indagandum caloris febrilis augmentum vel decrementum in ægrotis, quem in finem majoris commoditatis ergo eam & in forma repentis testudinis figurari posse docet, quo sic, ægroti brachio tantum alligata, nullam ei molestiam creet.

Ultimo loco ad Hygrometra exponenda progressum facit,

humiditatem ſiccitatemve atmoſphæræ prodentia. Hæc qua ratione ex variis materiis, humiditatem aeris facile imbibentibus conſtrui valeant, ordine enarrat; puta ex funе vulgari lineo vel cannabino, non tamen nimis arcte contorto; e chordis, quæ ex animalium inteſtinis fiunt; e longiori chartæ aut pergamenæ ſegmento; e pellibus animalium; e lignis laxiores poros habentibus, aſſeribus præſertim abietinis; e floccis ſerici vel goſſypii; e ſpongiis marinis; denique ex ipſis frumenti, avenæ præſertim, granis barbulas ſeu ariſtas longiores habentibus: quæ ſingula hic ſpeciatim exponere non fuit opus, cum non in aliis curioſorum ſcriptis tantum extent, ſed & in præſenti tractatu commodius legi poſſint, utpote ubi figuræ adjectæ nullum obſcuritati locum relinquunt. Certe non ſine voluptate inde perſpicient harum rerum curioſi, quam parvo impendio inſtrumenta talia præparare liceat; tametſi ea quandoq; ab impoſtoribus pro magno ſatis pretio ignaris obtrudantur. Circa finem Autor præ aliis artificibus, inſtrumenta hic deſcripta parare ſolitis, commendat *Hubinum*, Pariſiis in platea S. Martini degentem; quem vel ideo hac in parte excellere ait, quia fundamenta & rationes phyſicas harum operationum, (quod aliis fere deeſt) ex aſſe cognita habeat atque perſpecta.

Cæterum celare hic non poſſumus, machinam hygrometricam a *Teubero* inventam, & in *Actis hiſce anni præcedentis M. Febr. pag. 76* communicatam, hoc etiam in Tractatu *pag. 113 ſeqq.* deſcriptam reperiri; imperfecte tamen: dum non ſolum figura adjecta non omnia in contextu allegata continet, ſed & melior inventi hujus pars, *motus* nempe *ſpiralis in Indice*, reticetur.

Novum interea Hygroſcopii genus, expeditiori adhuc operatione ſe commendans, idem Vir Clariſſimus nobis exhibuit; quod, una cum alia non abſimili machina, ut hoc loco inſereremus, materiæ affinitas expoſcere viſa fuit.

ACUS HYGROMETRA SEU SICCITATIS & Humoris in aere Index, M. Gothofredi Teuberi Cizenſis.

Multi

TAB. V. *ad A: 1688. pag. 180 ſqq.*

Fig: I.




Fig: II.




Fig: III.





Fig: IV.




humid
tione
ſtrui v
nabin
maliu
to; e
ribus
marin
bulas
expon
tum e
pote u
te nor
parvo
quan
tur.
ſcript
tini d
dame
deeſt

cam
pag.
ptam
non
hujus

ratio
quod
mate

AC



Multi ſane laboris atque diligentis obſervationis, imo non exiguæ difficultatis res eſt, in Hygroſcopio ex chorda ſeu funiculo conſtante, eandem invenire chordæ longitudinem, quæ inter extremos ſiccitatis & humiditatis aeris gradus, unicam præciſe admittat revolutionem; in longitudine enim determinata totum hoc conſiſtit artificium, & absq; illa luditur opus. Huic mederi hac ratione annixi ſumus: Suſpendimus in tubo AB undique perforato, quo liber aeri pateat tranſitus, (loco tubi, inprimis ab orbiculo RS usque ad A, ſufficiunt etiam duo fulera) ex uneo C verticilli D, ſuperiori parti tubi A inſerti, chordam teſtudinis ſubtiliorem CE (citra ullum reſpectum ad longitudinem ejus & numerum revolutionum) una extremitate C firmam; alteri ſeu inferiori, extra tubum AB prominenti E, appendimus orbiculum plumbeum FEG verſatilem, pondere ſuo longitudini & craſſitiei chordæ bene proportionatum, ipſique ſuperimpoſuimus acum HIK, brachiis quidem inæqualibus, longiori nempe HI, & breviori IK gaudentem, aſt bene libratam & circa polos I in fulcimento IF mobilem. Tubus AB circa finem B habeat cochleam eburneam, ſtriis admodum profundis BE inſtructam, neceſſe eſt; huic ita applicavimus acum HIK, ut gyrante chorda una cum appenſo orbiculo plumbeo FEG, cui firmiter innititur ſuſtentaculũ acus IF, brevius brachium IK ſemper maneat in ſtriis cochleæ K, leviſſimoq; tactu pro ratione motus vel attollatur vel deprimatur, ſimulq; longiori brachio HI deſcribat lineas ſpirales, quæ in charta aut vitro, totam machinam ambienti LMNO & mediantibus columnis PM, QO ad orbiculum RS tubo AB contiguum affixo, notatæ inque gradus diviſæ vice tabulæ funguntur, ubi ſingulos mutationis aeris gradus, ab acu HK tanquam indice notatos, obſervare licet. Ad tegendum artificium orbiculus FEG & cochlea BE induantur aut globo BFTG, aut alia quadam figura bene librata & facile circa tubum AB absque ejus tactu, mobili, aut etiam forma aviculæ chartaceæ volantis, e cujus roſtro acus cuſpis H gradus monſtrans, libere promineat. Ornamenti loco tubo AB conum concavum itidem perforatum VWX, inque orbem RS cochleis ad R & S firmatum impoſuimus.

Tab. V.

Rebus ita paratis & decenter adaptatis, priusquam Hygroſcopium vel ſuſpendatur vel perpendiculariter ponatur, in loco aliquo

aliquo vel die bene temperato, ope verticilli D dirigenda acus cuſpis H in lineam punctis notatam YZ, & quidem in punctum interſectionis Z zyphra ſeu o ſignatum, ubi hæc linea YZ ſpiralem interſecat. Et ſic externe amplius immotum, propriæ ac internæ tantum motioni, a qualitate aeris provenienti, relinquatur Hygroſcopium. Linea YZ tabulam LMNO, in duas æquales dividit partes, notatque quando in ea cuſpis acus H circa punctum Z verſatur, aerem optime temperatum; humidum, inferiores; ſiccum vero, ſuperiores gradus denotant. Hinc a puncto Z utrinque & ſiccitatis & humiditatis gradus numerantur.

Chorda CE in noſtro Hygrometro ſesqui pedem longa, quinque circiter admittit revolutiones, ejusque motus ſeu ſenſus adeo ſubtilis eſt, ut leviſſimo halitu ſtatim retorqueatur, imo ſimulac muſæum noſtrum (e cujus laqueari illud ſuſpendimus, ſub Fig. II.) intramus, cumque aliquo collocutionibus, etiam breviſſimis, vacamus, ſæpiſſime per aliquot retrocedere gradus, nobis compertum eſt. Fig. I. repræſentat Hygroſcopium a vertice usque ad calcem majoris evidentiæ cauſa, bifariam ſectum; Fig. II. vero totum, prouti ſuſpenſum illud tenemus.

Reſtat adhuc alia Hygroſcopii fabrica, ubi duæ iconculæ, quarum altera humiditatis, altera ſiccitatis nomen ſubit, aſcendendo atq; deſcendendo, & incrementum & decrementū utriusq; qualitatis aeris apprime & quidem ſimul indicant, quam in aliud reſervamus tempus. Interim, cum apud Lichtſcheidium, Amicum noſtrum certiſſimum, conſpexerimus genus quoddam Hygrometri, & ſtructura facili & effectu æſtimabili, id hic delineatum exhibere cum ipſius deſcriptione non incommodum duximus.

NOVA ACCESSIO AD HYGROMETRON ex chorda confici ſolitum, auctore Ferdinando Helfrico Lichtſcheidio, Würmla-Auſtriaco.

CUm diu ante publicatum Hygrometron ſuum, (quod in Actis A. 1687 menſis Febr. conſpicitur) amicus integerrimus *Teuberus* meus, ejus ſtructuram mihi monſtraſſet, ego feliciſſimo invento applaudens

plaudens exinde cogitare cœpi de aliquali augmento illorum Hygrometrorum, quæ ex chordis confici ſolent, veteri inſtrumento novam nec inutilem acceſſionem applicaturus; ſimplicitate enim ſe commendant oculis, ſed plerumque is defectus adhæret iis, ut unica revolutione abſolvi neceſſe habeant, nam pluralitas gyrorum confuſionem parit, cum poſterior a priore diſtingui nequeat; hinc & inventum novum hygroſcopicum *Guilielmi Molineux*, in Actorum 1686 Auguſto conſpicuum, unicam gyrationem præciſe requirit (pag. 390) pluribus confuſioni occaſionem præbiturum. Hæc eadem lex regnat in conficiendis, apud neſcios tantam admirationem excitantibus virunculis hygrometricis cylindro vitreo incluſis, digitoque puncta circumnotata monſtrantibus, qui ſi gyrum plus una vice abſolvant, perit & fallit artificium. Si vero uno ſaltem circulo abſolvendo aptetur chorda, brevis ea nimis evadit, & quod maximum, leves aeris mutationes non adeo conſpicuæ fiunt. Utrique defectui hygrometron hic expoſitum forſan medetur, cum & hactenus habita experimenta primam ſpem firmarint. Sumſi chordam tenuem, ex iis quæ longo muſicorum uſu, oleo inductam pinguedinem expulerant, longitudinis cujuscunque, vel ultra pedem, nihil enim intereſt. Ponderis loco appendi orbem ex ſtanno fuſum (ob puritatem & ſplendorem, quibus præ plumbo gaudet) ejus figuræ, ut ſuperficiem circularem *a b c* (quam horizontalem ob ſitum nomino) tranſcenderet cylindrus, *d e*, circiter digitum altus, ſed craſſitiei exiguæ, e. g. vix dimidii digiti. Infra horizontalem ſuperficiem *a b c*, circulus perpendicularis *a f*, *c g*, (etiam ob ſitum ſic dictus) deſcendat, cujus circumferentiam totam in partes præciſe centum divido. Jam in medio cylindri ſeu centro orbis *e* affigatur firmiter chorda *e h*, ut ea gyrata ſimul appenſus vertatur orbis, quem hinc inde cera interius in circulo perpendiculari *a f*, *c g*, appoſita librari decet, ne una pars alteri præponderet. Jam in ciſtulam *i k l m* longo collo *o p* præditam, ne fundum attingat orbis, chorda ſuperius annexa, immiſi; foraminibus tamen variis pertuſum collum, aerem permeare libere ſinit. Hoc ab anteriore parte crena *q r* inſtructum eſt, ut in ea libere aſcendere, deſcendereque poſſit pondus *s*, exiguæ gravitatis, indicans multitudinem gyrorum. Nam circa cylindrum orbis *d e*, (in cujus ſummitate proe-

minentia quædam relinquenda est) aliquoties circumponitur capillus muliebris longissimus, aut duo connexi, ita ut una extremitas per operculi foramen, *t*, in quod vel trochlea exigua, vel simplex filum orichalceum aut chalybeum constituatur, exeat ad summitatem colli *p*, ubi trochleæ parvæ aut filo incumbens a pondere exiguo *s*, in crena tendatur magis, quam multum trahatur, quod item ex opposita parte cum altera extremitate capilli eodem modo fieri debet, ne scilicet ex una parte, exiguum licet pondus orbem vertat, ultra situm, ex aeris solius qualitate oriturum, quod altero æquali contrapondio *u*, cavetur. Jam ex cylindri ante notata diametro, ejus circumferentia in lineam rectamper mechanismos notos, aut arithmeticam proportionem 7 ad 22 vertatur, & ea longitudo *qx*, (quam lineam circumvolutionis appellare liceat) ab infima colli parte, qua operculo immittitur, inchoetur, totiesque in lateribus crenæ *qr*, (ascripto ubivis competente numero, 1, 2, 3, &c. si principium primæ, quæ in ipsa commissura est O seu zifra designaverit) notetur, quoties illius altitudo permittit, constituaturque hoc modo ut in conspectu sit principium graduum orbis, & initium aliquod lineæ circumvolutionis (circiter medium colli, ut & ascensui & descensui spatium suppetat) ita fiet, ut versa aeris impulsu chorda, vertatur orbis simul, secumque aliquoties (sed non confuse, ne evolutio impediatur) circumvolutum capillum volvat, qui sibi appensum pondus *s* elevabit vel deprimet, pro ratione aeris, & quidem, si orbis, cujus primus gradus per indicem in apertura fixum *y*, monstratur, & pondus quod initium lineæ circumvolutionis monstrat (qui situs in ipsa constructione facile fieri potest) ille vertatur hoc elevetur, absolvat orbis 50 gradus, pondus dimidiam quoque lineam circumvolutionis absolvit, sin orbis 100 gradus, adeoque totum se verterit, pondus quoque totam ejusmodi lineam absolvit. Sic secundum tertiumque &c. verso orbe, pondus quoq; duas tresq; &c. lineas in collo signatas peragrabit; & cum una ejusmodi linea æquivaleat 100 gradibus in orbe signatis, facili numero colliguntur gradus, cum saltem quot lineas ascenderit pondus in collo videndum sit, intermedios autem gradus index in apertura præcise monstret, ut itaque hoc modo non necesse sit elevationem ponderis seorsim, seorsimque gradus orbis pronunciare, sed

sed simul, e. g. pondere ultra lineam 4 signatam elevato, indiceque 30 gradum monstrante, statim 430 gradum nunc monstrari, determinare liceat.

Fig. III repræsentat totũ Hygrometron ab anteriore parte visum. Fig. IV monstrat interiora transversim visa. TAB. V. Fig. 3. & 4.

SELECTA HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

Capita & in loca ejusdem insignia dissertationes historicæ, chronologicæ, criticæ, dogmaticæ: Autore F. Natali Alexandro Ord. FF. Prædic. in Sacra Facultate Parisiensi Doctore Theologo &c. Seculi 15 & 16 pars 3 & 4.

Parisiis, apud Anton. DeZallier in Vico San-Jacobæo ad coronam auream, A. 1686, in 8.

TERTIUM hoc 15 & 16 seculi volumen sex dissertationibus absolvitur. Harum prima eaque respectu præcedentium, de quibus mense Februario actum est, ordine quinta, *mentem Constantiensis concilii circa potestatem ecclesiæ in temporalia Regum* explicat. Cum enim *Bellarminus*, *Perronius*, & *anonymus* libertatum ecclesiæ Gallicanæ impugnator, potestatem ecclesiæ & Pontificum R. in Regum temporalia ex actis & decretis Constantiensis concilii probare conentur, Autor noster respondet, adversus Reges aliosque supremos Principes in tanti momenti controversia, quæ ad ipsorum majestatem spectaverit, quæstione non discussa, Principibus non auditis, nec rogatis solenni ritu Patrum suffragiis, nihil decerni potuisse; decreta autem ab Antagonistis adducta divisim intelligenda esse, & censuras quidē etiam ad ipsos Reges pertinere, si concilii decretis non paruerint, privationes autem dignitatum, officiorum ac bonorum temporalium, Imperatore ac Regibus per oratores suos consentientibus a concilio decretas, non ipsos Reges, nisi jure feudi ecclesiæ obnoxii sint, sed Principes tantum Feudatarios spectare. Quam sententiam decem argumentis comprobat.

Sexta dissertatio opposita est F. *Francisco d'Enghien* Theologiæ in Academia Lovanienſi Licentiato. Cum enim Autor noster in historia sec. 11 & 12 dissert. 2, Gregorium VII primum inter Pontifices

fices Romanos potestatem Reges exautorandi, contra Patrum doctrinam ipsumque Dei verbum sibi arrogasse docuisset, prædictus Licentiatus Autoris nostri in Dominicano ordine confrater peculiari libello, quem in Actis nostris Cal. Decemb. 1685 recensuimus, autoritatem Sedis Apostolicæ factumque Gregorii defendendum in se suscepit. Quam lucubrationem, quippe plane elumbem, nulla responsione dignaturum se fuisse Alexander noster ait, nisi adversarius nomen suum gravissimis calumniis proscidisset, & libelli istius approbatores iisdem calumniis suffragantes & petulanter sibi insultantes offendisset. Ita autem in hoc libello confutando versatur, ut Autorem Grammaticis & Oratoribus ob sermonis vitia & insulsas phrases, Dialecticis & Theologis scholasticis ob inepta ratiocinia, Theologis ob pseudhermenias Scripturæ, Patrumque ac traditionum supinam ignorantiam, Historicis ob rerum gestarum imperitiam, Criticis ob fœtus adulterinos Cyrillo Alexandrino, Gregorio M. aliisque suppositos, Theologiæ Moralis Magistris ob propositiones seditiosas & ad Regum parricidia compositas, ac denique Juris Canonici Interpretibus ob canones perperam allegatos, ac in alienum sensum detortos, castigandum ac deridendum propinet, eademque opera *Franciscum Jansens Elingam* & cæteros Enghinianæ lucubrationis panegyristas passim perstringat, tandemque decem calumnias diluat, quibus se & ab ipso libelli autore & ab ejusdem censoribus gravatum conqueritur. Inter istas calumnias eam primo loco ponit tanquam atrocissimam, qua Pontificiæ majestatis læsæ reus insimulatus fuit. Quam ut extergat, de sua in Apostolicam, ut vocat, Sedem reverentia solenniter protestatur, seque pro ejusdem & Romani Pontificis primatu sanguinem suum profundere paratum, Deo teste appellato profitetur. Ab eadem culpa ecclesiam Gallicanam, Parisiensem Academiam & præsentem Galliæ Regem immunem præstare satagit, quo per edictorum strepitum forinsecus insonante, gratia divina in hæreticorum innumeris cordibus operetur, adeo ut centum millia e Calviniana superstitione ad ecclesiæ Romanæ fidem intra paucos menses vel in una provincia emerserint. Alterum calumniarum in se congestarum caput esse dicit, quod F. d^s Enghien in præfatione ad lectorem, ipsum traducat, quasi hæreticis adjumento fuerit. Respondet autem, eos potius

potius hæreticis adjumento esse, qui asserta Pontificis R. in temporalia Regum potestate, Romani Pontificis primatum Principibus a Romanæ ecclesiæ communione alienis odiosum reddant, & regna jam ad messem albescentia & a Romana fide minus quam alia abhorrentia, invidiosis illis erroribus a Romana ecclesia absterreant. Cæteras, calumnias earumque refutationes sigillatim recensere instituti nostri ratio minus patitur.

Septima dissertatio agit *de literis salvi conductus Johanni Hussso & Hieronymo Pragensi* datis. Ac primum quidem Autor probare nititur, concilium Constantiense minime docuisse, quod fidem hæreticis datam frangere liceat. Nam in decreto sess. 17 hoc tantum statui, quod secularis potestas ecclesiasticam impedire non possit, quin suo officio fungatur & in hæreticos inquirat, & quod Princeps, qui hæretico securitatem promisit, cum fecerit quantum in ipso est, nullo amplius promissionis vinculo teneatur; neutra autem decreti parte fidem non esse servandam hæretico doceri. Negat deinde fidem Hussо & Hieronymo datam a concilio violatam fuisse. Nullam quippe fidem publicam Johanni Hussо a concilio datam fuisse, Sigismundum autem Imperatorem fidem publicam Johanni Hussо datam strictissime servasse asserit, cum salvus ille conductus tantum ad securitatem & celeritatem itineris spectaverit, & nemo ipsi in itinere vim intulerit, neque Constantiæ quisquam ipsi molestiam creaverit, donec fuga se concilii judicio subducere conatus fuisset. Porro salvum conductum contra vim injustam salva semper justitia tribui, adductis *Premii, Mynsingeri & Speckhani* JCtorum verbis comprobat; Hussо autem itidemque Hieronymo, cui cum clausula salvæ justitiæ fides publica a concilio data fuerit, injustam vim illatam esse negat. Denique neutrum de fide violata conquestum in concilio fuisse pronunciat. Cum vero non nesciret, Hussum in epistola 34 e carcere ad Bohemos data, de fracta salvi conductus fide Imperatorem accusare, reo adversus judicem, & hæretico adversus catholicum Imperatorem non credendum esse respondet. Ad objectionem, quod Sigismundus in literis liberi commeatus, Johanni Hussо non solum Constantiam adeundi, sed etiam libere ibi commorandi & in Bohemiam redeundi potestatem indulserit, cum *Cochlæo* regerit, quod Imperator Deo, fide,

juſtitia & concilio haud major fuerit. Ad expoſtulationes nobilium Bohemorum de fide publica in Huſſo violata, itidem cum *Cochlæo* reponit, id libertati magis militari, quam juſtitiæ aut diſciplinæ eccleſiaſticæ tribuendum eſſe, cum Huſſi fugam & pertinaciam ignoraverint aut diſſimulaverint: ſcilicet nodos illos cum aliter ſolvere non poſſet Alexander noſter, Cochlæi gladio ſecandos exiſtimavit. Tandem Synodum Baſileenſem in ſalvo conductu Bohemis dato, & Tridentinam in eo, quem confeſſionis Auguſtanæ ſociis conceſſit, nequaquam innuere cenſet, quod fides publica a Conſtantienſi concilio violata fuerit, verum tantum hæreticis ad eccleſiæ gremium invitandis ampliorem & efficaciorem ſecuritatem indulgere voluiſſe.

In octava diſſertatione Autor ad *Concilium Senenſe*, quod œcumenicum eſſe pronunciat, & *Baſileenſe* progreditur; ubi prolixe probat, decreta de conciliorum generalium ſupra Papam autoritate in Conſtantienſi concilio ſeſſ. 4 & 5 ſancita, & in Baſileenſi concilio aliquoties repetita, approbata & confirmata, ipſoque facto declarata & uſurpata, non ſolum ad ſchismatis caſum reſtringenda, ſed æternæ veritatis eſſe, nec ſolum ad dubios, verum etiam ad legitimos Pontifices ſpectare, qualis Baſileenſis concilii tempore fuit Eugenius IV, quem ipſum hæc decreta autoritate ſua confirmaſſe demonſtrat. Neque tamen ex iſta confirmatione ſequi ſtatuit, Papam concilio ſuperiorem eſſe, cum concilium œcumenicum non a Pontificis confirmatione, ſed a Chriſto & Spiritu Sancto immediate autoritatem ſuam habeat. Cumque nonnulli curiæ Romanæ patroni, ob hæc ipſa decreta, Baſileenſem ſynodum ex generalium conciliorum numero expungere contendant, unde in Romana conciliorum generalium editione Baſileenſe concilium plane ſuppreſſum fuit, argumenta illorum nullius eſſe ponderis oſtendit. Ac primum quidem rationes, quas ex ſchedis *Holſtenii Labbeus* publicavit, ad examen vocat, poſtea vero etiam ad Cardinales *Johannem de Turrecremata*, quem paſſim in hac diſſertatione perſtringit, *Cajetanum*, *Jacobatium* & *Bellarminum* accedit, qui hæc decreta Conſtantienſis & Baſileenſis concilii, Florentini & Lateranenſis concilii decretis antiquata fuiſſe ſcribunt. His reſpondet, Florentinam fidei definitionem aliter ac vulgo legitur, legendam, eamque ſynodum

dum Conſtantienſis & Baſileenſis concilii decreta minime convellere voluiſſe; conſtitutionem Eugenii IV, qua Patres Baſileenſes tam furioſe Chriſtianæ unionis bonum impugnaſſe aſſerit, ut ad illud Baſileenſe latrocinium totius orbis dæmonia confluxiſſe viderentur, ad concilium Florentinum pertinere negat, & *Horatium Juſtinianum*, qui conſtitutionem illam Eugenii in hiſtoria concilii Florentini edidit & notis illuſtravit, contra Nicolai V conſtitutionem peccaſſe aſſerit, cum in lucem produxerit, quæ Nicolaus V ex Eugenii regeſto deleri ac pro infectis haberi juſſerat. Ad Lateranenſis ſub Leone X concilii decretum regerit, concilium illud eccleſiam Gallicanam, Pariſienſem academiam, virosque ex aliis nationibus doctiſſimos pro œcumenico non agnoſcere, quod ipſius *Bellarmini* aliorumque Romanis alioqui partibus addictorum teſtimoniis confirmat, ut reliquas reſponſiones ejus omittamus. Reſpondet quoque *Du Vallio*, qui in præfatione libri de autoritate Papæ & concilii, ſynodum Baſileenſem eo nomine reprehendit, quod autoritatem plenarias indulgentias concedendi ſibi arrogaverit. Non magis juſte eundem *Du Vallium* & *Spondanum* Baſileenſe concilium accuſare judicat, quod indulgentias venum expoſuerit, & ſordidum earum abuſum introduxerit. Cæterum agnoſcit, concilium Baſileenſe a 25 ſeſſione in partes ſcindi cœpiſſe, ab eoque tempore eccleſiam univerſalem non ſufficienter repræſentaſſe, ideoque acta concilii Baſileenſis, ex quo Ferrariam translatum fuit, univerſalis eccleſiæ aſſenſu probata non fuiſſe. Ex quo capite etiam depoſitionem Eugenii, juſtane an injuſta fuerit, merito a majori eccleſiæ parte in dubium vocari aſſerit; deceptum autem exiſtimat Card. de *Turrecremata*, cum Ludovicum Card. Arelatenſem, qui a Clemente VII in ſanctorum numerum relatus eſt, Eugenio ob priſtinas inimicitias infenſum fuiſſe ſcribit, & forte non veriora eſſe putat, quæ de privatis reliquorum Eugenium deponentium affectibus jactavit. Dogma de immaculata conceptione Mariæ, quod ſeſſione 36 ut pium & cultui eccleſiaſtico conſonum definitum eſt, in dogma fidei non evaſiſſe, Autor noſter ex concilio Tridentino variorumque Pontificum diplomatibus evincit. Et quamvis aliquando occaſione contentionis, quæ inter *Maldonatum* aliosque Theologos exorta fuerat, ſeniores Facultatis Pariſienſis Doctores declaraverint, catholica

tholica fide tenendum, beatam Virginem non conceptam esse in peccato originali, idque & constitutionem concilii Basileensis & formulam Sacramenti, quod a Facultate exigitur, declarare, decretum tamen illud tanquam totius ordinis Theologici, Facultatem Theologicam Parisiensem non agnoscere, & in Baccalaureorum suorum thesibus hanc propositionem: *non est dogma fidei, B. Virginem fuisse absque peccato originali conceptam*, sæpe approbare Autor noster, quippe ex Dominicanorum familia observat. Enumeratis omnium sessionum actis, sententiam Basileensis concilii de autoritate conciliorum supra Papam denuo propugnat, asserens, Gallicanam ecclesiam, etsi in Eugenii obedientia manserit, ejusque depositionem non approbaverit, dogma tamen illud & illis ipsis temporibus ut antea, & deinceps constantissime propugnasse. Id ut probet, Parisiensium aliorumque Theologorum, dogma illud asserentium, magnum numerum adducit, quos inter *Hadrianus Galtenus* Monachus Benedictinus, qui summam tractatus sui de primatu Petri & ecclesiæ hoc distichо complectitur:

Petrus in æde sacra caput est, & quandoque membrum:
Paret, ut est membrum; præcipit, ut caput est.

Longum esset reliquos omnes commemorare, quibus hanc sententiam non obfuisse scribit, quo minus plurimi eorum insignibus beneficiis a Pontificibus ornarentur, & in ipsum Cardinalium collegium cooptarentur. Eandem sententiam tenuisse Academiam Viennensem, Erfordiensem, Colonienſem & Cracovienſem, ex earundem responsis & rescriptis probat, quæ ex Codice MS. S. Victoris producit. His subjungit & Lovanienſem Academiam, in qua doctrinam illam hauserit *Hadrianus VI*, qui non obstante hac sententia in commentar. ad IV sententiarum librum publice asserta, quod Pontifex in iis, quæ tangunt fidem, errare possit, hæresin per suam determinationem aut decretalem asserendo, Cardinalitiam infulam a Leone X obtinuerit, & post Leonis obitum ad ipsum apicem Pontificiæ dignitatis evectus fuerit; neque eam sententiam obicem fuisse addit, quo minus opus ejus a Romanis Theologis laudaretur, cum illud Pontifex factus Romanis typis edi curaret, ipso Pontificio stemmate ad finem libri excuso, ut omnibus pateret, non Hadriani tantum Florentii Theologi Lovanienſis & Academiæ illius

lius Cancellarii, sed & Hadriani VI Rom. Pontificis doctrinam hoc opere contineri. Eandem propugnari & explicari testatur a *Dionysio Carthusiano*, *Alphonso Tostato*, cujus opera ob hanc sententiã minime Romæ prohibita aut Romani Pontificis diris excepta fuerint, *Nicolao de Tudisco* Præsule Panormitano, & *Nicolao de Cusa*. Notatu præterea dignum existimat, quod *Pallavicinus* lib. 18. hist. conc. Trid. Romanæ ecclesiæ in distribuendis præmiis sinceritatem probet exemplo *Æneæ Sylvii*, qui tametsi concilio Basileensi adversus Eugenium adhæsisset, purpura tamen Cardinalitia & deinde suprema tiara donatus fuerit, & *Adriani Florentii*, qui quanquam in suis commentariis prærogativam aliquam conciliis concessisset, nihilominus Cardinalis, & tandem Pontifex electus fuerit. Tandem Basileensis Synodi Patres, etiam postquam Eugenium IV deposuerunt, & Felicem V elegerunt, ipsumque Felicem ejusque partibus adhærentes a schismatis crimine absolvit, & Christianissimi Regis Caroli VII in procuranda pace ecclesiæ studium commendat.

Dissertatio nona agit *de annatis*. Quamvis autem Autor duodecim abhinc annis sub titulo animadversionum in librum *Johannis Launoji* de veneranda Romanæ ecclesiæ circa Simoniam traditione, duo de annatis opuscula ediderit, distractis tamen jam diu omnibus istorum opusculorum exemplaribus, nova methodo argumentum illud tractare, & annatas denuo a Simoniæ labe purgare voluit. Exorsus igitur ab annatarum origine, motus in concilio Constantiensi contra annatas excitatos memorat, ostendens neque concilium Constantiense annatarum exactionem damnasse, neque totam nationem Gallicanam illo tempore eandem pro Simoniaca vel illicita habuisse; postea concilii Basileensis & sanctionis pragmaticæ decretis annatarum exactionem quidem prohibitam, ea tamen lege, ut congruum aliunde subsidium Romano Pontifici subministraretur. Fatetur Reges Galliæ Carolum VI & VII, Ludovicum XI, Franciscum I, Henricum II & Carolum IX gravissima contra Romanæ Curiæ exactiones edicta promulgasse, verum has Regum constitutiones annatis, prout nunc exiguntur & solvuntur, non obesse contendit. Denique pium esse annatas solvere, & easdem exigere nec Simoniacum nec injustum esse, *Prosperi Fagnani* argumentis probat. Minime tamen probat, quod Fagnanus aliique Juris

periti Romanæ Curiæ addicti asserunt, annatas summo Pontifici jure divino & naturali deberi, & Pontificem etiam sine causa totius orbis ecclesias collectare posse (sic enim loqui amant,) item Pontificem in omnium ecclesiarum bona supremum dominium habere, & annatarum institutionem adeo antiquam esse, ut ad apostolicam ætatem referri possit. Claudit hanc dissertationem elogio præsentis Pontificis Innocentii XI, qui domesticis sumtibus & munificentiæ in propinquos modum ponat, quo nomine ipsi longævam felicitatem apprecatur.

Decima dissertatio & tertii voluminis ultima, circa decreta *Florentinæ Synodi* versatur. Quamvis autem Autor se non latere dicat, quod Carolus Lotharingus in commonitorio ad Britonem scripserit, apud Gallos Florentinum concilium, tanquam nec legitimum nec generale, repudiari, hæc tamen Cardinalis verba Gallicanis Theologis necessitatem, Florentinum concilium ex generalium numero expungendi, non imponere pronunciat, cum Gallicana ecclesia definitionem fidei in Florentina Synodo publicatam semper venerata fuerit, & Gallicani Præsules, etsi iisdem Ferrariam ac Florentiâ adire non licuerit, spiritu tamen & consensu affuerint. Asserit exosum fuisse quondam Gallis concilium Florentinum, cum ab eo Constantiensis & Basileensis concilii decreta, de suprema conciliorum generalium autoritate labefactari, persuasum sibi haberent; verum re penitius inspecta, Gallos quoque Theologos Florentinam Synodum pro œcumenica agnovisse, cum omnes characteres œcumenici concilii ipsi competant. Hinc *Marci Ephesii* aliorumque Græcorum argumenta, quibus Florentinæ Synodi decreta impugnant, refellere conatur. Postea acta Florentinæ Synodi summatim recenset, ac tandem decretum de Armenorum institutione, quod incipit: *exultate Deo Adjutori nostro*, non esse œcumenicæ synodi demonstrat.

Dissertatio XI, cum qua volumen QUARTUM, totiusque operis sextum & vigesimum idemque ultimũ incipit, *pragmaticæ sanctionis* in generali ecclesiæ Gallicanæ conventu Avarici Biturigum A. 1438 sub Caroli VII imperio conditæ, & postea Pii II impulsu a Ludovico XI abrogatæ, nec non dissidii inter Julium II & Ludovicum XII exorti, item conventus Turonensis & *Pisanæ* Synodi historiam exponit,

exponit, quam Autor noster conventus generalis & legitimi concilii rationem habere negat. Postea *Lateranensis V*, quam Pisanæ Julius II opposuit, Synodi præcipua gesta memorat. In specie agit de pactis inter Leonem X & Franciscum I Bononiæ *concordatis*, & in prædicto Lateranensi concilio promulgatis, quorum autoritati non obstare censet, quod supremus senatus Parisiensis, Academia & Clerus Gallicanus hanc disciplinæ mutationem non statim concoquere potuerint, eoque nomine Concordatis restiterint, iisque intercesserint & ad futurum concilium appellaverint. Ubi inter alia *Genebrardum* notat, Facultatis Parisiensis Theologum & Aquarum Sextiarum episcopum, qui librum de sacrarum electionum jure & necessitate ad ecclesiæ Gallicanæ redintegrationem edidit, & lib. 4 chronologiæ suæ Concordata mysterium iniquitatis vocat, eaque fremente universo Clero, Scholasticis, populo bonisque & doctis omnibus, pragmaticæ sanctioni substituta asserit. Respondet autem, Genebrardum quidem virum doctissimum fuisse, sed turbarum & læsæ majestatis accusatum, quo nomine A. 1596 perpetuo exilio damnatus, bona ejus fisco addicta, liber de sacrarum electionum jure lictoris manu combustus, ejusdemque editio & venditio omnibus bibliopolis & typographis sub capitis pœna prohibita fuerit.

Duodecima eademque ultima dissertatio de *concilio Tridentino* agit, cujus sessiones ita enarrat, ut simul ejusdem autoritatem contra *Suavem*, *Molinæum* & *Gentiletum* tuendam suscipiat, idque ceu legitimum ac œcumenicum ab omnibus orthodoxis colendum & suscipiendum esse probet. Cum vero nonnulla concilii Tridentini decreta libertatibus ecclesiæ Gallicanæ adversa animadvertat, respondet, ea vel pro Gallis non statuta, vel ab ecclesia Gallicana non recepta fuisse, eaque ecclesiam Gallicanam semper excepta voluisse, quoties Christianissimis Regibus pro concilii Tridentini promulgatione supplicavit.

Loco Panopliæ adversus hæreses, quam alias singulis seculis Alexander noster subjungere consuevit, *trophæum* debellati in Gallia Calvinismi erigit, quo Regem suum magnopere deprædicat, quod abrogatis edictis, quæ Calvinianæ religionis exercitium hactenus permiserant, effecerit, ut quindecies centena millia homi-

num ad ecclesiæ Romanæ gremium convolaverint. Postremo fidei Tridentinæ professionem addit, eamque se constanter servaturum jurat, notatis in margine locis, ubi præcipuos ejusdem articulos in historia sua ecclesiastica propugnavit.

TRAITE' DE L' EGLISE EN FORME D' Entretiens &c. i. e.

Tractatus de Ecclesia, forma dialogi compositus, in quo omissis quæstionibus de ea agitatis, demonstratur, Calvinistas sibi in principiis contradicere; & ita refutantur novissimi libri Claudii & Jurii: Autore Davide Augustino Brueysio, Montispessulano.

Lutetiæ, apud Mabre-Cramoysium, 1687, in 12.

AUtoris nomen, & ut a Reformata ad Romanam Ecclesiam transierit, ex libris ejus & Actis nostris (videatur A. 1684. p. 446) dudum innotuit. Mutationem autem suam defensurus adversus celeberrimos Reformatorum doctores, *Joh. Claudium* & *Petrum Jurieu*, in arenam denuo prodit, doctrinam eorum de Ecclesia oppugnans, ita tamen, ut non tam de *veritate positiva* disquirat, quam ut illorum sententiæ contradictionis notam impingat, qua seipsam evertat. Excusat in præloquio, quod scribat; tum quod libri Protestantium, non obstante regia prohibitione, in regnum clam importati, & neophytis, a veteris (ut ait) erroris reliquiis non prorsus puris, scrupulum moventes, absque responso dissimulari non semper possint: tum quod ad scribendum impulsus & adjutus fuerit ab Abbate *Coquelino*, a quo tractatus suus de Eucharistia approbatus sit. Laudat etiam insignem profectum, quem ex *Archiepiscopi Parisiensis* instructione in hac materia fecerit. Sumit autem Autor non tam collocutoris, quam docentis personam, & *Dialogo* I. novitium e conversis instruit, cui nondum omnis religionis ejuratæ memoria aut amor perierat. Legentem sane Responsum *Claudii* ad librum *Episcopi Condomensis* in articulo de Ecclesia sistit, illud ipsum, ut putamus, cujus enarrationem in Actis A. 1684 p. 374, dedimus, quam conferri cum hac relatione omnino expedit.

dit. Palmarium argumentum, quo Claudium aggreditur, & quo demonstrato omnes controversias de Ecclesia inter Romano-Catholicos & Reformatos Theologos, simulque totam litem, quam ab uno illo articulo pendere agnoscit, perimi putat, in contradictione quærit, qua laborare Claudii & Reformatorum sententiam statuit; id quod sibi jam tum scrupulum movisse notat, dum adhuc inter illos esset, & adversus *Expositionem Condomensem* scripsisset. Itaque cum Genevenses librum illum suum revidentes, quædam in hac ipsa quæstione de autoritate Ecclesiæ a se scripta expunxissent, suaque subjunxissent, se apud *Montispessulanos Ministros* testatum fuisse, non habere se, quod difficultatibus respondeat, quæ Genevensibus opponi possint. Præmittit inde quædam, quibus ostendat, qua specie Reformati doctrinæ suæ articulos exornare soleant, & nullam fuisse sectam ait, quæ pulchriori prætextu & armis splendidioribus Ecclesiam Catholicã oppugnaverit; eandem tamen non semel accusat, quod sensui communi repugnet. Conqueritur inde de mala doctorum Reformatorum fide, qui suis persuadeant, ac si Catholici judicium solum hominum, seposita Scriptura, in fidei controversiis admitterent. Scripturæ enim judicium a Catholicis omnino agnosci affirmat, sed quæri, *num quilibet privatus potestatem habeat cum auxilio, quod prætendat, Spiritus Sancti Scripturam explicandi; an vero hoc lumen, & hæc explicandi potestas solis congregationibus Ecclesiasticis tribui debeat, quia Deus promisit se fore in medio eorum, qui in nomine ejus congregantur.* Posterius recte a Catholicis, prius male a Reformatis asseri; quia data privatis facultate post Ecclesiæ definitiones examen dogmatum instituendi, sequeretur, ecclesiam non esse infallibilem, quæ tamen sit basis & columna veritatis. Ut vero contradictionem demonstret, ex *Confessione Reformatorum Gallica* articulos IV. V & alios allegat, in quibus dicunt, agnoscere se libros Biblicos i. e. Canonicos, pro regula fidei, non tam ob communem consensum & judicium Ecclesiæ, quam ex testimonio & persuasione interna Spiritus Sancti &c. Hoc vero non de cœtu, sed de singulis ab iis intelligi, ex verbis confessionis operose colligit, fortassis præter necessitatem; nam id non inficiantur Protestantes, & Claudius in libro allegato asseruit, objectionibus, quas *Brueysius* hic interserit, simul respondens. His

articulis de judicio ſingulis fidelibus competente opponit, ut contradictorium, *Articulum XXV* aliosque ejusdem confeſſionis, & ex libro *de diſciplina*, in quibus ſtatuant, obligari omnes, ut decretis Eccleſiæ ſub excommunicationis pœna pareant; neque id ſolum in capitibus ad ordinem & diſciplinam, ſed & ad controverſias circa dogmata pertinentibus. Subjungit patheticam hujus contradictionis exaggerationem, quam inexplicabilem eſſe cum ſumma affirmat confidentia. Principium vero Romanum tanto magis extollit, quod explicationem Scripturæ, quæ ipſa loqui & ſe explicare, ut ait, non poteſt, ſolummodo tribuat voci Eccleſiæ, cujus pronunciationi deberi notat *baptiſmum infantum*, *aſperſionem pro ſubmerſione*, *Dominicam diem pro ſabbatho ſubſtitutam*, *eſum ſanguinis & ſuffocatorum conceſſum*, aliaque, etiam Reformatis probata. Inde non dubitat, Eccleſiæ competere jus de articulis fidei judicandi. Objicit ſæpius, Proteſtantes ad theſin illam priorem de judicio ſingulorum neceſſario coactos fuiſſe, quia ſchiſma ſuum defendere alia ratione nequiverint, niſi Eccleſiam falli poſſe & falſam eſſe dictitaſſent, & poſtea omnes promiſſiones Dei Eccleſiæ factas, ad ſolos electos, i. e. ad Eccleſiam inviſibilem, quæ pronunciare nihil poteſt, reſtrinxiſſent, licet *Calvinus* eas de viſibili Eccleſia Lib. IV Inſt. Cap. I intellexiſſet. Non minus tamen putat adactos fuiſſe ad autoritatem Eccleſiæ in definiendis controverſiis, in poſterioribus confeſſionis & diſciplinæ articulis adſtruendam, licet prioribus (ut ipſi videtur) manifeſte contradicant. Reſpondet inde ad aliqua, quæ ex libro Claudii regeri poſſe viderentur, quibus differentia regiminis civilis & eccleſiaſtici, & modus in examine a privatis tenendus oſtenditur, & vera Eccleſia quoad eſſentiam ad ſolos electos reſtringitur. Profitetur hic iterum, magnam ſpeciem habere ſententiam Claudii; negat tamen, evitari illius interpretationibus contradictionem a ſe indicatam poſſe. Agnoſcit quidem diſcrimen ſocietatis civilis & eccleſiaſticæ, ſive gubernationis humanæ & divinæ, non veretur tamen ſtatuere p. 125, *reſpectu regiminis idem requiri in eccleſia*, *quod in republica*, ut ſit autoritas quædam externa viſibilis & ſuprema, ad quam enatis controverſiis recurratur, absque examine ulteriori decidentem. Sic ad perpetuum illud poſtulatum, *de neceſſitate judicis viſibilis & infallibilis in eccleſia*, poſt tot ambages verbo-

verborumque ampullas reditur. Argumentum autem aſſertionis ſuæ inveniſſe ſe putat in dicto Apoſtoli Eph. IV, 11 ſeqq. quod Chriſtus dederit *apoſtolos*, *prophetas*, *evangeliſtas*, *paſtores & doctores*, *ut non ſimus parvuli fluctuantes &c.* Eodem trahit 1. Cor. XII. v. 24. 25, 26, ex quibus conficit, ſolis miniſtris ſive gubernatoribus navis eccleſiaſticæ judicium illud deferri. Agnoſcit vero, erraſſe aliquando gubernatores illos, & exemplum Ariminenſis concilii nominatim adducit p. 132: ſolatium vero affert, quod Deus non diu patiatur tempeſtatem graſſari, ſed excitatus veluti e ſomno precibus ſuorum illam componat: promiſſam etiam præſentiam ad finem usque mundi, ſolis applicat congregationibus eccleſiæ. Moderationes vero illas, quas Claudius privatis commendat, qui deciſiones Eccleſiæ examinatum eunt, irridet, & nihilominus eo perveniri tandem dicit, ut privatus aliquis judicium Eccleſiæ ſuo poſtponat, & ſe infallibilem eſſe putet, cum tamen pro fallibili habeat Eccleſiam. Porro cum Claudius, ad elidendam objectionem de contradictione, diſtinxerit inter quæſtiones ipſum fidei fundamentum concernentes, & ſcholaſticas, quæ non ſunt de fundamento fidei, & in his, non vero in punctis fundamentalibus (jam ſcilicet per Scripturam & confeſſionem publicam ſtabilitis) parendum ſynodis eſſe dicat; Autor hanc diſtinctionem rejicit, eamque ipſam eſſe ait, quam Genevenſes ex ſuo libro expunxerint: dein crudelem doctrinam & diſciplinam eſſe arguit, per quam ob capita non fundamentalia ad excommunicationem procedatur. Tandem exemplum alicujus Theologi ſive miniſtri Reformati proponit, qui dictum aliquod Scripturæ explicaverit, cujus ſententiam Conſiſtorium primo, dein Synodus provinciæ, & tandem nationis condemnaverit. Quærit autem, quid facere debeat miniſter ille, his deciſionibus judicum, per omnes tribunalium gradus, ex diſciplina Eccleſiarum Reformatarum conſtitutos condemnatus, ſi ipſe poſt diligentem licet explorationem, ſuam tamen ſententiam veriorem eſſe exiſtimet. Si acquieſcit (ait) deciſis, peccat contra conſcientiam; ſi non acquieſcit, excommunicatur. Huic ex principiis Reformatorum nullum conſilium dari poſſe, magna cum aſſeveratione contendit; poſſe vero ex Romanis, quæ jubent eum ſuæ opinioni diffidere, & Eccleſiæ effatum ſequi.

In

In Dialogo ſecundo collocutor tertius producitur, isque ex Reformatis vehementioribus, qui primo cum Brueyſio expoſtulat, quod tam quiete non ſuccedat converſio Reformatorum, ut ille veluti vaticinatus in libro ſuo fuerit; tumultum enim in *Sebennarum*, qui dicitur, tractu ortum eſſe, & Regis copias adverſus refragantes expediri. Reſpondet, caſum illum & ſimiles alios regulæ non obeſſe, tanto minus, quia conſtet, incolas regionis illius montoſæ & ſterilis, quippe ſemibarbaros & ob pauperiem fere deſperatos, ad rebellionem ſemper proclives fuiſſe, eoque nomine, non autem religionis cauſa in illos animadverti. Dein ad quæſtionem de Eccleſia redit. In hac *Reformatus* ille definitionem, qualis a Romano-Catholicis proponitur, ut hypocritas ſimul includat, rejicit, Claudii vero defendit, qua ſolummodo vere credentes ſive electi comprehenduntur. Huic ſoli promiſſiones Dei, quod nempe futura ſit columna & baſis veritatis, & quod portæ inferorum adverſus eam non ſint prævalituræ, & ſic etiam infallibilitatem applicari debere ſtatuit, & inde deducit, ſemper examinandas eſſe deciſiones Eccleſiæ & Synodorum ex verbo Dei, ut appareat an vera ſit eccleſia, quæ eas fecerit. Ad hæc *Brueyſius* regerit, Claudium mala fide Romanis attribuere, quaſi in definitione ſua excludant fideles & electos, eaque de cauſa vehementer in ejus librum invehitur. Præſupponit deinde ut conceſſum ab utraque parte, quod promiſſiones illæ de veritate & conſervatione, ad Eccleſiam quæ in terris eſt, pertineant, diſceptari autem ubi illa inveniatur: neque tamen dubitat, quærendam eſſe in ſocietate hominum fidem Chriſti profitentium, per totum orbem ſub uno miniſterio diffuſa ſive Catholica: ſeponit tamen quæſtionem (quæ huc nihil faciat) an triumphans vel etiam futura Eccleſia comprehendi in definitione debeat. Interim, quia electi Deo ſolum noti, & ideo, quod fatetur, inviſibiles ſunt, dogma Claudii omnino rejicit, quo ad ſolos electos reſtringitur Eccleſia. E contrario promiſſiones divinas non ad electos ſolum, ſed ad Eccleſiam quæ ex electis & reprobis commixta eſt, pertinere, pro certo habet, qualem etiam Reformati in confeſſione ſua Art. XXVII. agnoſcant. Execratur nihilominus illam interpretationem, quam a Claudio Romano-Catholicis affingi dicit, ac ſi vera & interna fides, quam electi habent, non ſit de eſſentia

tia Eccleſiæ. Negat quod in definitione Catechiſmi Tridentini id aſſeratur, quia in illa fideles dicantur *adorare Deum in pietate & ſanctitate, & ſervire illi toto corde.* Fruſtra itaque Claudium prolixe demonſtrare contra Epiſcopum Condomenſem voluiſſe, quod vere fideles ſive electi ſint membra Eccleſiæ, & ideo reſponſum non meruiſſe; concedi enim id a Romanis, ſed ab his ſimul ſtatui, etiam hypocritas membra eſſe Eccleſiæ, & ad hos ſimul cum electis promiſſionem de infallibilitate pertinere. Id licet durum & abſurdum videatur Claudio & Reformatis, hac tamen diſtinctione emollit, ut dicat eatenus ad hypocritas referri illas promiſſiones, quatenus in ſocietate externa cum fidelibus & electis comprehendantur, & ſic participes earum fiant reſpectu fidelium, quibus ſociati ſunt, & ad horum commodum, non vero quod ipſi etiam ſalutarem uſum & finem aſſequantur, quo utique fatetur reprobos carere, etſi eandem fidem (i. e. profeſſionem ejus externam) & eadem ſacramenta habeant, idemque verbum iis prædicetur. Gratiam vero illam generalem, & ſic etiam jus definiendi infallibiliter de fide, malis bonisq; communem eſſe, ſicut pluviam juſtis & injuſtis, ſive ut auditum verbi & uſum ſacramentorum. Allegat *Catech. Trid.* p. 111 & 112. & collocutorem ad Theologos remittit, qui id latius explicaverint, quatuor tamen obſervationes ei proponens. Repetit (1) quod priori parte dixerat, Calviniſtas ex neceſſitate ſchiſmatis ſui defendendi, ad reſtrictionem illam eccleſiæ ad ſolos electos confugiſſe; ita enim nemini ſchisma imputari poſſe, quia non poſſit monſtrari Eccleſia vera, i. e. electorum, a qua diſceſſerint. (2) Male ſeparari a Reformatis autoritatem Eccleſiæ & promiſſionem infallibilitatis, cum illam tribuant ſynodis, quæ tamen ex bonis malisque compoſitæ ſint, infallibilitatem vero tantum ad electos reſtringant. Ita enervari putat autoritatem, cum nemo certus ſit, ſynodum illam ex electis conſiſtere. Supponit autem infallibilem autoritatem ſynodorum a Deo promiſſam eſſe, cui Chriſtiani certo inniti poſſint. (3) Naturam promiſſionum ut & minarum eſſe, ut viſibili alicui ſocietati fiant, licet cum diſtinctione applicentur & effectum habeant, prout ſint generales aut particulares, pro diverſitate & capacitate eorum qui in cœtu reperiuntur. Concludit inde, promiſſiones de Eccleſia ad totum cœtum externum pertinere, utpote viſibi-

lem, sed diversimode ad bonos & ad malos applicari; bonis nempe speciatim quæ ad sanctificationem interiorem pertinent, competere, sed cæteras, quæ a societate visibili percipi possint, bonis & malis simul deferri. Necesse enim esse, ut visibilis aliqua sit ecclesia, quæ sit columna veritatis, & contra quam non prævaleant portæ inferorum; neque has promissiones ad solos electos restringendas esse. Illustrat hoc ex dicto Pauli 1. Cor. X, 1 & seqq. ubi non temporalia solum, sed & spiritualia bona, *escam & potum spiritualem*, etiam illis ex Israelitis communia fuisse scribit Apostolus, qui tamen Deo non placuerunt, i. e. non fuerunt electi, licet certum sit, escam & potum istum reprobis non fuisse salutarem. (4) Ad experientiam seculorum provocat, quibus utique fuerit ecclesia promissionis illius particeps, columna veritatis, & prævalens portis inferorum, etsi utilitas promissionum solis electis contigerit. Ex illa ipsa autem Ecclesia secessisse ait majores Reformatorum; unde colligit, aut nullam fuisse ecclesiam ante reformationem, id quod repugnat promissioni divinæ, aut secessum a vera Ecclesia factum esse.

His perculsum sistit Calvinistam suum; itaque eo, cum non haberet quod regereret, ad librum *D. Jurii* de Ecclesia se recipiente, adversus hunc reliquam partem dialogi dirigit. Reprehendit Jurium, quod comparationē Ecclesiæ cum corpore humano (etsi illa aliquid veri certo sensu in se habeat) contra stylum Scripturæ instituerit. Dicit enim Autor, Paulum in tribus locis, in quibus corpus cum Ecclesia comparat, ideam illam non repræsentare, quam Jurius formavit, sed tantum diversas membrorum Ecclesiæ functiones. Alias comparationes Ecclesiæ in sacris reperiri, illam vero minime cum homine, qui duas partes habet, animam nempe & corpus. Deinde si maxime idea illa Jurii locum haberet, iisdem tamen contradictionibus subjectam esse, quas reliquorum Reformatorum dogmati tribuit. Dissidia deinde *Claudii* & *Jurii* in hoc ipso articulo de Ecclesia adducit, quorum hic novum systema excogitaverit, Claudius Ecclesiam ad electos solum restrinxerit, quam opinionem tamen *Alixius*, doctus & judiciosus, ut ait, *Charentonensium Minister* rejecerit. Ad probandam vero Claudii & Jurii dissensionem, loca ex utriusque libris, quibus Episcopo Condomensi respondent, adscripsit, ut & alia quæ Jurius, pro commendatione novi sui systematis, in con-

in contemtum suæ Ecclesiæ doctorum & patrum veterum scripserit, item in quibus a sententia sua olim defensa ipse discesserit; taxat etiam Apocalypticos ejus commentarios, & ampliorem refutationem contra illum minari videtur. Concludit repetitione querelæ, quod Reformati Romanæ Ecclesiæ affingant, quæ non doceat, & eventum colloquii eum refert, ut Calvinianus ille tunc quidem confusus & cogitabundus discesserit, paulo post autem gloriam Deo dederit, Rom. Catholicam religionem amplexus & magno zelo profitens.

Hunc librum Brueysii *Corcierius*, *Theologus*, ut se vocat, *Parisiensis*, magno elogio honorat. Non enim eloquentiæ solum laudem Autori tribuit, sed & soliditatis & concinnitatis (*justesse*) quæ, ut ait, omnibus admirabilis, paucis sit imitabilis. Sane elegantiam styli haut facile quisquam in controversiam vocabit. Agnoscunt eam adversarii ipsi, quorum libros contra illum A. 1684, p. 448 & seqq. produximus. De soliditate argumentorum dubitare licet, quæ tamen examinanda hic non sumimus. Sunt etiam specialia quædam, quibus fortasse vel *Claudii*, ante libri hujus publicationem defuncti nomine, vel a *D. Jurio* responderi satius est.

Cæterum cum, fatente Autore, omne momentum controversiarum in articulo isto consistat, pauca de illo, quatenus eum nostra quoque amplectitur religio, a nobis moneri, haut gravatim ferent lectores. Urget Autor non uno loco, *ideo solum infallibilitatem Ecclesiæ a Protestantibus negari, quia a schismatis culpa aliter expedire se autores reformationis non potuerint.* Sed id, præterquam quod gratis asseritur, retorsioni subjectum esse satis patet. Observarunt enim nostrates, non alio fine, quam pro dominatu in conscientias stabiliendo, infallibilitatem illam tribunalis externi prætendi, neque tamen dictis Scripturæ eo detortis probari: summam etiam dignitatem Evangelio, quod est *virtus Dei in salutem omni credenti*, detrahi, & ad cujusvis dogmatis aut præcepti profani falsique conditionem deprimi, synagogicæ autoritatis, & quam hæc fere semper in subsidiis habet, regiæ manus pondere. Dein jactantur quidem, sed non magis probantur Autoris asserta, v. g. *Jus examinis & judicii in controversiis de fide non ad singulos, sed ad congregationes, sive ad Clerum solummodo pertinere. Promissionem infallibili-*

tatis illius, non tantum vere fidelibus, ſed malis etiam & hypocritis, (qui in cœtu Eccleſiæ majori fere ſemper numero reperiuntur) *factam eſſe. Eccleſiæ illi externæ* (aut qui ejus perſonam ſumunt, malis bonisve) *ſoli competere jus explicandi Scripturam, & explicatione illa articulos fidei conſtituendi. Scripturam explicare ſemet ipſam non poſſe; viſibili itaq; judice, cui omnes parere debeant, opus eſſe. Eccleſiam veram & catholicam, cujus perpetuitatem Chriſtus promiſerit, monſtrari non poſſe, imo interiiſſe, niſi Romana pro ea habeatur. A vera illa Eccleſia defeciſſe, qui reformationem inſtituerunt aut ſecuti ſunt.* Iſthæc omnia, aliaque eodem tendentia, innumeris pene vicibus diſcuſſa ſunt, nec nova argumentationum & rhetoricationum ſpecie valide ſuſtinentur. Veritas nimirum & infallibilitas a Spiritu Dei eſt, per verbum operante, ſive cor, ut Lydiæ, aperiente. Id certum eſt in ſingulis fieri, non in cœtu, qui nihil aliud eſt, quam ſingulorum concurſus: Univerſalia enim non ſubſiſtunt, niſi in individuis. Veritatis itaque perceptionem ſingulis promeruit Dominus, ut ipſe profitetur Joh. XVII, 17. 19: *ſanctifico ego me ipſum pro eis, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* Idem precibus ſuis a Patre cœleſti petiit, non pro Apoſtolis ſolum, ſed & pro iis, qui per verbum eorum crediturí ſunt, d. l. v. 20: *ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus eſt veritas.* Hoc ſalutiferum beneficium ſingulis fidelibus, & tandem omnibus auferunt, qui veritatem in numero & conſenſu plurium quærunt, & pro Spiritus Sancti teſtimonio judicia hominum, quos ſanctificatos eſſe neſcimus, ſub autoritatis & explicationum prætextu ſubſtituunt. Hunc dominatum excuſſerunt merito majores noſtri, & nos cum iis, ſimulque ſalutis ſuæ fundamento proſpexerunt. Singulorum enim infallibilitas certa eſt, quia a Deo eſt, & extra illam nemo ſalvatur. Cœtuum judicium ea ipſa de cauſa, quod de interna omnium fide a Spiritu Sancto excitata non conſtat, certitudinem non habet, niſi ubi aperto verbi teſtimonio non detorto aut male applicato nititur. Verbum eſt veritas, & in neceſſariis ad fidem ſatis aperte loquitur, adeoque examen & applicationem ſingulorum non refugit, ſed requirit, cum absque illa divina fides, qua ſola ſalvamur, produci non poſſit. *Prope eſt verbum illud in ore noſtro & in corde noſtro*, teſte D. Paulo Rom. X, 8. *Vivum eſt & efficax, penetrat, diſcernit &c.* Hebr. IV, 12. Ideo neceſſario

rio non eſt quærendum in conciliis aut tribunalibus, quanquam id pro majori luce & confirmatione aliquando expediat, ſed ex prædicatione audiri, aut ex libro legi debet. Ita audimus eccleſiam ſeu ejus miniſtros, ſi verbum Dei, quod Spiritus Sanctus in corde noſtro confirmat, prædicent, etiam ex ore eorum, de quorum interna ſanctificatione nobis non conſtat. Obſequimur, cum docent jubentque verbo conformia, & Spiritus intus operantis teſtimonio non repugnantia, ſine quo nihil *ſpiritualiter judicari* poteſt, 1. Cor. II, 10. 14. & per quem ſolum vocem paſtoris interno & ſalutari auditu percipimus. Paremus præterea Eccleſiæ, ſive Antiſtitibus ejus legitime conſtitutis, in rebus ad pacem & ordinem pertinentibus. Qui hoc obſequium detrectant, cenſuram merito patiuntur, non quod idem ſit in fide, quod in ritu aut ordine errare, ſed quod pacem & concordiam, qua cœtus continentur, ſuperba contumacia rumpunt. Explorationem autem omnium ſpirituum, docentium & definientium, divino præcepto per notiſſimam Apoſtolorum doctrinam, ſingulis pro menſura conceſſæ gratiæ impoſitam eſſe credimus, non minus ac fidem & ſanctificationem individuam. Qui enim pigro & cæco obſequio amplecti volunt, quicquid credendum injungitur, aut cœtum ſaltem ſequi, non habito ad fundamentum internæ veritatis reſpectu, illi non poſſunt fidei ſuæ certi eſſe, itaque nec de via ſalutis. Hanc œconomiam Dei pro abſurda non habemus, etſi mundanæ ſapientiæ ſordeat, & videatur aliquo modo ſingulis plus quam multis, ſimplicibus quam doctis tribuere. Singuli enim, qui vere credunt, infallibilem virtutem Spiritus habent, quæ non pendet a numero aut conſenſu plurium, licet optabilis hic, & (ſalva veritate) omni ſtudio, precibus etiam quærendus ſit, utpote fructu & ſolatio non carens. Eccleſia vere ſancta eſt, & prævalet portis inferorum, non ut eſt ens rationis in conceptu vago ſcholaſtico, nec in externa ſocietate loci aut miniſterii, ſed in membris ſuis vere ſanctis, licet hæc ſoli Deo nota ſint. Hoc reſpectu certiſſimum eſt, eccleſiam ejusque conſenſum formalem & internum eundemque infallibilem, non eſſe viſibilem, licet is unus ſit & perpetuus ab uno Spiritu in omnium & ſingulorum fidelium cordibus productus, quo illi, ut membra, cum capite ſuo Chriſto connectuntur. Hanc Eccleſiam ejusque communionem, neque a lo-

co, neq; a tempore circumscriptam, in Symbolo Apostolico *credimus*, quia non *videtur* & palpatur, non magis ac alii fidei articuli. Visibilis vero est Ecclesia & in luce posita, ratione externæ sanctitatis, cum nimirum habet verbum Dei, & usum Sacramentorum. Hæc beneficia verasque notas ecclesiæ, etiam in magno, qui cum fidelibus miscetur hypocritarum numero, & inter plurimos errores, tristissimisq; temporibus, servavit secundum promissionē suam Deus, & ita semper vere fideles, veraq; membra Ecclesiæ, adeoq; officinam Spiritus Sancti publicam, aliquando magis, aliquando minus puram & splendidam Vet. & Nov. Testam. tempore habuit. Dein identidem pro beneplacito suo suscitavit, qui errores arguerent & reformarent. Id qui præstiterunt & adhuc præstant, minime defecerunt ab Ecclesia, quæ est sponsa Christi & columna veritatis, sed eandem optimo jure & ex conscientiæ dictamine pro viribus expurgarunt, & visibiliorem atque illustriorem in partibus reddiderunt, quæ antea in toto interiisse videri poterat. Sed hæc obiter, vere tamen ut confidimus, & quæ ad novæ disputationis nebulas dispellendas in præsens sufficiant. Ut enim referre integre & sincere solemus objecta, ita sine periculo religionis quam profitemur, & cujus jugulum recoctis istis sophismatibus petitur, non semper silentio præterire possumus, quæ sit sententia nostrarum Ecclesiarum, & quæ sint ejus fundamenta.

ACTA NOVÆ ACADEMIÆ PHILEXOTICORUM Naturæ & Artis.

Brixiæ, apud Joh. Mariam Ricciardum, 1687, in 8.

EXhibuimus Actorum illorum Brixiensium velut primitias in Actis nostris A. 1686, pag. 557 & seqq. Nunc cum volumen eorum primum ad nos integrum pervenerit, non gravabimur, observationem adhuc unam alteramve ex eo excerptas dare.

Numero XXXVII Epistola *D. Bernardini Boni* continetur, multa annotatione maxime digna continens. Felem is cultro anatomico destinatum capsulæ incluserat, num sine cibo ex sola aeris alteratione vitam protrahere posset, facturus periculum. Eum in finem vasis, spiritu quodam nitro-salino summe alkoholisato pleni,

pleni, osculum orificio clausiri admovit quotidie repetitis vicibus, arculamque adhibito lychno exinde adimplevit spirituosis ejusmodi particulis. Felici eventu catus aliquot diebus incolumis vixit, dum alius absque illo alimento asservatus breviori spatio perierat. Ex quo quidem experimento nata fuere alia. Dum enim, quid captivus ageret, exploraturus *Bonus*, operculo candelam accensam admovisset, illico ocyssima flamma excitata est, sed quæ statim evanuit. Nihilominus inexpectato eventu perterritus *Bonus* pedem retrahit: felis vero carceribus arrepta occasione se eximit, incautoque pede per obvia quæque aliquandiu vagatus, denique placidissimæ quieti se concedit. Anatomicæ post evisceration commissus, nullum in oculorum diaphaneitate vitium exhibuit, nisi quod in cornea macularum apparentium caligo microscopii ope fuit deprehensa. Dum hæc experitur *Bonus*, accepta ab amico epistola, observationem aliam ab hoc argumento non alienam edocetur. Cloacam nimirum, cujus parietes sale nitro incrustati erant, dum quidam sordium removendarum causa ingressus esset, nulla adhib ita flamma erumpens derepente ignis stigmata illi, vix tamen cuticulam penetrantia inussit. Tametsi vero oculi hominis integri membranæque intaminatæ appareant, visionis tamen jacturam fecit, adhibitis licet optimis remediis nondum reparatam.

Num. XXXVIII annosa describitur quercus, prope oppidum *Rodengo* sita, & in caudice e terra consurgente, ad altitudinem decempedalem nodum aliquantisper scissum habens. Illa Sirio æstum mense Julio duplicante, nullo in vicinia constituto fluvio, solo in quo collocata erat arido, foliis per trimestre spatium ne gutta quidem aquæ humectatis, ipsaque jam ex senio arescens, ex nodi illius seu calli scissura, per triduum tantam emisit aquæ vim, ut tres magni cadi ea impleri potuerint. Cujus rei sane admirandæ indagatio Physicorum exercere poterit ingenia.

Num. XXXIX lapis per anum, & quidem, quod ratius observari solet (nam lapilli quotidie ab equo simul cum fimo excreti, jam Num. VI. notati fuerant) ab homine emissus memoratur. Scilicet vir quidā nephritico malo alias obnoxius, doloribusq; denuo nephriticos mentientibus vexatus, lapillum reddidisse per alvum dicitur, magnitudine inter ovum gallinæ & columbæ medium, illi tamen magis

vici-

vicinum, corticis expoliti, coloris exterius subnigricantis, interius albi & subcineritii, pondere tophis majorem, silicibus minorem; hincque a cruciatibus liberatus perhibetur. Calculum hunc alii a cysti fellea per ductum choledochum in intestinum duodenum delatum, exindeque ad anum perveniſſe censuerunt; alii existimarunt, liquorem aliquem lixivioſum delatum fuiſſe ex pancreate ad inteſtinum per ductum Virſungianum, qui poſtea immixtus muco inteſtinorum, in lapidem induratus fuerit.

Num. XLIII inauditus hæmorrhagiæ effluxus memoratur. Juvenis enim annos circiter 25 natus, gracilis habitu, natura bilioſus, poſt varios animi motus in eam incidit hæmorrhagiam, ut tametſi fluxus per aliquot horas ſubinde inducias haberet, decem dierum decurſu quinque ſupra ſeptuaginta ſanguinis pondo e naribus emiſerit. Circa finem decimæ diei totum ægroti corpus nigris conſperſum maculis apparuit, eodemque tempore pulſus omnino deſiiſſe viſus eſt. Nihilominus adhibitis convenientibus remediis, tandem ſanguinis fluxus quievit, ac ex eo tempore firma valetudine vegetisque viribus homo fruitur, vivitque ab omni corporis ægritudine immunis, cum antea bis terve quotannis morbo aliquo affligi conſueviſſet.

Sub finem opuſculi, mortem Magiſtri ſui *P. Franciſci Tertii de Lanis, Brixiani, e Societate Jeſu*, Philexotici noſtri deplorant, qua is die 26 Februarii anni ſuperioris, cum ætatis ſextum ſupra quinquageſimum annum ageret, Brixiæ deceſſit. Ac dolendum utique orbi litterato, abruptum Viri hujus doctiſſimi, quem ex illuſtriſſima Comitum Tertiorum de Lanis ſobole ortum memorant, obitu, ac imperfectum adeo relictum opus illud *Magiſterii Naturæ & Artis*, quod undecim voluminibus complecti conſtituerat; quorū primum A. 1684 publici juris factum, in Actis noſtris A. 1685 pag. 31 ſeqq: alterum A. 1686 editum, in Actis præſentis anni pag. 35 recenſuimus: tertium, in quo Tertius ille deſiit, expectare a Philexoticis noſtris jubemur; reliquorum interim ſpe nulla relicta. Niſi forte, quod optandum foret, inter eruditiſſimi viri, quos bene multos reliquiſſe videtur, diſcipulos quidam cum tempore in eam rerum Phyſico-Mathematicarum peritiam aſſurgant, ut continuando abſolvendoque Operi impendere ſe valeant.

PARA-

PARALIPOMENON AD ACTA MENſis Januarii 1687, pag. 52, de ſpeculi cujusdam uſtorii ſingularibus effectibus, excerptum ex literis D.T.

CReditum hactenus eſt, asbeſtum ſive alumen plumoſum nullius ignis vi ſenſibiliter alterari: idemque clariſſimus Kircherus Mundi Subterranei tomo II, ſect. 3, p. 68, etiam ex fornacibus vitriariorum illæſum intemeratumque ſemper extractum fuiſſe teſtatur. At cum ſolares radios, ſpeculo meo uſtorio collectos, omnem ignis uſualis potentiam longiſſime exſuperare compluribus experimentis comperiſſem: lubuit mihi eorum vim in asbeſtum ejusmodi ſeu amiantum experiri. Admoto ergo eodem præterita æſtate ad focum ſpeculi, deprehendi id intra ſpatium 8 aut 9 minutorum horariorum ſenſibiliter alterari, moxque in vitrum ſubfulvi coloris liquefieri, quod hodienum aſſervo. Cæterum & hoc notandum duxi, omnes ſpeculi hujus effectus, rigente quantumlibet bruma, procedere, modo cœli regio circumſolaris a nubibus libera ſit & ſerena: cujus rei documentum vel ipſe asbeſtus eſſe poterit, nupero 27 Januarii die aura intenſiſſime frigida, ſub meridiem, intra 12 minuta temporis, cum adſtantium ſpectatorum ſtupore & admiratione, in vitrum transmutatus.

HISTOIRE DE L' ORIGINE ET DES PROgres de la Monarchie Françoiſe, par Guillaume Marcel. i.e.

Guilielmi Marcelli Hiſtoria de origine & progreſſu Monarchiæ Francicæ, ſecundum ordinem temporum: in qua omnia facta hiſtorica documentis authenticis aut contemporaneorum ſcriptorum teſtimoniis probantur. Tomi IV.

Pariſiis, apud Dion. Thierry, 1686, in 12.

INter innumeros fere rerum Francicarum ſcriptores, veteres & recentiores, ſingularem laudem, ut putamus, obtinebit Autoris

hujus industria, exemplum etiam præbitura, quod cum utilitate publica imitari possint, qui historiam compendiose & sincere tradere velint: quemadmodum & Tabellis Chronologicis, tum civilibus, tum quæ latius se diffundunt, ecclesiasticis antehac editis, applausum doctorum idem Autor promeruit. De rebus ipsis, quæ in opere hoc narrantur, præstat nihil quam pauca dicere: diffusæ enim sunt per duodecim prope secula, a *Pharamundo* nempe, qui anno Christi 417 ad regnum perveniisse existimatur, usque ad A. 1600, quo Henricus IV cum Maria Medicæa conjugium celebravit, numerata. Vitatis itaque veluti duobus scopulis, prolixitatis fastidio & brevitatis sterilitate, ea referemus, quibus Autor, ut dicere cœpimus, novum aliquod emolumentum & decus materiæ alias tritissimæ conciliavit.

Tomus primus antiquitates tractat, & vestibulum quoddam operis est, aut veluti clavis veterum autorum, simulque lumen præfert iis quæ sequuntur. Agitur ab initio *capitibus XIV* de finibus, divisione, lingua, nominibus, religione, sacerdotibus sive Druidis veteris Galliæ, itemque de moneta, gladiatoribus, militibus, coloniis & expeditionibus gentis: ubi congestum est, quicquid ex Græcis Latinisve scriptoribus, usque ad tempora Augusti Cæsaris, sive de Gallis, sive de Galatis & Celtis erui potuit; & certioris fidei causa ipsa autorum verba margini libri adscripta sunt; figuræ etiam alicubi cum judicio nec ineleganter efformatæ interseruntur. *Capite XV* compendium exhibetur Historiæ Gallicæ a tempore Augusti Cæsaris, usque ad initia monarchiæ Francicæ. *Cap. XVI* Geographicæ notitiæ invento novo & artificioso prospectum est. Loco enim tabularum, sive ut vulgo vocant, mapparum Geographicarum, quæ magnis foliis imprimi & incommode libris inseri solent, & nihilominus nuda locorum nomina, eaque non raro mendosa, nec tamen sine tædio invenienda repræsentant, exiguas tabellas, formam libri non excedentes concinnavit. In his regionum, marium, fluminum, sylvarum & montium delineationes, adscriptis nominibus, expressæ sunt, sed civitates aut loca numeris solum indicantur. Ordine deinde alphabetico subjunctæ sunt locorum descriptiones, & singulis locis idem numerus, qui in tabula notatus est, tribuitur. Ut vero numerorum inquisitio expeditior sit, lineæ octo

octo vel plures chartam in areolas quadratas secant, literis majusculis ex utroque latere pari ordine, nec non in suprema & infima parte tabellæ signatas. Istarum literarum duæ singulis locis, qui in indice descripti & numerati sunt, adscribuntur, una ex recta, altera ex transversa linearum intersecantium serie; quarum concursus areolam ostendit, quæ digiti ductu in longum & transversum facile reperitur, & in ea numerus extat qui quæritur. Ita fit, ut situs ex tabella, descriptio vero sufficiens ex indice subjecto commodissime percipiatur, in quo etiam populorum & fluminum, aliorumque ad situm pertinentium explicatio legitur. Sic in hoc capite, ordine, ut dictum est, alphabetico describuntur ducenta sexaginta tria veteris Galliæ & partim Germaniæ loca, priscis autoribus memorata. Sequuntur eodem ordine *Capite XVIII*, Regum, Ducum aliorumque clarorum virorum breves descriptiones ex iisdem autoribus, horumque testimonia adducuntur. *Caput XIX* glossarium continet vocum Celticarum, quas veteres autores tradunt. Post materiarum indicem, consueto modo compositum, catalogus etiam librorum adjectus est, (idque in sequentibus tomis continuatur) ea quidem diligentia, ut & forma libri, & annus locusque editionis, aut si MS. sit, Bibliotheca in qua extat, indicetur.

Tomo II. præmittitur dissertatio de origine Francorum, quæ cum diversimode tradi soleat, nec certissime ob defectum veterum librorum demonstrari possit, illi tamen sententiæ, post multas quas refert, ut probabiliori, & rejectis fabulis Trojanis, Autor accedit, quæ Francos a Germanis, & quidem a Sicambris deduci: neque enim pœnitendum esse notat hunc ortum ex gente, cujus virtutem & ingenium antiquissimi scriptores laudaverint. Sicambris sedem in utraque Rheni ripa, id est in Westphalia vel paulo supra eam, dein trans flumen in Gelria assignat, & nominis reliquias in amne *Siga* cis Rhenum, unde *Sigoburgense* monasterium appellatur, quærit, ubi quidem etiam *Sigæ* oppidi, Nassoviorum Principum sedis, mentio fieri potuisset. Franconiam a Francis, postquam eam a Burgundis relictam occupassent, non hos a regione nomen accepisse existimat. Francos enim non natione, sed conditione denotari, libertatis nempe sive nobilitatis cujusdam, cum plurimis statuit.

Paucis hic monere liceat, de Francorum, qui Franconiam possederunt, antiquitatibus, ex archivis episcopatuum & monasteriorum, præcipue ex episcopatu Wurceburgensi, qui Franconiæ Ducatus titulum ab antiquo habuit, & superiori seculo renovavit, peti posse, ignota exteris. Multa quidem infelici illo rusticorum tumultu A. 1525, aut secutis bellis, aut aliis casibus interciderunt. Superesse tamen bene multa dubitandum non est, & extant in Bibliothecis Germaniæ manuscripta, in quibus aliqua antiquitatum illarum memoria servatur. Unum saltem exemplum in gratiam Autoris, aut aliorum antiquitatis studiosorum addemus. Describit is Tomo II pleraque Galliæ & Germaniæ veteris loca, ordine Alphabetico, & inter flumina de *Sala* bis commentatur. Intelligit enim non solum sub illo nomine fluvium Saxoniæ, aut Thuringiæ potius (quam totam fere permeat aut alluit) sed & Isalam Westphaliæ sive Gelriæ flumen, de quo nunc non disceptamus. Fugit autem illum *Sala* Franconiæ amnis, Mœno influens. Adjacet huic *Konigshofa*, i. e. Prædium aut Aula Regis, celebre & munitum Wurceburgensis Episcopatus oppidum, & infra id (ut alia nunc taceantur) Neapolis, Neustatt an der Sal/ ejusdem ditionis. Huic imminet vetusta arx *Salzburg*, sive potius *Salburg*, quam regiam Caroli fuisse vetus est fama. Ab illa nobilissima *Advocatorum* familia nomen habet die Voyte von Saltzburg (veteris ministerii indicium) quæ nostra memoria Bambergæ Episcopum dedit. Konigshofa etiam illa ad Salam, regii juris vestigia ipso servat nomine. *Saal* (a quo Galli suum *Sale* sumserunt, unde *Salburgo* nomen) Germanis non solum cœnaculum denotat, sed & peristylium Palatinum, in quo conventus habentur, vel solenni ritu investituræ, quas vocant, Vasallorum celebrantur. Mansit inde nomen Lehen-Saal/ quasi dicas feudorum cœnaculum. Ita & *libri Salici*, die Salbücher/ in Franconia dicuntur *Regesta* jurium Dominicalium; neque ipsum forte *Legis Salicæ* nomen aliam habet originem. Illo amne *Sala* Carolus Magnus dicitur in Mœnum navigasse, quod hodie, postquam regiones frequentius cultæ, & amnes molendinorum multiplici structura, & ad riganda vivaria & prata in rivos deducti sunt, fieri non potest. Sed redeundum est in viam.

Indici librorum, de quo diximus, subjungit Marcellus catalogum

gum Regum & Ducum Francorum, quorum ante seculum quintum autores mentionem fecerunt. A dicto vero seculo quinto, sive a *Pharamundo*, historiam Monarchiæ Francorum Autor orditur & in secula distribuit. Præmittit unicuique seculo tabellam, Reges & Principes Francorum referentem, ita nempe, prout in duodecim provincias, sive ut postea vocari consueverunt, *gubernationes generales* Gallia sive Francia divisa est; quia non uni, sed diversis Regibus & Principibus subjectæ satis diu fuerunt, donec aliæ citius, aliæ tardius, cæteris ex quibus postea totum regnum coaluit, accreverunt. Sunt autem istæ provinciæ: *Parisiensis* sive Insulæ Franciæ, *Aurelianensis*, *Campania*, *Picardia*, *Aquitania*, *Linguadoca*, *Britannia*, *Normandia*, *Burgundia*, *Provincia*, speciatim sic dicta i. e. *Narbonensis*, *Delphinatus*, & regio *Lugdunensis*. Hæ duodecim regiones lineis transversis distinguuntur; singulis vero areolis litera capitalis ab A usq; ad M ex utroque latere, ad cavendam confusionem adscripta est. Seculi numerus in superiori tabellæ parte exscriptus invenitur. Deinde anni rerum gestarum minoribus cyphris notantur, quibus si litera (m) adjuncta est, mortis tempus cujuslibet Regis vel Principis indicatur. Res præcipuæ post tabulam secularem nervose referuntur, vitatis verborum ambagibus, & raro additis sententiis aut judiciis, ita ut Annalium & commentariorum modus satis accurate observetur. Adduntur dein brevissimæ tabellæ synchronisticæ, in quibus Pontificum, Imperatorum & Regum Europæ præcipuorum anni, cum Galliæ Regum temporibus conferuntur. Subjungitur etiam liberorum, quos Reges genuerunt, & majorum Regni officialium enumeratio. Regum familias, quarum vulgo tres faciunt, in quatuor ordines distribuit Autor, easque adscriptis nomini Regis, de quo narrare incipit, literis A B C D distinxit: sed addita cuilibet secunda litera, quæ numerum Regum istius classis denotat. v. g. Pharamondo additum est duplex A A, quod indicat primæ lineæ primum regem: Clodioni A B, i. e. primæ lineæ regem secundum, & sic deinceps. Alter ordo lit. B, a Carolo Martello; tertius C a Philippo I; quartus D a Ludovico XII incipit. Post finem cujusque seculi & ante tabulam sequentis, exhibentur probationes minutiori charactere, sive ex documentis, sive ex historicis. Ut autem constet, ad quam partem narrationis confirmandam allegata pertineant, numeri in textu narrationis lineis interpositi sunt, quibus

bus pares in allegatis respondent. Qui vero in margine narrationis reperiuntur numeri, annũ seculi notant. Seculi autẽ numerus in summa paginæ parte semper ob oculos versatur. Pauciores sunt probationes ob defectum actorum aut instrumentorum prioribus seculis, ita ut seculo quinto ab anno 400 ad 500 non nisi viginti quatuor testimonia unius pagellæ facie pag. 83 producantur; sed crescunt illa cum numero seculorum, ita ut hoc Tomo II in fine ad seculum XIII, documenta vel autorum loca centum quadraginta quatuor allegentur, paginis plus sexaginta. Ob incrementa etiam materiarum, lectoribus subsidium memoriæ præbetur, subjuncto indiculo, sive breviario gestorum præcipuorum totius seculi. Hoc compendium in seculi XII rebus inceptum & postea usque ad nostrum hoc Tomo IV continuatum est. In Genealogiis etiam regiis illustribusque aliis præclaram operam navavit Autor, allegans & examinans autores, eique quem probabiliora tradere credit, assentiens. Ita e. g. p. 277 in genealogia Hugonis Capeti, Aimoino Adonem Viennensem, Rheginonem Prumiensem & Abbonem Floriacensem contemporaneos præfert, & Hugonis paternum genus a fratre Caroli Martelli deducit. Saxonis vero nomen Hugoni ob maternam originem inditum fuisse statuit. Tertia enim patris ejus Hugonis, quem Magnum & Album cognominabant, Ducis Francorum, uxor Hedvvigis a *Flodoardo* traditur Henrici Ducis Saxoniæ filia, & soror Ottonis Regis fuisse. Ita vero excrevit labor Autoris cum seculorum progressu, ut cum Tomus II secula novem contineat, tertius non nisi duo, & quartus unum tantum, id est seculum XVI ab a. 1500 ad 1600 enarret. Hujus allegata documenta aut annotationes ad numerum 827 ascendunt; magna utique farrago aut thesaurus quidam diplomatum & insignium excerptorum ex editis & ineditis libris, tum annotationum memorabilium. Appendicis loco p. 708 Ludovici XIII & ejus, qui nunc rerum potitur, Ludovici XIV Regis Christianissimi, Principes contemporanei, dein liberi legitimi & naturales, & tandem officialium præcipui enumerantur.

Pauca quædam in rebus Germaniæ, quæ aliquam emendationem admittunt, bona, ut speramus, Autoris cum venia monere licebit. Exteros enim in talibus ab indigenis informari, non est inconveniens. v. g. Tom. I. p. 204. *Steigerwald*, Sylva Franconiæ, ad

ad Halberstadiensem diœcesin referri non debuisset. P. 244. sub voce *Tribocci*, Archiepiscopatus Argentoratensis memoratur, qui non est nisi Episcopatus; sed typographi erratum id esse putamus. Tom. II. p. 28. Sylva Hercynia seu Cherusca (der Hartz) in Thuringiæ quidem finibus est, sed pertinet ad Saxoniam inferiorem, & eo rectius relata fuit p. 204; nec minus probabiliter alii Sylvam Thuringicam, satis magnam & celebrem, sub Bacenis nomine intelligunt. P. 32. Ducatus Saxo Hallensis incongrue ita nominatur: Hallensis enim urbs cum vicina regione non ad Saxoniam superiorem, sed ad inferiorem pertinet, & partem facit Archiepiscopatus, sive ut nunc vocari debet, Ducatus Magdeburgensis, qui mortuo Administratore ex Serenissimis Saxoniæ Ducibus, qui eum ad vitæ tempus tenebat, Brandenburgici juris factus est.

PHILIPPI A LIMBORCH, DE VERITATE Religionis Christianæ, amica collatio cum erudito Judæo.

Goudæ, apud Justum ab Hoeve, 1687, in 4.

NOmen inter Remonstrantes non incelebre consecutus *Caspar Barlæus*, necessitudine Menassis ben Israel Amstelodami quondam utebatur arctiori, quam Christianum colere cum Judæo decebat, cumque Amicum hunc suum problemata de Creatione emittentem epigrammate haud illepido doctissimus Poeta fidei suæ certum reddidisset, *se fore Christiadem, ipsum Abramidem, & utrumque diversa licet sapientes, amicos Deo futuros*, animadversionem meruit Nicolai Vedelii, binos ipsi de deo Synagogæ libros tum opponentis. Qualem tantum quidem abest, ut ejusdem Sectæ Amstelodami Theologus hodie famigeratissimus, *Philippus a Limborch* (cujus *Theologiam Christianam* mense Octobri A. M DC LXXXVI p. 515 recensuimus) sibi metuat, ut laudem potius atque assensum omnium speret, quippe qui *veritatem religionis Christianæ contra Judæum* hoc scripto propugnarit, eumque falsæ religionis convictum ad assertam religionem Christianam, in qua sola animæ salus expectanda, convertere conatus sit: veremur tamen, ne hæc *Collatio cum Judæo* nimis *amica* videatur Theologis; non quod modestia utrinque

trinque adhibita displiceat, sed quia in ipsis rerum momentis ea Judæo indulget, quæ Judæus ipse judicat esse nimia. Nam & veniam præfatur concedendam Judæo, quod contra religionem Christianam liberius & durius scripsisset, & eum pariter ac cæteros Judæos ab idololatria passim absolvit, *se illorum Christianorum, qui Judæos criminis horrendi, quasi non verum Deum, sed tantum idolum agnoscerent, reos agunt, neutiquam approbare, verum in ea esse sententia, nos simul Christianos & Judæos in unum eundemque Deum, cœli & terræ creatorem, quique Israelem ex Ægypto eduxit credere*, ceu loquitur in responsione ad secundum scriptum Judæi *cap. III p. 28.* & mox *p. 29*: *Judæi*, inquit, *in hodiernum usque diem, licet peccatores ut cæteri, ab idololatriæ tamen crimine puros se conservant.* Sane Judæus in scripto tertio, *q. III. num. I. p. 95* miratur, ipsum contra plurimos, tantumque non omnes Doctores Christianos fateri, Israelem in verum Deum adhuc credere: ac grates quidem ei rependit, quod sibi hoc concedat, nec Judæos modernos, sicut alii, barbaros judicet, a vero Deo alienos; addit tamen, (quod in ruborem dare Christianum poterat) propter necessitatem fidei in Messiam, si jam advenisset, perinde esse, ac si non crederent; quippe dummodo fidem in Messiam non habeant, eodem prorsus modo condemnatum iri, ac si in verum Deum Israelis non crederent, ac si idolum adorarent pro Deo. Præterea cavet Limborchius, ne Judæus ille eruditus, quo cum collationem istam de religione instituit, ægre ferat, suis scriptis subjungi libellum alterius Judæi, sed apostatæ & athei, *Uriels a Costa*, adversus Amstelodamensem Judæorum Lusitanorum Synagogam consignatum, quod suspicari quis posset, utrumque, & doctissimum Judæum, & hominem pessimum eodem loco se habere. Utque illum demulceat, non Christianæ tantum, sed & Judaicæ religioni patrocinari se scripti hujus refutatione gloriatur, & Judæum ad socias operas necessariæ confutationi impendendas invitat. *Refutatio*, inquit p. 325, *mea, qua argumenta ejus diluo, non tantum Evangelii, sed & legis Mosaicæ divinitatem confirmat: cui si quid doctissimus Judæus addit, quo legis divinitas fortius adstruatur, gratiam apud me inibit, quam & apud ipsum, legem contra hujus criminationes vindicando, imiturum me confido.* Sic enimvero exigebat communis discipulorum ex Arminii schola prodeuntium doctrina, cui etiam

etiam totus disputandi processus consonat, in hac Limborchii cum Judæo collatione conspicuus, quando & Christum esse novi fœderis Legislatorem cum Mose hoc nomine conferendum supponit, & ex solis Veteris Testamenti libris Judæum convinci posse desperat, ratus idcirco alia, quam communiter fieri soleat, methodo insistendum. Nempe de religionis Christianæ fide historica & revelationis certitudine agendum primo, & hoc demum posito fundamento dogmata illa, quæ Judæis offendiculo sint, probari posse judicat. Hinc ea argumenta Judæum poscit, quibus motus Mosen agnoscat Prophetam & Legislatorem divinum; quæ bona esse ac solida admittit, ut iisdem validius divinam Jesu Christi, tanquam Christianorum Legislatoris, missionem adstruat.. Cætera Christianorum dogmata, quale est de SS. Trinitate, & ejusmodi plura a Judæo in tertio inprimis scripto non omissa, studiose declinat, quod putet, contra hominem Novi Testamenti autoritatem negantem frustra disputari de dogmatibus alibi aut non, aut saltem non clare revelatis, quorum proinde fides divinam Novi Testamenti autoritatem præsupponat: ac proinde sufficere, ut contra Judæum sola Evangelii divinitas adstruatur, de qua si argumentorum pondere convictus sit, eadem opera omnium quæ Evangelium tradat dogmatum veritas & divinitas ipsi comprobata fuerit.

Auspicium collationis fecit *Judæus* oblato *scripto*, quod in hoc Opere *primum* est; in quo supposita fidei in Messiam necessitate, hoc dubiū sibi a Limborchio solvi petit, quare Deus, cum fidem in seipsum toties in Veteri Testamento Israelitis injunxerit clarissime, nunquā tamen fidem in Messiam, in qua tota salus consisteret, commendarit? indeque sibi quatuor loca cupit designari, (1) in quo Deus expresse mandaverit, fidem in Messiam esse ad salutem generis humani absolute necessariam, adeo ut qui non crediderit damnandus esset. (2) in quo Deus dixerit, unicum medium ad salutem Israelis, & restitutionis in divinam gratiam, esse fidem in Messiam, qui jam advenerit. (3) in quo Deus Israeli propter Messiam fide non apprehensum exilium, imo & æternam reprobationem adjudicarit nisi in Messiam exhibitum crediderit. (4) in quo dixerit Deus, legalia omnia, exceptis moralibus, umbram & figuram futurorum in adventu Messiæ adimplendam, atque adeo fere omnia in lege divina inque Prophetarum monumentis revelata mystice & tropo-

logice, posthabito sensu literali, explicanda esse. *Limborchius* ut Judæo satisfaceret, scriptum ejus *responsione* sua excepit, in qua ad præliminarem quæstionem generatim observat, fidem nostram accommodandam esse revelationi divinæ, nosque ad fidem cuivis veritati a Deo revelatæ adhibendam, etsi nullum credendi præceptum addatur, obligatos esse; quæ quidem fides pro ratione & modo revelationis divinæ vel distinctior, vel obscurior sit. Ex hac observatione dein elicit responsiones speciales: ad *primum*, necessarium non fuisse, ut Deus in Veteri Testamento mandaverit, aut expresse dixerit, fidem in Messiam absolute necessariam esse ad salutem humani generis, adeo ut qui non crediderit damnandus esset; sed sufficere, Deum dixisse, se Messiam missurum, & postea per Messiam, quando in mundum venerit, voluntatem suam plene declarasse: ab hoc enim tempore distinctam & expressam fidem in Messiam necessariam fuisse. Ad *secundum*, idem & hic valere: sufficere enim, Deum per Messiam postea, quam in mundum venit, declarare, unicum medium ad salutem Israelis, & restitutionis in divinam gratiam, esse fidem in Messiam jam exhibitum; quæ fides absque pœnitentia esse non possit. Ad *tertium*, non necesse fuisse, ut Deus olim dixerit, Israelem propterea quod in Messiam non credat in exilium missum & dispersum iri, æternumque damnandum nisi Messiam adveniisse crediderit; sed sufficere, quod Deus Israeli Messiam promiserit, inde enim manifestum esse, voluisse Deum, ut quando veniret, reciperetur & agnosceretur, ac proinde neminem, qui eum recipere nollet, beneficiorum ipsius participem fore. Ad *quartum*, cum monuisset sensum literalem nullibi insuper habendum, sub ejus tamen cortice alium sublimiorem latere, qualem ipsi Judæorum Cabbalistæ investigare soleant, hoc inquit necesse itidem non fuisse, ut Deus olim dixerit, omnia legalia, exceptis moralibus, umbram & figuram esse futurorum; sufficere, monuisse olim Deum, sibi cultum illum ceremonialem absque morali non placere, & postea per Messiam cultum perfectiorem introduxisse, qualem & templum dirutum, cui olim externus ille cultus alligatus erat, hodie evincat. Neque etiam exegisse Deum, ut ante Mesiæ adventum sensum mysticum dilucide intelligerent, modo ceremonias in lege demandatas & ad literam intellectas observarent, donec adveniente

ente Mesia discerent, umbram fuisse cultus spiritualis, quæ tum evanescere sensim deberet. Hæc postquam ad singula Judæi quæsita Limborchius respondit, in alia ipsum pellecturus coronidis loco vicissim quærit: *Quibus argumentis moti Judæi Mosen agnoscant Prophetam & Legislatorem divinum?*

Judæus responsione ista non contentus, *secundum scriptum* Limborchio opponit. Et in generali quidem ejus responso statum quæstionis turbatum queritur: id enim solum adstruere Limborchium scribit, Deum per Prophetas Israeli Messiam Liberatorem non obscure promisisse, atque ideo nullo opus fuisse præcepto, quo ipsi fides de Mesia olim venturo demandaretur. Hoc vero neminem Judæorum negare inquit, qui hodieque omnes divinæ revelationi fidem adhibentes Mesiam credant adventurum. Non ergo quæsitum fuisse, an Deus Mesiam promiserit, adeoque sine expresso Dei præcepto alio Mesiæ adventus aliquando futurus debuerit credi? sed an fidem in Mesiam ullibi commendaverit, & in ea hominis salutem consistere Israelem docuerit? Cujusmodi locum quando Limborchius in Scriptura Veteris Testamenti extare negat, simulque negat necessarium esse, ut extet; Judæus e contrario necessitatem istam ex hypothesi Christianorum infidelitatem Judæis exprobrantium urget, qui sibi vel unum saltem ex universo Veteri Testamento locum ostendere teneantur, in quo Deus (licet non sub formalitate præcepti) fidem in Mesiam venturum ad hominis salutem necessariam esse revelarit. Quæ multis persequitur primo, deinde ad speciales responsiones a Limborchio datas applicat, ad quas nec alia ipsi desunt quæ regerit. Tandem ut ad quæstionem sibi coronidis loco ab illo propositam respondeat, e tribus potissimum argumentis constare ait Judæis, Mosen Prophetam & Legislatorem divinum esse. (1) Ex eo, quod Deus id patribus adeo clare manifestarit, ut nullum ipsis de eo dubium esset; nec ullum superesse modernis, qui hoc ab illis traditione nunquam interrupta acceperint. Quæ traditio in sua origine & radice verisima, & a patribus ad filios propagata, omni prorsus suspicione fraudis careat, longeque aliter se habeat, atque ea, quæ ab hominibus unius ad alterius nationis homines in varias orbis partes transfertur; cujusmodi sint ficta Numæ Pompilii apud gentiles divinitas, & in Christianismo Papistico

pistico infinita Divorum miracula, ad populum pia fraude decipiendum a Monachis excogitata, quibus nostro quoque tempore clareat Avianus Capuccinus, & populos pariter ac principes sanctissimus impostor circumveniat. (2) Ex Mosis prophetia, quæ suam ipsa divinitatem evidenter demonstret. Nam cum futura contingentia nemo certo præcognoscat, præter Deum solum, qui Prophetis ea revelarit, indeque divinitatem suam interprete Jesaia asseruerit: *Nonne ego vobis futura prænunciavi? quærite a diis gentium, an hoc etiam facere possint?* Mosen ista scribit clare, aperte, perspicue, cum individualibus circumstantiis pronunciasse, quæ postea accurate impleta omnes etiamnum, in præsente cumprimis exilio, plus satis experiantur. (3) Ex Danielis testimonio, cujus vaticinium de templi & urbis post LXX hebdomadas, id est CCCCXC annos, futura devastatione, deque sacrificii in medio ultimæ hebdomadæ cessatione, elapso hoc tempore impletum, divinitatem prophetiæ Danielis confirmet; qui cum non Romanus, non Græcus, sed Judæus fuerit, diligens observator Mosaicæ legis, cujus in eadem hac prophetia sua & commendarit revelationem, & transgressionem deplorarit, hoc ipso Mosi testimonium perhibeat, fuisse Prophetam & Legislatorem Divinum. Hæc summa est scripti Judaici secundi, cui *Limborchius responsionem sex capitibus distinctam* reposuit, in quorum *primo* statim sententiam suam de fide in Messiam sub Veteri Testamento olim requisita declarat. Agnoscit Christianum dogma, unicum ad salutem æternam medium esse fidem in Jesum Christum, sed hoc de Novi Testamenti tempore solum intelligit. Ab Adami lapsu enim fidem expressam in Jesum Christum futurum Redemptorem perinde fuisse necessariam, adeo ut sine distincta in ipsum fide nemo salutem æternam consequi potuerit, negat in Scriptura uspiam reperiri, adeoque nec ut dogma Christianum recipit. Et ex hoc principio disputat cum Judæo *de quæsito primo*: negat Patrum V. T. fidem de Christo distinctam fuisse, sed accommodatam revelationi divinæ: Messiam fore Regem ipsos concedit agnovisse, sed ignorasse rationem regni illius: Deum ista verbis figuratis prædixisse Israeli, quod cum misericordia ejus non pugnet, nec causa Israeli sit erroris &c. Capite *secundo* quæsitum *secundum* ventilat, & demonstrare satagit, non requiri, ut Deus omnia, quæ Messiæ munus

nus spectant, clare per Prophetas prædixerit, nec dici posse, legibus umbraticis Deum decepisse Israelem: pœnitentiam *Deut. XXX, 1. seqq.* præscriptam respicere tempora captivitatis Babylonicæ: promissam felicitatē Israelitas non consequi ob spretum Messiam: separationem populorum factam esse propter Messiam, & in Messia desinere debuisse: sine Messia nullam Deo gratam esse pœnitentiam. Capite *tertio* ea vindicat, quæ ad *quæsitum tertium* responderat Judæo, ac denuo urget sufficere, Messiam a Deo esse promissum; inde enim evidens esse, quando veniret esse recipiendum, nec posse absque gravi peccato & divini Numinis offensione eum rejici: negat aliam præsentis diuturnæ Judæorum dispersionis causam posse dari, quam Messiæ rejectionem: explicat etiam, quis status prognatorum ex Judæis in Christum credentibus, sub regno Messiæ, qualem Judæi expectent: locum *Deut. XIIX, 15.* prophetis Mosen ad Messiam usque secuturis ita applicat, ut in ipso Messia quoque impletus esse intelligatur. Capite *quarto* de lege ceremoniali agit, eamque umbram esse cultus spiritualis ostendit, quod *prius membrum quæsiti quarti* erat, & circa *posterius* agit Capite *quinto* de sensu literali nunquam rejiciendo, deque explicationibus prophetarum mysticis in Evangelio. Capite *sexto* responsionem sibi a Judæo ad quæstionem suam de divina Mosis autoritate datam, in usum quem intenderat, convertit, & ratione duorum priorum argumentorum (tertio insuper habito) comparationem inter Mosen & Christum instituit, ad asserendam Christo prærogativam. Atque ita (1) in utriusque miracula, quorum ea, quæ Christus fecit, & plura, & majora, & certiora sint Mosaicis; (2) in utriusque prædictiones futurorum contingentium, quibus itidem Mosen Christus superet, inquirit.

Sequitur *tertium Judæi scriptum*, binis prioribus multo operosius, ad quod conficiendum se inopinato a Limborchio adductum monet. Sic enim quæsitum suum in disputationem de Religionis Christianæ veritate præter intentionem degenerasse, cum sibi sufficerit, fassum Limborchium, nihil eorum, quæ inquisiverit, in Veteri Testamento clare haberi. Ordinem tamen quæstionū initio propositarū tenet. Occasione *quæsiti primi*, datæq; ad illud responsionis, queritur de difficultate disputandi cum Christianis in tot sectas divisis,

rum uni quod orthodoxum, alteri improbabile sit: didicisse se ex Christianis doctoribus, fidem in Messiam fuisse necessariam generi humano inde ab Adami lapsu, & hoc dogma veluti Christianum supposuisse; Limborchium contra negasse necessitatem hujus fidei ante Messiæ adventum, quam Deus fidem, saltem juxta ipsius & cæterorum sectæ ejus doctorum opinionem, non juste ab hominibus exegisset. Fidem revelationi debere semper esse conformem Limborchio concedit, sed inde infert, Judæos non aliud Messiæ regnum expectare posse, quam terrenum, tale enim per Prophetas clare prædictum esse. Perspicuam scribit esse revelationem in Veteri Testamento de Messiæ officio, quando Rex in throno Davidis futurus promittitur, quod non possit non de terreno regno accipi, siquidem Davidis regnum non magis in cœlo fuerit, quam Romani Cæsaris. Caput LIII Jesaiæ non de Messia, sed de populo in hac captivitate constituto explicat. Negat, doctrinam de Messia ben Ephraim de fide Judaica esse, sed esse Doctoris alicujus Talmudici opinionem. Negat, humanum genus unquam sub Dei maledictione fuisse, nec se legisse ait in historia a quatuor Evangelistis scripta, secretum hoc a Christo fuisse detectum: id ergo putat inventum postea a Christianis, ut aliis dogmatibus substerneretur. Negat, Judæos a lege defeciisse, si maxime Messias prædictus esset Rex cœlestis; & ad Chiliastas, nec paucos, nec indoctos, nec Christo infideles, Apocalypseos prophetiæ innixos provocat. Negat Veteris testamenti Scripturam Evangelio illustrari; potius majora dubia inde nata, non in rebus parvi momenti, sed quæ ad religionis essentiam pertineant, circa Trinitatem, Christi divinitatem, æqualitatem & consubstantialitatem cum Patre, personalitate, humanitatem, corporalem aut sacramentalem præsentiã in Eucharistia, in sacramentorum numero & essentia, in baptismate, an de necessitate salutis sit, nec ne? Inde Ebionitas, Arianos, Anabaptistas, Manichæos, Socinianos, & sectarios alios quam plurimos prodiisse ait, imo & idololatriam Papisticam, quam veluti ab Apostolis traditam totus Christianismus plusquam per mille & trecentos annos defenderit: hos fructus adeo amaros diversam Veteris & Novi testamenti intelligentiam peperisse; tantum abesse, ut doctrina Christi Prophetarum ac Mosis vaticiniis lucem affuderit. Ex his porro concludit, Judæos per tot secula ecclesiam

clesiam Christianam forte ingressuros idololatriam Papisticam amplecti debuisse, quando non alius patebat aditus, nisi ad Manichæorum vel Arianorum hæresin confugissent, quæ difficultas adhuc vigeat, dum Christianismum non unam, sed plures sibique contrarias ecclesias videant. Hæc & mille alia Judæus tum circa hoc primum, tum *reliqua tria quæsita* Limborchio objicit, quæ recensere omnia nimis prolixum foret. *Limborchius* tamen *Responsione sua ad hoc tertium Judæi scriptum* singula conatus est excutere, & ostendere Judæo, nihil ab acutissimi ingenii homine potuisse excogitari contra religionem Christianam, & contra argumenta, quibus illius veritas ac divinitas adstruitur, quin facili negotio ita plene dissolvi possit, ut nulla, quæ fidem in Christum remorari debeat, superfit difficultas. Ordinem vero hactenus observatum immutat, & Evangelii divinitatem, iis argumentis, quibus divinitas Legis a Judæo adstruebatur, *primo* confirmat, *deinde* objectionibus Judæi contra religionem Christianam occurrit. *Prius* illud septem capitibus absolvit, quorum I. miracula Christi illustriora fuisse monstrat Mosaicis; II. veritatem historiæ Novi Testamenti probat; III. argumenta hinc Legis, illinc Evangelii divinitatem asserentia inter se confert; IV. Traditionem Judaicam cum Christiana comparat; V de lege Judæorum orali agit; VI explicat, quæ & quanta sit certitudo, liberos Veteris Testamenti incorruptos ad nos pervenisse; VII majorem propugnat esse certitudinem, Novi Testamenti libros incorruptos ad nos pervenisse, quam libros Veteris Testamenti. *Posterius* ita expedit, ut vestigia Judæi secutus ordinem quæsitorum Judaicorum observet. Ad *quæsitum primum* asserit Cap. I. necesitatem fidei in Christum. Cap. II. officia Messiæ sub Veteri Testamento non fuisse plene revelata, sed sub typis & umbris, quod Cap. III. rationibus confirmat, & Cap. IV. ab objectionibus vindicat. Cap. V. Sensum Scripturæ spiritualem Judæis prius esse revelatum, quam gentibus. Cap. VI. spem remissionis peccatorum & vitæ æternæ per legem nullam fuisse. Cap. VII. Judæos non ex ignorantia invincibili Jesum rejecisse. Cap. IIX. ea quæ Gentibus ad persuadendum Evangelium sufficiunt, sufficere etiam Judæis. Cap. IX. Judæos Regem cœlestem certo sensu vidisse. Cap. X. Prophetas cœleste Messiæ regnum insinuasse. Cap. XI.

XI. pleraque a Prophetis prædicta in Jesu Christo impleta esse. Ad *quæsitum secundum* docet Cap. I. non recte exigi, Prophetas omnia, quæ Christus docuit, exacte prædicere debuisse. Cap. II. verba Mosis Deut. XXX. proprie agere de captivitate Babylonica. Cap. III. Judæos Messiam ad se missum & rejicere potuisse, & actu rejecisse. Cap. IV. de modo operationis divinæ gratiæ, & de libero arbitrio. Cap. V. separationem populorum factam fuisse propter Messiam, & in Messia desinere debuisse. Cap. VI. de præsenti Judæorum dispersione, & qua ratione in ea tanquam populus separatus subsistant. Cap. VII. de sensu Prophetiæ Dan. IX, 24 seqq. Ad *quæsitum tertium* ostendit Cap. I. non necesse fuisse, ut omnia Messiæ munus concernentia clare per prophetas prædicerentur. Cap. II. præsentis Judæorum dispersionis causas, & diuturnam durationem. Cap. III. dispersionem hanc non esse continuationem captivitatis Babylonicæ. Cap. IV. collationem inter peccata, quæ Judæi ante captivitatem Babylonicam, & ea quæ post illam commiserunt, & adhuc committunt. Cap. V. vanitatem causarum hujus captivitatis, quas Judæi credant. Cap. VI. potuisse Messiam, etsi ad populi salutem venerit, rejici. Cap. VII. quis in redemtione, quam Judæi credunt, status futurus sit oriundi e Judæis, qui Christo nomen dederit. Cap. IIX prophetiam Deut. XIIX. agere de Messia, & in Jesu impletam. Cap. IX. doctrinam Jesu Christi non pugnare cum lege Mosis. Cap. X. non requiri in Propheta vero, ut a Judæorum senatu approbetur, neque Senatum illum fuisse infallibilem. Ad *quæsitum quartum* docet Cap. I. Christum perfectiorem cultum præscripsisse quam Mosen. Cap. II. cultum externum seu ceremonialem esse imperfectiorem, Deoque minus placere, quam internum seu moralem. Cap. III. ob quas causas Deus cultum externum abrogare possit. Cap. IV. Legem ceremonialem a Deo non esse datam, ut nunquam desineret. Cap. V. Deum cultum ceremonialem aliquando cessare voluisse. Cap. VI. de sensu Scripturæ literali & mystico. Ista cum Limborchius confecisset, iterum iterumque rogat Judæum, ut in timore Domini attente singula expendat, iisque accurate pensitatis unice gloriam Dei spectet, & animum suum Deo in obsequium flectat.

Cæterum nec inutilem, nec ingratam Orbi Christiano se rem facturum idem credidit, si collationi huic cum Judæo subjungeret & refutaret *scriptum hominis professione aliquando Judæi, reipsa Athei*, quo omnem generatim religionem revelatam, tam Mosaicam quam Christianam impugnavit. Autori nomen a parentibus hæreditarium est *Acosta*, præter quod & *Gabrielis* cum baptizaretur, & *Urielis* cum circumcideretur, est indeptus. Natus enim est parentibus Christianis in Portugallia, sed qui originem a Judæis traxerant, ad Christianam religionem vi compulsi. Hinc baptisatus, inque Christiana quidem religione, qualem Pontificii profitentur, educatus, atque ad ecclesiasticum Thesaurarii in Collegiata Ecclesia beneficium admissus fuit, postea tamen de religione cœpit dubitare, & annos natus unum & viginti ad Judæos Amstelodamum pervenit, ibidemque suscepta circumcisione ipsorum proselytus factus, avitam religionem repetiit. Mox cum illa quoque displiceret, excommunicatus, atque iterum multo post tempore pœnitentiam testatus, per severam, qualem quidem non metuerat, animadversionem a Synagoga receptus est. Quam ille graviter molesteque ferens, in fratrem, quem castigationis hujus autorem credidit, ædes suas prætereuntem sclopetum vibravit, sed cum frustrato ictu non exploderetur, se detectum videns, subito domus suæ janua clausa alterum, eum in finem paratum, in se sclopetum explosit, seque ipsum miserandum in modum trajecit. Repertum in αὐτοχειρ. ædibus est hoc scriptum, cui ipse titulum fecerat, *Exemplar humanæ vitæ.* Id duabus partibus constat, in quarum altera tragicam vitæ suæ historiam Autor texit, in altera acerrime invehitur in Judæos, a quibus se gravissime læsum, & indignis modis tractatum conqueritur. Simul vero Magistratum Amstelodamensem reprehendit, quod tantam Judæis libertatem atque insolentiam indulgeat; atque ea immiscet, quibus & omnis divina revelatio impugnatur, & omnis revelata religio, veluti falsa hominumque fraude conficta odiose traducitur. Limborchius ergo scriptum illud, quod avunculo suo Simoni Episcopio se debere fatetur, cum brevi refutatione recenset, in qua post apologiam pro Magistratu Amstelodamensi scriptam, argumenta Urielis pro religione naturali contra revelatam allata ad examen vocat.

CASPARIS ZIEGLERI SUPERINTENDENS ad normam Constitutionum ecclesiasticarum in Electoratu Saxoniæ descriptus.

Dresdæ, apud Mich. Guntherum, 1688, in 4.

COmplura jam extant, præter alterius scientiæ monumenta insignia, præclara ad ecclesiasticum forum pertinentia & ex Canonici juris penetralibus & antiquitatis sacræ fontibus hausta, ab Auctore hoc, Viro magnifico & Consiliarii Electoralis Saxonici primariique Antecessoris in Academia Wittebergensi, ac Judiciorum ibi constitutorum vel Assessoris vel Præsidis amplissimis muneribus insigni, summa cum eruditione concinnata editaque scripta, ecclesiasticæ rei apprimis utilia. Ex quibus cum luculentissimus *ad Lancellotii Institut. Jur. Can. commentarius*, ac *de Dote Ecclesiæ*, *de Diaconis & Diaconissis*, de *Officio Judicis*, de *Episcopo milite*, ad *can. Red integranda*, de *Baptismate non iterando*, & de *Clerico renitente* commentationes Actorum nostrorum ætatem anteverterint, istos saltem quos *de Juribus majestatis*, de *iniquitate Advocatorum* & *de Episcopis* evulgavit tractatus, referre in ea licuit; queis jungendus merito, qui jam prodiit, insignis & ad disciplinam ecclesiasticam quam maxime faciens *de Antistitum sacrorum officio* commentarius. Disserit in eo primum Auctor de necessitate ministerii ecclesiastici, atq; in eo non minus ac in aliis quibuscunque societatibus ordinem commendat, & ex hoc ὑπεροχὴν Superintendentis in Ecclesiis Saxonicis, unde ea suam habeat originem & quousque se extendat, speciatim exponit. Consistere eam ait in potestate admittendi novum Pastorem ad concionem δοκιμαστικὴν, in potestate præsentandi, ordinandi, investiendi eundem, in potestate visitandi suam diœcesin, synodum habendi, itemque in cura tam scholarum quam orphanorum & viduarum, tum denique in inspectione quæ concernit ærarium ecclesiasticum. Nullam vero ei competere docet jurisdictionem, nullam potestatem dispensandi circa leges Ecclesiasticas, nec potestatem excommunicandi auctoritate propria, ut nec deprecationem publicam vel injungendi vel remittendi, nec licere in causis matrimonialibus contra matrimonium decernere quicquam; debere autem

autem eum in omnibus negotiis, quæ vel pietatem vel disciplinam Ecclesiasticam concernunt, leges præscriptas stricte observare, & facere ut eodem modo a Pastoribus sibi subjectis eædem serventur. Singulas has officii Antistitum in Ecclesiis partes ex Canonici juris decretis, & præstantissimorum Scriptorum placitis, cumprimis autem Saxonici Electoratus Constitutionibus Sacris & Consistoriorum in provinciis, quæ Serenissimo Electori parent, Responsis, perspicue explicat, & quid faciendum, quid cavendum sit Superintendenti, circumspecte ut fungatur & ex dignitate suo munere, docet Auctor consultissimus: ad tradendam ecclesiasticarum rerum disciplinam tanto aptior, quanto majori apparatu divinæ humanæque scientiæ, rerumque Theologicarum exactiori notitia instructus, causis Ecclesiasticis per Electoralem Saxoniæ circulum decidendis multos jam per annos egregiam ac salutarem navavit operam: quam ut porro præstare possit, nec a variis morbis & ingravescentis ætatis incommodis assiduum, quod per universam vitam litteris & egregio publico dedit, studium interpelletur, vovemus.

JOHANNIS FRIDERICI BOEKELMANNI, JCti Exercitationes de Actionibus.

Lugduni-Batavorum, apud Felicem Lopez, 1687, in 4.

CUm notum sit, quanto in pretio passim apud eos, qui Jurisprudentiæ suam addixerunt operam, habeantur *J. F. Bœckelmanni*, Antecessoris in Academia Lugdunensi quondam celeberrimi scripta; non potuimus, quin præsentem quoque partum ipsius posthumum Actis hisce nostris insereremus, tametsi multa de eo verba facere haud sit opus. Nimirum propositum Viro Consultissimo fuit, exercitationibus his doctrinam de Actionibus, omnium dubio procul utilissimam, quæque utramque in jure nostro fere paginam facit, exponere; idque non proletarie aut levi, quod ajunt, brachio, sed solide ubivis & accurate. Hinc quamlibet materiam e primis juris principiis ac fundamentis deducit, antiqua etiam jurisprudentia in medium adhibita, sicubi Justinianea ad pleniorem explicationem haud sufficere visa fuit; textus primo intuitu invicem contrarian-

ad commodiorem conciliationem non parum conferat,) quid a quo scriptum prolatumve sit, nusquam non solicite perpendit: unde vix legem hic allegatam reperies, quin autor ejus JCtus aut Imperator simul nominetur. Eum vero hoc in opere servavit ordinem, ut præmissis generalibus, denominationem, definitionem & divisionem concernentibus, actionum fontes, juris nempe tam in re, quam ad rem species perlustraret: & jura quidem in re absolvit prius, postea ad jus ad rem progressione facta, obligationum naturam ac diversitatem ubi generatim deduxit, ad species contractuum singulas descendere occupatus fuit; verum hic non nisi reales pertractare ipsi licuit: ad stipulationem enim progressum mors prævenit, ut adeo elegantissimum hunc laborem ad umbilicum usque pertexere ipsi haud fuerit integrum. Quod uti merito dolemus, ita vicissim exoptamus, ut si quid fortean aliarum ejus lucubrationum inter schedas Viri celeberrimi adhuc ineditum latitet, id perinde, uti præsens scriptum, publicæ luci utilitatique propediem exponatur.

Vollständige Deutsche Poesie / entworffen von M. Albrecht Christian Rothen.

id est,

Poetica Germanica absoluta, delineata per M. Alb. Chr. Rothium.

Lipsiæ, apud Hæredes Frid. Lankischii, 1688, in 8.

NAturam & artem poeseos Germanorum ab ultima antiquitate ad nos deductæ, inque elegantiam qua hodie gaudet efformatæ, tradere in hoc libro sategit Auctor, fortunam & fata ac ætates ejus, nec non præstantissimos quovis seculo qui floruere cultores, in Præfatione recensens, ipsum vero opus tribus partibus absolvens. Quarum prima *Præparationis* nomine insignita prosodiam continet, & de syllabis, rhythmis, ac generibus carminum in Germanica lingua usitatorum cognitu utilia tradit. Altera, quæ *Manuductio* appellari possit, tria potissimum argumenta exequitur: ostendit enim in qua materia poesis versetur, & quam varium thema tractet, quod in simplex & compositum dispescit, variaque genera tradit,

tradit, & unde ea petenda ac qua ratione unûquodvis pertractandum sit, non magis præceptis, quam pluribus a se elaboratis poematis ceu insignibus exemplis ostendit. Tertia, *Introductionis* titulo quam inscripsit, in ipsa penetralia poeseos Lectorem immittit, ac de fictionibus poeticis, eclogis, satyris, comœdiis, tragœdiis, epopoeia, disserit, quarum cognitionem non præceptis solum inculcat, sed illustribus etiam exemplis illustrat, Mosis cum Zipora connubium, Guarini Tragico-comœdiam quam *Pastor Fido* inscripsit, & Grotii *Christum patientem*, Homeri item Odysseam, ad leges poeticas exigens. Sub finem de fabulis poeticis, quas Gallico nomine Romains vulgo appellant, ex doctissimi Huetii commentatione, quam Happelius in Germanicam linguam, sicut Pyrrhus in Latinam, traduxerat e Gallica, convenienti loco maxime notatu digna profert.

PARALLELE DE L' HERESIE DES ALBIgeois & de celle du Calvinisme. i. e.

Paralleliſmus hæreſeos Albigenſium & Calviniſmi; authore Domino De la Valette.

Parisiis, apud Lambertum Roulland, 1686, in 4.

LIbelli hujus Autor moliri cœpit *Historiam Albigensium*, cum neminem peculiari justoque opere id ante se præstitisse animadvertisset. *Historiarum* enim *Valdensium*, (qui iidem cum Albigensibus,) a *Petro Ægidio* & *Johanne Legero* conscriptarum nullam rationem habuit, ea forsan de causa, quod ii magis, quam *Valettanus* vellet, Valdensium partibus faverint. Male enim hi Pontificiis audiunt, quod *traditiones ἀγράφους*, hincque dependentia, *purgatorium*, *invocationem sanctorum*, *preces pro defunctis*, *subtractionem calicis*, *Clericorum cœlibatum*, *primatum Romanæ ecclesiæ* & id genus alia rejecerint. Et hactenus quidem historici Romano-Catholici Protestantes haudquaquam dissentientes habent, utpote qui eandem doctrinam Waldensibus tribuunt, hincque de eorum consensu non perfunctorie sibi gratulantur. At, quod confidenter addit Valettanus, docuisse eosdem, *Deum veteris testamenti fuisse homicidam & mendacem*, *universos Patriarchas damnatos esse*, *Christum*

non corpus humanum, ſed corporis tantum phantasma aſſumpſiſſe, Johannem Baptiſtam Dæmonem fuiſſe, de hoc magna adhuc inter Pontificiorum plerosque & Proteſtantes agitatur controverſia. Ipſe ſane Cardinalis *Sadoletus* (*Thuano* laudatus) faſſus eſt ingenue, affingi talia Valdenſibus per invidiam. Optandum igitur, ut Valettanus opus ſuum ad finem perducat, eique inſerat, ſi quæ habet, acta ac monumenta ἀνέκδοτα, unde liquido conſtet, Albigenſes ab Adverſariis blaſphemiarum illarum jure meritoque inſimulatos, indignosque adeo eſſe, quorum nomina in TESTIUM VERITATIS CATALOGIS legantur.

Dum vero hiſtoriæ huic ſuæ concinnandæ ac perpoliendæ incumbit Autor, prodromi loco præmittendũ interim duxit PARALLELISMUM HÆRESEOS ALBIGENSIUM ET CALVINISMI, in quo cumprimis urget, utriusque aſſeclas & dogmata nonnulla communia, & fata in Galliis eadem propemodum habuiſſe. Uti enim *Albigenſes ſub Ludovico VI* in cœtum a Romana eccleſia ſeparatum coaluerunt, majoraque indies ſub *Ludovico VII*, *Philippo Auguſto* & *Ludovico VIII* habuerunt incrementa, ſub *Ludovico* dein *Sancto ſive IX* huc illuc diſperſi, ac a *Philippo Audace* & *Philippo Pulchro* crebris adeo ſuppliciis affecti, ut ſub *octavo* tandem Rege *Ludovico X* Albigenſium nomen plane extirpatum fuerit: ita Calvinismum obſervat cœpiſſe ſub *Franciſco I*, ſuccreviſſe imperantibus *Henrico II*, *Franciſco II*, *Carolo IX*, *Henrico III*, *Henrico IV*, decreviſſe vehementer ſub *Ludovico XIII*, abs *octavo* denique Rege, moderno *Gallorum Monarcha*, toto paſſim regno funditus eradicatum eſſe.

Quantopere vero LUDOVICUS Magnus non catholicæ tantum fidei, ſed & regni regiæque ſuæ perſonæ ſecuritati hac ratione proſpexerit, Valettanus probat exemplo Calvinianorum *Vivarienſium*, qui anno abhinc quarto pro templis ſuis cum regiis copiis aperto Marte manus conſerere auſi ſint, anſamque hoc ipſo dederint motibus, qui Reformatorum res penitus tandem in Galliis everterunt. Hac fini Hiſtoriam rebellionis illius accurate adeo texit, nulla temere perſonarum, locorum ac temporum circumſtantia prætermiſſa, ut mirari poſſes, Pontificium univerſa iſthæe, clanculum præſertim agitata, explorare ac reſcire potuiſſe.

DE

DE VULNERIBUS JESU CHRISTI NAZARENI Tractatio Philologico-Hiſtorico-Theologica, conſcripta a Johanne Nicolao Jacobi, SS. Theolog. D. ad S. Matthiæ Paſtore & Superint. Leiſnicenſi.

Lipſiæ, apud Joh. Chriſt. Wohlfart, 1686, in 8.

CUm A. 1663 in Academia Wittebergenſi Theologiæ ſtudio incumbens plurimum Reverendus Auctor, diſputationem de Vulneribus Chriſti, ſub præſidio D. *Johan. Andreæ Quenſtedii* Prof. Theologi habuiſſet, eandemque de eodem argumento agentes laudarent, Typographi autem inſcio illo aliquoties excudiſſent non ſine mendis & vitiis, commotus ipſe eſt, ad reiterandam non ſolum editionem, ſed & ad illuſtrandam totam eam nobiliſſimam materiam pleno commentario, cujus partem generalem nunc edidit.

Diſputatio ipſa, Wittebergæ olim habita, præmiſſa legitur. Commentarius uberior etymologiam, ſynonymiam, homonymiam nominum, *Vulnerum*, *Jeſu*, *Chriſti*, *Nazareni* prolixe affert: Exiſtentiam vulnerum Chriſti adſtruit non ſolum contra hæreticos varios, ſed & atheos modernos, in quibus recentiſſimus empæcta *Matthæus Knuzenius* peculiariter refutatur: Definitionem vulnerum Jeſu Chriſti eam facit, quæ non vulnera ſolum majora quinque, ſed quicquid in omni vita, potiſſimum tamen in paſſione ſpecialiter dicta, cruentationis ac læſionis ſanctiſſimo corpori Jeſu accidit, complectatur. Juxta cujus ductum procedens, deinde cauſas eorum *efficientes*, ſive principales, ſive miniſteriales & inſtrumentales, ſive impulſivas, *ſubjectum*, *formam*, *finem*, *effectus* atque *fructus*, *conſequentia & adjuncta* aliaque huc pertinentia copioſe declarat. In quorum tractatione non pauca Scripturæ S. loca diligenti ſtudio explicantur. Nec deſunt libro ſufficientes indices dictorum Scripturæ, vocabulorum Græcorum & Hebræorum, rerum & perſonarum.

EXEMPLAR EPISTOLÆ A DN. VEAY, MEDICO Tholoſano ſcriptæ ad Dn. de St. Uſſans, de Hermaphrodito formæ admodum inſolitæ in ea civitate: communicatum à D. Aglionby, Regiæ Societatis Sodali.

Translatum e Transact. Philoſ. Anglic. 1686. num. 186. pag. 282.

Rem

REm valde extraordinariam tibi, Domine, communicatum eo, quæ aliquot inde diebus mihi obtigit in Hospitali S. Jacobi, ejusque parte, quæ fœmineo sexui dicata est, ubi per semestre hoc agendi ordo me tangit. Allata istuc est ægrotans ancilla Androgynos. Oriunda est Purdiaco, loco septem Tholosa milliaribus dissito; pro fœmella olim baptizata fuit, impositio ei Margaritæ nomine. Patrem habet virum pauperem Purdiacensem, cui nomen Malause. Ipsa annum agit 21 aut 22, satis quidem exterius speciem fœmineam exhibens, at reapse notas masculi valde potentis. Vultum habet muliebrem nec ingratum, collum nitidum mammasque tales, ut vix pulcriores in puella desideres, nates & femora obesiora, ut in fœminis esse solent; partes naturales omnino muliebribus similes, nisi quod fissura profunditatem modo attingat duorum digitorum transversorum mediocrium, & medio hujus rimæ prôpendeat membrum virile mole sat notabili, quodque erectum ad octo usque pollices semet exterius exserat. Membrum hoc bene formatum est, nisi quod præputio careat, testiculisque apparentibus destituatur. Urina & semen inde prodeunt, perinde ut apud viros; quodque hic speciale est, sanguis menstruus etiam per eundem virgæ canalem manat. Ægre id ipse crederem, nisi præsens vidissem, & exactissime examinassem eo tempore, quo menses ei fluebant; quod quidem ipsi contingit per singulos fere anni menses, dum raro bimestre spatium elabitur, quin eosdem patiatur, at fere semper gravibus cum doloribus, ac tensione in ima ventris regione, quæ inflammationis speciem in hisce partibus innuat.

Ostendi hoc pluribus e nostris Medicis, & postquam hac de re consulimus Dominos Vicarios Generales, fecimus ut ipsa habitum virilem indueret, sub nomine Arnoldi Malause, jamque in eo est, ut opificium quoddam addiscere debeat. Non erat, cur hac in parte hæsitaremus, dum noster Hermaphroditus viri quidem munere egregie, fœminæ vero nequaquam defungi potest.

Haud ingratum fore existimavi, si rem hanc Tibi perscriberem, quæ utut hac in urbe jam in publicum spargi cœperit, in se tamen sat rara & admodum extraordinaria est.

ERRATUM.

In Actis Martii pag. 166. l. 30. pro *fugite*, lege *cedite*.

(o)

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anni M DC LXXXVIII.

CODEX CANONUM VETUS ECCLESIÆ ROmanæ a Francisco Pithœo ad veteres manuscriptos codices restitutus & notis illustratus. Accedunt Petri Pithœi miscellanea ecclesiastica, Abbonis Floriacensis Apologeticus & epistolæ, & formulæ antiquæ Alsaticæ ex bibliotheca Illustr. D. D. Claudii le Peletier, Regni Administri, Regii ærarii Præfecti & Supremi Galliarum Præsidis infulati.

Parisiis, e typographia Regia, A. 1687, fol.

QUali canonum codice Romana ecclesia antiquitus usa fuerit, non eadem est inter eruditos omnium sententia. *Petrus de Marca* (in dissert. de collect. can.) Romanam ecclesiam primum solis Nicenis canonibus contentam, Nicenorum autem nomine etiam Sardicenses comprehensos fuisse, indeque factum asserit, quod Zosimus Pontifex Romanus ejusque successores, quos ab omni fraudis suspicione liberare cupit, canonem de jure appellandi ad Romanam sedem, qui ad Sardicense concilium spectat, tanquam Nicenum allegaverint. Deinde post Chalcedonense concilium autoritate Leonis Magni novam canonum collectionem pro Romana ecclesia adornatam fuisse tradit, eamque hactenus ignotam in duobus MS. monasterii Rivipullensis inventam esse gaudet, eandemque solam per sexaginta & amplius annos in occidente viguisse putat, donec nova Dionysii Exigui collectio usurpari cœperit. Quid autem de illo Romanæ ecclesiæ codice Marca statuerit, quem ex *Christophori Justelli* vetustissimo co-

dice Christophori filius *Henricus Justellus* ejusq; socius *Gulielmus Voellus* A. 1661. in bibliotheca suâ canonica, post Dionysianam canonum collectionem ediderunt, & quanta de isto codice contentio inter Marcam & prædictos bibliothecæ canonicæ editores exorta fuerit, *Stephanus Baluzius* in additione ad lib. 3. de concord. sacerd. & imp. c. 3. & in præfatione opusculis Petri de Marca A. 1681 editis præmissa pluribus exposuit. At *Paschasius Quesnellius* in dissert. 12 ad opera Leonis M. Voellum & Justellum frustra sibi persuasisse censet, quod collectio e senioris Justelli codice a se vulgata ea ipsa sit, quo Romana ecclesia, usque dum Dionysiana prodiret, usa fuerit. De altera antiqua collectione, quam in Rivipullensi Cataloniæ monasterio repertam Marca testatur, cum ea nondum publici juris facta fuerit, judicium suum suspendit, interim non dissimulans rationes, ob quas collectionem illam Leonis M. auspiciis factam fuisse dubitet. Præterea nec in eo Marcæ suffragatur, quod Romana ecclesia diversis temporibus diversos canonum codices habuerit, ed unum potius ecclesiæ Romanæ codicem fuisse, eundemque novis subinde augmentis locupletatum asserit. Unicum vero illum Romanæ ecclesiæ codicem non alium esse putat, quam quem ipse in appendice ad opera Leonis M. ex Thuaneo & Oxoniensi codice publici juris fecit, ejusdem antiquitatem & sinceritatem peculiari dissertatione vindicans.

Nobis jam integrum non est tantas componere lites. Præsens canonum Romanæ ecclesiæ codex, *Francisci Pithœi* notis illustratus, conformis est corpori veteri canonico A. 1525 apud Johannem Schöffer Moguntiæ impresso, & postea A. 1609. apud Petrum Chevalier Parisiis recuso. Prior ejus pars complectitur canones Apostolicos, Nicenos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenos (omisso tamen indice librorum canonicorum veteris & novi Testamenti, quem Dionysius Exiguus, ne Romanos offenderet, addere noluit) Constantinopolitanos etsi mutilos, Chalcedonenses usque ad vigesimum octavum, Sardicenses, Carthaginenses & Africanos. Et Niceni quidem canones in nova hac editione ex quatuor antiquis versionibus recensentur, quas editores in libraria *Petri Pithœi* supellectile ex antiquo codice descriptas invenerunt. Cæteri orientalium conciliorum canones ex sola

sola *Dionysii Exigui* interpretatione referuntur. Equidem Franciscus Pithœus, ubi ad Chalcedonenses concilii canones pervenit, eos non esse ex translatione Dionysii Exigui in notis pronunciat. Verum cum ejus rei periculum faceremus, collata Dionysiana translatione, nullam omnino diversitatem, præterquam in una alteraque voce deprehendimus, quod mendum non tam a Pithœi quam a typographi manu profectum arbitramur. Loco Ephesinorum canonum substituti sunt duodecim anathematismi Cyrilli contra Nestorium. Et *Wendelstinus* quidem Moguntinæ, quam supra memoravimus, editionis curator nullos canones de disciplina & regimine ecclesiastico a Patribus Ephesinis sancitos suspicatur. Verum cum ex Græcæ ecclesiæ canonibus aliud constet, Pithœus hanc ob causam Ephesinos canones a Dionysio Exiguo prætermissos statuit, quod octavus autoritati Romani Pontificis adversari videretur.

Priori huic codicis parti subjungitur tractatus de Romanæ ecclesiæ primatu a Johanne Wendelstino ex vetusto quodam codice primo editus. Constat ille tractatus quibusdam veterum Doctorum ac imprimis Romanorum Pontificum, ecclesiæ suæ primatum commendantium sententiis, quibus ex suo apparatu Wendelstinus adhuc plures superaddit. Posterior autem codicis hujus pars antiqua Romanorum Pontificum a Siricio usque ad Gregorium II decreta complectitur.

Hunc codicem canonum excipiunt *Fulgentii Ferrandi* breviatio canonum, & *Crisconii* breviarium canonicum, cum Dionysii epistola ad Stephanum collectioni suæ canonicæ præmissa, & titulis canonum in codice suo contentorum (quæ opuscula *Petrus Pithœus* A. 1581 ex MS. codice Trecensi luce publica donavit) ejusdemque Pithœi miscellanea ecclesiastica, inter quæ primum locum occupat dissertatio de Græcis & Latinis bibliorum interpretibus, jam olim quidem A. 1609 a *Carolo Labbeo*, sed nunc auctius & emendatius edita, cui annexus *Nicephori Patriarchæ* canon Scripturarum, quem a Nicephori editoribus prætermissum Pithœus in epistola ad Nicolaum Fabrum præfatur. Idque de Camerariana & aliis antiquioribus Chronographiæ Nicephorianæ editionibus intelligendum est. Nam in Scaligeriana thesauro temporum inserta, & in Parisiensi, quam e typographia Regia Goarus publicavit, ca-

non ille Nicephori legitur. Quæ sequitur historia controversiæ veteris de processione Spiritus Sancti, a *Petro Pithœo* ad Jacobum Sirmondum scripta, ea potissimum tangit, quæ ante Synodum Lateranensem, Lugdunensem, & Ferrariensem seu Florentinam acta sunt. Huic subjungitur fides *Isatis* conversi Judæi de Sancta Trinitate & incarnatione Domini, quam jam olim *Jacobus Sirmondus* inter opuscula dogmatica veterum quinque Scriptorum Parisiis evulgavit. Et Sirmondus quidem Autorem hujus tractatus *Isacum* vocat, nec ab eo diversum esse putat, quem Gennadius Massilienſis in tractatu suo de Scriptoribus ecclesiasticis c. 26. de Tribus personis S. Trinitatis & de incarnatione librum obscurissimæ disputationis & involuti sermonis scripsisse memorat. Martyrium quoque S. Timothei, quod *Polycrati* tribui solet, non primum nunc prodit, quippe jam olim a *Jacobo Fabro* Stapulensi, & postea a *Bollando* & *Henschenio* in actis Sanctorum mensis Januarii d 24 editum. Martyrio huic Timothei subjicitur ordo Cameracensis & Atrebatensis ecclesiæ, & tractatus ad superstitiosum sortium usum spectans, cujus hic est titulus: *incipiunt sortes apostolorum, quæ nunquam fallentur aut mentientur*; item catalogus synodorum & epistolarum decretalium ex collectione Petri Pithœi, nec non *Petri Pithœi* dissertatio de anno Romano tam prisco, quam Juliano & Gregoriano seu potius Liliano.

Proximum his locum occupant nonnulla *Abbonis* Floriacensis A. 1004 apud Vascones occisi monumenta, non ea quidem, quæ a *Surio*, *Baluzio* & *Mabillonio* jam edita fuerunt, sed apologeticus adversus Arnulphum Episcopum Aurelianensem, & epistolæ nonnullæ hactenus ineditæ. Inter testimonia Abboni præmissa, ea omitti miramur, quæ Pithœus in annalibus Francicis 12. coætaneorum Scriptorum, occasione alterius cujusdam Abbonis, cujus carmen de obsidione Lutetiæ edidit, collegit. Ibi enim inter alia, ex veteri membrana monasterii Benedictini ad Garumnam, Abbonis Floriacensis vitam & martyrium breviter describit, & p. 528 hæc subjicit: *Extant apud nos Abbonis epistolæ plures ad Gregorium V Pontificem, ad Robertum Regem Francorum, ad Constantinum Miciacensem Decanum, Robertum Abbatem, Odilonem & alios. Extat & apologeticus ejusdem ut Floriacensium Rectoris ad Hugonem & Robertum Reges.* Et hæc illa ipsa Abbonis monumenta sunt, quæ inter Pithœa-

Pithœanas lucubrationes reperta nunc prodeunt. Postremo loco formulæ antiquæ Alsaticæ comparent. Cum autem quæ hoc volumine comprehensa sunt, *Petro & Francisco Pithœis* debeantur, quorum ille Cal. Nov. natali suo 1596, hic 7. Febr. 1621. rebus humanis exemtus est, illustrium horum fratrum elogia & epitaphia in ipsa statim fronte collocantur.

RELATIO DE GLANDULA PINEALI PETRE. facta, non ita pridem in cerebri cujusdam dissectione reperta: communicata ab Edm. King, Equite, M. D. & Reg. Soc. Sodali.

Translata e Transact. Philos. Angl. M. Decembr. 1686, num. 185. pag. 228 seqq.

Robertus Bacon, Magister artium, de Collegio Corporis Christi, quod Oxoniæ est, vir pius ac eruditus, annum ætatis 75 supergressus, adhibitus antehac fuit transcribendis ac publicandis operibus posthumis *D. Roberti Gell*; fuit olim Concionator *Bussletonensis* prope Bristolium, & postea in oppido *Windsorienſi*, temperamento naturali sanguineus ac hilaris. Duodecim abhinc annis familiares ejus observarunt, eum cum a deambulatione domũ rediret, admodum ad latus dextrum semet incurvare, sic ut ad lapsum valde proclivis esset domumque reportandus ope rhedarum sellarumve portatilium, cum tamen temperate semper viveret, nec unquam per vitam potu obrutus fuisset visus. Sæpius dicere solitus fuit, se sibi a fatuitate mentisque alienatione metuere, Deumque precatus, ut sanam sibi rationem conservaret. Appetitus ejus ad omne ciborum genus annis postremis canino non absimilis, sitisque perquam magna fuit. De intestinorum dolore sæpe conquestus est. Nunquam non desideravit caput sibi fricari aliquoties per diem, idque postremis etiam annis: quibus ipsis quoque urinam alvique sordes excrevit utplurimum præter voluntatem in lecto, ad mensam, &c. cujus rei nullum plane habere sensum visus est. Ultimo demissum semper situ prono ac torpente habuit caput, idque calore æstuans: plurimum etiam qualibet nocte sudavit, suaque præter mo-

dum humectavit lintea. Ac multo satis spatio antequam moreretur, facultatibus suis rationalibus omnino destitutus apparuit; etenim frequenter arripuit forcipes, batilla, scopas (quandoque omnia simul) ad fulciendum gressum, quamvis proprius ei scipio ad manus esset; sedilia quoque per domum atque scalas trahere, & quidvis obvium manibus raptare solitus fuit; titubans multoties humi procubuit, ac raro absque aliorum ope resurrexit; secundum parietes ac sellas reptavit verius quam ambulavit, tametsi antehac bene erecto corpore incedere suetus; tandem duorum triumve hominum opera fuit, ad lectum eundem sustentando perducere; duos tresve pileos, habitu velut prisco, capiti simul imponere solitus est, ipsique famulantes sæpe verberibus petere: filiæ tamen suæ per intervalla dicere: *Reconciliare quæso mecum*; aut verba similia.

Res hasce inaudiens, priusquam bonus ille vir decederet, exoptavi aperto ejus capite cerebrum examinare, ad videndum, quid ibi extraordinarii reperiri aut observari posset, quod tantæ immutationi occasionem præbere, qualem annis aliquot ante obitum sensit, potuisset.

Febri decessit die 4 Novembris A. 1686, circiter horam 6 vespertinam. Dissecto ejus cadavere, *infimum ventrem*, uti jam sequitur, comparatum offendimus. Epar bene coloratum erat ac firmum. Lien bonus ac validus, sed corrugatus. Stomachus firmus, largus ac fortis. Intestina omnia probi coloris; omentum integrum, sed male coloratum. Pancreas perquam valens ac bonum. Mesenterium sat bene constitutum. E renibus dexter quidem sanus, paucos continens lapillos; at sinister ad duas tertias partes consumtus, sabuli crassioris nonnihil habens: uterque tamen admodum adipe obsitus. Folliculus fellis unico lapide repletus, eoque non excedente molem nucis moschatæ longioris. Vesica urinaria sana, rudioris tamen sabuli & calculorum minorum aliquid includens.

Medio ventre aperto, Pulmones sat bono in statu reperti sunt, colore saltim ob sanguinis stagnationem alterato, oppletisque diversis in locis materia quadam ichorosa ac spumosa. Cor firmum ac vigens, ut apparuit. Pericardium admodum tenue, nimisque molle, ac solito minus aquæ continens; parum valde sanguinis in ventriculis, nulla pulmonum in costis adhæsso. Auriculæ cordis per-

perfectæ, vegetæ ac robustæ, ut in homine sano 20 annorum; sic ut has perinde ac firmitatem musculorum cordis admiratus fuerim.

Postquam *caput* aperuimus, nobis semet obtulit Dura Mater extreme dura, tenuis & albida, exilia vasa intexta habens. Pia Mater in totum plena glandulis apparenter turgidis; ingens etiam distensio lymphæductuum coagulata lympha expletorum. Substantia cerebri laxa & quoad molem contracta, valde candida, & parum admodum cineracei coloris ostendens. Corpus callosum multo flaccidius solito. Tota cerebri moles ad tertiam circiter partem contracta. Inter duas cerebri meninges sextarius prope (*a Pint*) seri extravasati, a quo cerebrum haud parum oppressum fuisse necesse est. Ventriculi cerebri sero repleti. Plexus choroides extreme largus, tam quoad longitudinem quam latitudinē & crassitiem. Nates atq; testes valde exiles & contracti. Thalami nervorum opticorum succosi & nitidi. Corpora striata ampla & speciosa, largis striis plena, ut mihi visum. *Glandula Pinealis* firma ac pulchra, probeque colorata primo intuitu, exactæ etiam figuræ ac mensura ordinariæ. Hanc contrectans dum solito duriorem sensi, (colloquens cum nobili quodam viro tum præsenti de opinione Cartesii, quod hæc sedes esset animæ) pressi & in ea reperi lapidem membranæ involutum, aut verius glandulam petrefactam in membrana: exemi lapidem servavique tanquam rem valde raram. Non recordor, me unquam simile quid inaudiisse antehac, certusque sum, in cerebro nullius a me dissectorum (qui tamen centenarium bene superant numerum) rem talem a me visam esse. Glandula Pituitaria parte dimidia erat absumta; id quod de ea restabat, durum valde ac fragile erat, nec tonum nec substantiam genuinæ glandulæ habens secundum meam observationem, nisi glandulæ forte vitiatæ. Cerebellum sat bono in statu comparebat, ulteriusque cauda etiam medullæ oblongatæ. Reliquæ cerebri partes hic non nominatæ nil notatu dignum habebant; neque mihi nunc tempus suppetit ad philosophandum super annotationibus, quas modo recensitæ observationes suppeditare nossent.

Antequam vir ille tanto stupore corriperetur, dicere solitus est, se speciem quandam ferocitatis intra se persentiscere; id quod probabiliter in causa fuit, cur alicui negotio succensens in vociferationem

tionem erumpere sueverit. Remedia per annos aliquot singulis istis affectibus adhibita fuere tam interna, quam externa: externa quidem in emplastris, ceratis, sectione Jugularis, &c. intrinseca vero, uti cardiaca, cephalica ac febrifuga.

Recensita sic facti specie, testimoniis familiarium, tanquam testium oculatorum confirmata, hasce meas observationes super dissectione ejus corporis factas, relinquo considerationi curiosiorum & investigationibus hujusmodi deditorum.

* * *
* * *

Relationis hujus de glandula pineali communicationem haud ingratam lectori fore credidimus, cum ob particulares circumstantias sedulo simul annotatas: tum, quod tota hic, ut videtur, ista glandula, quod rarius, in lapidem versa fuit; tametsi alias calculos in ea reperiri, non adeo sit insolitum. Etenim in glandula hac non raro calculos duos aut tres, imo quatuor aliquando, & a *Sylvio* & a *Barbette* inventos fuisse, legitur apud *Barbett.* in Anat. Pract. pag. 114, & *Blasium* in Not. ad Vesling. pag. 218. seqq. Sic calculum, plusquam dimidium glandulæ pinealis occupantem a *Sylvio* repertum, ac *Dno van Horne* asservandum fuisse traditum, scribit *Flor. Schuyl* in præf. ad Lib. Cartes. de Hom. citante *Diemerbroeck* Ant. l. 3. c. 6. p. 365. Alia exempla videre est apud *Job. a Meekren* in Observ. Med. Chirug. *cap. 58. p. 269. Wepfer.* in hist. Cicutæ aquat. *Miscellan. Nat. Curios.* Ann. I. obs. 127. Quinimo calculos in omnibus quidem corporis glandulis, præsertim tamen Pineali, generari, & in illa plusquam vigesies in hominibus tam lento morbo, quam violenta morte extinctis, frequentius tamen in Gallia, quam in Batavia a se observatos, scribit *Regner. de Graaf*, de Succ. Pancreat. c. 7. p. 113.

REFLEXIONS SUR LES CINQ LIVRES DE Moyse pour etablir la verité de la religion Chretienne. i. e.

Considerationes in quinque Libros Moysis, ad stabiliendam veritatem Religionis Christianæ.

Londini, apud B. Griffinum in Bibliopolio Gallico A. 1687, in 8.

Auto-

Autorem libri in dedicatoria ad *Magnæ Britanniæ Regem* epistola, sese profitetur *P. Allix*, gratiasque agit pro benigna receptione sui & Gallorum aliorum, quos religionis causa solum patrium vertere oportuit. Scopum suum in titulo breviter indicatum, in præloquio explicat. Relata enim nec improbata aliorum methodo, qua pro veritate religionis adversus atheos aut infideles, vel ex mentis humanæ sensu & conscientia, vel ex collatione dogmatum cum ratiocinatione, argumenta eruunt; hanc sibi propositam esse ostendit, ut *facta*, quæ in religione Christiana proponuntur, solidis probationibus stabiliret. Sepositis ergo quæstionibus abstractis, v. g. an detur cognitio Dei naturalis, aut propensio hominum ad religionem, aliisque similibus, demonstrandum sumit, *Deum sese revelasse, cultumque suum primis hominibus præscripsisse*, cujus regulas illi ad posteros suos transmiserint. Restrinxit autem considerationes suas intra quosdam terminos, per quos veritatem librorum S. Scripturæ Veteris & Novi Testamenti, & sic etiam religionis Christianæ, firmiter asseri posse existimavit, simulque evidens fieri, quod per Mahometismum Christianismus abolerí minime debuerit, licet Judaismus in ceremonialibus per Christianismum abrogatus sit.

In *prima libelli parte* generalia quædam cap. I, II & III. de religionis Christianæ capitibus præmittit. Consistere autem ea dicit *primo* in factis, quæ credenda sunt, v. g. creatione mundi & hominis, hujus lapsu, spe restitutionis per Salvatorem, totaque œconomia salutis. *Deinde* in promissis, puta, remissione peccatorum, resurrectione corporum, & vita æterna. *Denique* in cultu, qui Deo præstandus est. Cum vero ex factis eorumque veritate cætera veluti dependeant, & his assertis, promissionibus Dei fides haud difficulter adhibeatur, & cultus pro tantis beneficiis præstetur, omnium maxime opus esse docet, ut certitudo factorum stabiliatur, inprimis autem *quod Deus mundum creaverit, & homini lapso Salvatorem promiserit & dederit*; hoc enim esse fundamentum Christianismi, adversus Atheos, Libertinos, & Judæos qui missionem Messiæ jam peractam negant. Probationem autem factorum, quæ ante tot secula contigerunt, aliam desiderari non posse, quam natura eorum admittit: ita cum supereſſe non potuerint testes oculati, justum esse ut pro

 suffici-

sufficienter probatis habeantur, quæ scriptores contemporanei, de rebus, quæ notæ erant & esse debebant, bene instructi, & absque contradictione tradiderunt. Hæc & alia requisita cum in scriptoribus sacris inveniantur, improbum plane esse, si illis fides denegetur, quam tamen profanis auctoribus de rebus sui temporis habemus. De libris autem sacris veteris & novi Testamenti, quorum contenta summatim recenset, notari debere monet, quod Christiani paulo post tempora Jesu Christi, divisi licet in varias sectas, singulis tamen diebus dominicis N. T. libros, in omnes pene linguas translatos, publice legerint, unde omnis suppositionis suspicio dijuatur: dein quod tribus pene seculis ante tempus nati Christi, libri Vet. Test. Græce versi in gentilium manibus fuerint; item quod Judæi a prima reipublicæ suæ fundatione libros Moysis habuerint, eosdemque Samaritani regni cives, post divisionem tribuum retinuerint, licet ab aliorum scriptorum sacrorum operibus, schismatis occasione, aliisque causis abstinuissent; libros autem Moysis tam Judæi quam Samaritani, & illi etiam reliquos hagiographos, particulatim singulis sabbathis, integros autem septimo quoque anno legerint. Ridiculum itaque esse, libros illos pro suppositiis habere, pluribus dicto capite III. deducit, & præterea connexiones historiarum sacrarum, & testimonia gentium, Judæis inimicissimarum (quæ tamen cum sacris scriptoribus consentiunt) observat, itemque quod ex libris Moysis omnes gentilium leges, ritus & fabulæ originem habeant. Vid. *cap. IV.* Post hæc duo potissimum ex libro Geneseos stabiliturum se esse recipit, nempe *creationem mundi* & *promissionem Messiæ*, ex quibus reliqua pendent. Duo autem ista, quæ vocat, *facta*, Moysen ait proposuisse, ut talia, quæ omnibus nationibus mundi, & speciatim Judæis, jam ante legem nota erant, eaque ut omnium gravissima, quibus paria historia nulla tradidit. Considerat etiam scriptoris illustrem personam sive characterem, tum scopum, quem in scribendo habuit, ut pietatem populo suo imprimeret, & jus ad terram Abrahamo promissam ostenderet. Inde vero adversus Atheos colligit, Moysen plenam fidem mereri, dum duo ista pro principiis & fundamentis legislationis suæ habuit & proposuit, universali traditione jam dudum recepta. Alias enim vanum & ridiculum futurum fuisse, si incognita & dubia proposu-

posuisset. Hoc præsuppositio, distinctim & accurate ista persequitur, & refutat plurimas, quæ ab impiis fieri solent, objectiones. Argumenta profert (cap. V. VI.) cur alius quam Moyses librorum, qui illi tribuuntur, autor esse non potuerit, & quod impossibile fuerit illos supponere, cum in Judæorum & Samaritanorum manibus innumera versarentur exempla, licet temporibus idololatricis aliquando negligerentur. Codicem vero, qui Josiæ tempore repertus est, authenticum seu autographum fuisse statuit. Fidem creationis aliorumque ante se gestorum, quæ Moyses scripsit, indubitatam fuisse censet, quia ab Adami tempore ad Moysen usque sabbathum celebratum, & quæ Patriarchæ viderant, memorata fuerint, ita ut tantum strictiorem ejus observationem lex Moysis postea sanciverit, cap. VII. Ostendit, unde & quomodo Adamus certus esse potuerit de creatione mundi & sua: Inter argumenta etiam refert flammam, multis seculis, ut putatur, conspicuam, qua introitus Paradisi impediebatur, (cap. VIII. IX.) Item, quomodo eadem fides apud liberos & posteros Adami servata fuerit. Expendit etiam, ut æmulatio & odium Caini adversus fratrem, Sethi subrogatio, Lamechi polygamia, ad spem illam de promisso semine mulieris pertineant, cap. X. & XI. Idem monstrat ex Noachi & posterorum factis, imo & ex Chami & Canaanis delictis cap. XII, XIII, XIV. Progreditur cap. XV, XVI. ad Abrahamum ejusque familiam & posteritatem, ita ut etiam æmulationes inter fratres & agnatos, & desideria fœtum concipiendi, quibus filiæ Lothi, item Rahel & Thamar Judæ nurus, arserunt, ad spem pariendi Messiam referat. Cap. XVII. considerat, quomodo traditionum certitudo longævitate vitæ, primorum seculorum hominibus concessæ, commode & cum autoritate conservari potuerit, cum descendentes familiarum principes omnes ad Moysen usque, multis annis cum majoribus suis vixerint, eorumque sermones & relationes ipsi intellexerint, ita ut Moyses non nisi certa, vera & plurimis nota in Geneseos librum congesserit, explodendus utique, si falsa & a se ficta populo veterum traditionum satis gnaro obtrudere voluisset. De compositione autem libri Geneseos (cap. XVIII) pluribus agit, existimans Moysen non opus ad eam habuisse immediatis Dei revelationibus aut dictaminibus, qualia in sequentibus allegat, sed tantum directione, ne

in ſcribendo erraret. Refutat cap. XIX & XX, quæ ex fabuloſa Ægyptiorum, Chaldæorum & Sinenſium antiquitate, hiſtoriæ Geneſeos opponi ſolent, & calculum Moyſaicum erudite defendit. Cavillationem Atheorum, quaſi Moyſes hiſtoriam ſuam Iſraelitis credendam vi obtruſerit, cap. XXI. elidit. Capite vero XXII. ſive *ultimo partis primæ*, epilogum argumentorum facit, & per ea invincibiliter duo illa facta, creationem mundi & promiſſionem Meſſiæ, probata eſſe aſſeverat.

In præloquio *ſecundæ partis* indicat, ſe ad probationem implementi, miſſi nempe Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ex Novo Teſtamento accedere voluiſſe; in quo, ſicut Sabbathi celebritas in Veteri perpetuam creationis & annexæ promiſſionis de Meſſia memoriam conſervavit, ita Dominicæ diei cultus ab Apoſtolis inſtitutus, exhibitionem Meſſiæ, demonſtrata ejus reſurrectione, apertiſſime ſtabiliverit: ſatius tamen duxiſſe, ut etiam reliquos quatuor libros Moyſaicos percurreret, eorumque veritatem & excellentiam, tum maxime promiſſionem Meſſiæ, eadem methodo ex illis aſſereret. Hoc *parte ſecunda* aliis XXII capitibus executus eſt, omnes hiſtorias, leges & ritus, ſcopo huic ſuo docte & judicioſe applicans. Inprimis autem oſtendit, & D. Pauli *Hebr. XI* teſtimonio firmat, Moyſen de fide & ſpe Meſſiæ probe inſtructum fuiſſe, & ad eam in populo ſuo conſervandam & propagandam omnia ſolicite diſpoſuiſſe. Speciatim cap. XI. ex Balaami vaticinio Num. XXIII (*orietur ſtella ex Jacob*) obſervat, nativitatem Meſſiæ ſtirpi Jacobi clariſſime vindicari, exploſa Moabitarum, Idumæorum & Iſmaelitarum vana perſuaſione, ſibi eam benedictionem promittentium. Indigitari etiam notat vocationem gentium, mentione *filiorum Seth*, d. c. XXIII, 17: per hos enim non urbem aliquam (ex *ſeptuaginta* interpretatione) ſed omnes nationes intelligendas eſſe, a pio illo Setho, divini cultus aſſertore, per Noachum deſcendentes. Ibidem etiam Ruthis Moabitidis deſiderium nubendi viro ex tribu Juda, ad ſpem de Meſſia collineaſſe animadvertit. Sed iſta ſpeciminis cauſa, *ex parte hac ſecunda*, ad deſiderium libellum ipſum, qui brevis & perſpicuus eſt, legendi accendendum ſufficere credimus. Plurima alia ad eundem ſcopum applicata inveniuntur, v. g. de feſto paſchali; de œconomia Dei in poſthabendis ſæpe primogenitis, & prælatione poſtgenitorum, in tolerandis ſanctorum defectibus, in æmulatione inter Judæos & gentes, imo inter ipſas Judæorum tribus; tum de circumciſione, de diviſione Palæſtinæ inter tribus, de ſchiſmate decem tribuum, de diſperſione harum & poſtmodum etiam reliquarum, de harum reſtitutione ex Babylonica captivitate, de annis Jubilæis, de jure retractus aliisque ſtatutis pro familiis & genealogiis conſervandis; de vaticinio quod Meſſias ex virgine naſci debuerit, & quæ leges ad cuſtodiam & notas virginitatis pertinuerint, item de propagatione promiſſionis de Meſſia in orbem, & prædicto Levitici cultus fine. In concluſione opuſculi promittitur ab Autore laboris hujus continuatio, per reliquos libros veteris & novi Teſtamenti, quam religionis Chriſtianæ ſtabilimento adverſus profana ſophiſmata profuturam eſſe non ambigimus.

DOCTRINA THEOLOGIÆ MORALIS totius, in uſum incipientium certis pædiæ ac methodi limitibus circumſcripta, & tabulis LXXII comprehenſa. Autore Johanne Oleario D. & PP. in Academia Lipſienſi.

Lipſiæ, apud Joh. Chriſt. Wohlfart, 1688, fol.

POſtquam in tradendis iis, quæ ad exegeſin Scripturarum divinarum plurimum adjumenti afferunt, quæque errores fidem ſalutiferam deſtruentes feliciter profligant, magna cum dexteritate fructuque non impari, Venerandi Autoris labor eſt verſatus; quod ipſum *Exercitationes Philologicæ ad Græcum Epiſtolarum Dominicalium textum*, nec non *Errorum Pontificiorum*, *Calvinianorum*, *Socinianorum*, *Arminianorumque*, *juxta ſeriem LL. Theologicorum* in Antitheſi Catholica *ſuccincte excuſſorum Synopſes*, luci publicæ ab eodem antehac expoſitæ, præclare unumquemque docere poſſunt; nunc partem Theologiæ nobiliſſimam, quæ vitam format Chriſtiani hominis, animumque virtutum Chriſtianarum exactiori notitia imbuit, uberius perſequitur, adhibitis eam in rem non Scholaſticorum forte, Caſiſtarum, aut Moraliſtarum opinionibus & conſiliis, ſed immotis Spiritus Sancti oraculis & præceptis.

Definitur siquidem gravissimo Autori Theologia Moralis, scientia Practica, ex divina revelatione docens, quæ homini fideli ac regenito, ad vitæ sanctimoniam factu necessaria sunt, consequendæ in Deo per Christum æternæ beatitudinis causa: partibusque adeo duabus universa distinguitur & absolvitur. Quarum prior, *communis* dicta, hominis Christiani, citra respectum ad certum vitæ genus & ordinem considerati, officia sibi explicanda sumit. Evoluto enim Christianæ hujus Ethicæ fine, cum interno, tum externo, veroque ejus subjecto constituto, in mediorum contemplatione sic versatur Autor præclarissimus, ut in genere, virtutum Christianarum causam efficientem, formam, materiam seu objectum, normam, & genera distincta, ob oculos nobis ponat. Nam uti Scientiam & Prudentiam, σοφίαν & φρόνησιν habet pro *Directricibus*, sic *Directarum* nomine insignitas voluit omnes reliquas. Porro cum directarum aliæ Christianis omnibus promiscue, aliæ quibusdam solum, pro vocationis modo, conspiciantur incumbere; priorisque generis quæ sunt, in rebus partim necessariis, partim in adiaphoris versentur, visum est, occupatas in rebus necessariis in duas rursus classes, virtutes nimirum generales atque speciales, distribuere. Atque ut generales de pœnitentia, & in glorioſum Redemtorem nostrum fide, veluti de causa & radice omnium pietatis operum, salutariter præcipiunt: ita speciales de vera in Deum Pietate, de Justitia erga proximum, & de Sobrietate erga nosmet ipsos, harumque velut cardinalium partibus pulcherrimis non paucis, per omnem vitam sancte excolendis, vitandisque serio oppositis, plene atque solide animum Christianum instruunt.

In *propria* dein hujus Theologiæ parte, quæ tribus in statibus Hierarchicis positum Christianum contemplatur, perspicue tradita habes & exposita, in quibus cum pastorum & auditorum, doctorum atque discipulorum; tum magistratus & subditorum: nec non conjugum, cœlibum, parentum atque liberorum: fratrum & sororum, vicinorumque: dominorum præterea & servorum: senum atque juvenum, virorum & mulierum, divitum item & pauperum: mercatorum, opificum, & agricolarum: sanorum denique, & ægrotorum officia atque munia versantur. Ut adeo videamus neminem, cui non & in promovendo divino cultu, & in vita gubernanda

nanda propria, & in aliorum moribus, si curæ forte nostræ commissi illi sint, regendis emendandisque, gravissima hæc Theologiæ pars præstare operam præclaram valeat.

OF THE SACRAMENT OF BAPTISM in particular: by Gabriel Tovverſon.

id est,

Gabriel Tovverſon de Sacramento Baptismi in ſpecie.

Londini, apud Rich. Chiswel, 1687, in 8.

Post eruditum de *Sacramentis in genere* tractatum, quem mense Martio præsentis anni pag. 172 seqq. recensuimus, sequitur nunc de Sacramento *Baptismi* ejusdem clarissimi auctoris scriptum, pari perspicuitate & eruditione exaratum. Quæ enim in Sacramentis omnibus consideranda esse monuerat, ea nunc sigillatim in Baptismo investigat, duodecim partibus omnia complexus. Ut vero illa, quæ alias satis obvia sunt, prætereamus, quod ad *originem Baptismi* attinet, Autor cum illis facit, qui hunc sacrum ritum olim quoq; in Judaica Ecclesia usitatum fuisse sentiunt; in diversum vero abit ab his, qui Institutionem Baptismi Christiani ex Matth. 28, 19. repetunt, statuitque Christum statim baptizasse, cum assumeret discipulos, nixus Joh. III, 22. IV, 2. & aliis rationibus quas exponit: interim non negans, Baptismum in respectu ad omnes gentes, & explicitam Trinitatis professionem, post Christi resurrectionem institutam fuisse. Cæterum animadversione inter alia quoque digna sunt, quæ de genuino baptizationis ritu habet. Nam licet aspersio quoque in Anglia obtineat, ipse tamen non contemnendis rationibus defendit, *immersionem* genuinum esse & ab ipso Christo institutum ritum. Esse enim hanc maxime propriam vocabuli βαπτίζειν significationem: satis hoc ipsum quoque testari praxin Christi & Apostolorum, speciatim Philippi Act. IIX, 28: neque aspersionem rite posse repræsentare nostram cum Christo mortem & resurrectionem spiritualem, quam Paulus inculcat: atque satis constare, in primitiva Ecclesia immersionem in usu fuisse & adhuc vigere

in Græ-

in Græcorum cœtibus. Concludit tandem, extremæ neceſſitatis caſum ſolum eſſe ſatis prægnantem cauſam mutandi ritus a Chriſto inſtitutos, idque reſpectu Baptismi Clinicorum primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis quoque factum fuiſſe. Cum vero in Eccleſia Græca & apud Moſcovitas, rigido utique ſub cœlo degentes, adhuc hodie per immerſionem in aquam calidam Baptiſmus celebretur, hinc dubium movet, an recte in temperatioribus noſtris regionibus hæc mutatio inſtituta fuerit. Quoniam tamen adhuc Erasmi temporibus immerſio non infrequens fuit in Anglia, & nihilominus ſenſim ſenſimque in deſuetudinem abiit, hinc colligit, eam non peractam fuiſſe absque inſigni tenellorum infantum periculo vitæ, atque ex hac ratione adſperſionem merito fuiſſe ſubſtitutam & pro legitima habendam. Porro quoniam Anglicana Eccleſia *crucis ſignum* in actu Baptismali retinet, hinc ritus quoque hujus defenſionem contra Presbyterianos ſuſcipit, quem licite omnino adhiberi probat, ad mentes hominum excitandas & reverentiam actibus illis, quibus additur, conciliandam. Male enim rejici ceremonias omnes ex religione Chriſtiana, cum & ipſi ſecus ſentientes in juramento concipiendo elevationem manuum adhibeant, & nonnulla Baptismo addant, quæ a Chriſto non ſint inſtituta: neq hunc ipſum ritum recte Papatus reliquiis accenſeri, cum eum longe antiquiorem eſſe ipſo Papatu, ex Tertullíano ſatis conſtet. Tandem *Pædobaptiſmum* contra illos, qui eum negant, multis rationibus defendit, & quo poſſit eo melius adverſariorum objectiones declinare, regenerationem infantum ſufficientem quidem ad ſalutem, ſuo tamen modo imperfectam, & potius ſemen perfectioris regenerationis eſſe ſtatuit. Et quum articulus de Baptismo ſatis arcto nexu cohæreat cum doctrina de *Peccato Originis*, hinc digreſſione quadam inſtituta, hanc quoque ſuo more pertractat, ita quidem ut Peccatum Originis conſiſtere aſſerat in gratiæ ſupernaturalis primævæ privatione, & in illorum inclinet partes, qui illud una cum anima rationali ex parentibus traduci putant. Aperte tamen fatetur, ſe concipere non poſſe, quomodo primorum parentum peccatum & hæc ipſa privatio imputari nobis poſſit, cum neutrum ex voluntate noſtra originem ducat: ſed cum adverſa pars non levioribus difficultatibus urgeatur, hinc objectionem hanc tanti non eſſe monet, ut rejiciatur illud, quod Sacra Scriptura expreſſis verbis aſſerit.

REPON-

REPONSE DE Mr. VARILLAS A LA CRITIque de Mr. Burnet. i. e.

Antonii Varillaſii Reſponſum ad Criticam D. Gilb. Burneti in duos Tomos Hiſtoriæ ſuæ de Revolutionibus Europæ in cauſa religionis.

Pariſiis, apud Cl. Barbin, 1687, in 12.

PRæſtitit hoc libello Varillaſius, quod in *Proëmio Tomi IV de Hæreſibus* a nobis in *Actis A. 1687*, p. 493 adducto promiſerat, & *Burneti* Criticam eodem anno p. 65 recenſitam refellit. In dedicatione ad *Regem Chriſtianiſſimum*, ut & alibi, adverſarium maledicentiæ adverſus *Majeſtatem* ejus commiſſæ accuſat; ſperat tamen, eam a Regia generoſitate non niſi contemtu vindicatum iri. Dein *Coquelini* Academiæ Cancellarii approbationem præmittit, in qua ob moderationem laudatur, Burneto vero calumniæ vitium exprobratur, cum Gallis, ut dicitur, exulibus, qui in Batavia ſectæ ſuæ ruinam deplorant, commune. In præloquio præfationem Criticæ ab interprete Gallo compoſitam laudat potius quam refutat, ſed nihil ad ſe pertinere cenſet, quia priorem editionem hiſtoriæ de Wiclefo pro ſua non agnoſcat, cum furto ſibi ſubtracta & interpolata, ideoque ſe accuſante, bibliopola ad mulctam 600 librarum condemnatus fuerit. Moderationis Chriſtianæ, quam promittit, primum ſpecimen daturus, tacere ſe velle dicit, quæ Burneto objicere poſſet ad mores ejus pertinentia; idem tangit p. 114 & alibi. Primarium caput apologiæ in eo conſtituit, quod nihil objicere potuerit adverſarius contra ſcopum hiſtoriæ ſuæ præcipuum, quem aſſecutum ſe eſſe: exiſtimat, probando, hæreſes omnes ob cauſas politicas exortas eſſe cætera omnia pro minutis & levibus erroribus in facto, quorum nemo immunis ſit, haberi poſſe. Progreſſus dein ad ſpecialia, ſingulos Burnetianæ Criſeos paragraphos proponit, & ſuum ſubjungit reſponſum. Ante omnia ad depellendam imputationem, quaſi hiſtoria illa ſua miſeris & jam penitus oppreſſis Reformatorum cœtibus inſultare voluerit, indicat, ſe A. 1670 libros ſuos decem de hæreſibus compoſuiſſe, quibus millies deſcripti fuerint, antequam typis ederentur: illo autem tempore nullam inter Catholicos &

Reformatos in Gallia fortunæ differentiam fuiſſe, neque quæ nunc ſecuta ſunt, prævideri potuiſſe. Quod vero non tam eventus, quam eorum cauſas, & quidem ſecretiores ex aularum adytis erutas enarraverit, laudabili inſtituto & Taciti exemplo feciſſe ſe ſcribit, adeoque vel hoc nomine Burneto præferri debere, qui mediocrium ſcriptorum more in externis & vulgatis hæſerit. Quod Manuſcriptorum loca, ubi nunc ſervantur, non allegaverit, non ſolum ea tuetur excuſatione, qua jam alibi uſus eſt, quod mutati ſint ſcriniorum tituli in Bibliotheca Regia, ex qua ante annos viginti tres exiiſſe ſe indicat; verum etiam quod Puteanorū MS. plusquā ſeptingenta plane interverſa fuerint: quo minus vero reliqua indicet, ubi extent, prohiberi ſe ait fidei vinculo, quam illis dederit, qui ſecum arcani aliquid communicaverint. Objectam mercenarii calami turpitudinem diluit, narrando, quid, quando & a quo, quaque verecundia & cunctatione acceperit, & quam gratiam *Archiepiſcopo Pariſienſi* debeat; incorruptum itaque ſe eſſe aſſeverat, nec regias penſiones aut pauca a Clero Gallicano in invitum collata, fas eſſe cum auro Toloſano a Burneto comparari: juſtius id fieri fortaſſe potuiſſe, ſi oblatum ſibi a Fœderati Belgii Ordinibus A. 1669 hiſtoriæ Batavicæ, poſt Grotium continuandæ, munus accepiſſet. Maimburgii (id enim etiam objectum eſt) genus ſcribendi ſe non eſſe imitatum, cum prius, quam ille, hiſtoriam ſuam compoſuerit; & notum eſſe, a quo ſibi furto ablata & Maimburgio tradita fuerint MSta, quibus hic poſtea uſus fuerit. Ad generalia iſta etiam aliæ pertinent excuſationes, maxime autem quod nihil a ſe ex veriſimilitudine, quam fabularum Heroicarum ſcriptores ſectantur, confictum eſſe magna cum fiducia aſſeverat, & cum a Burneto urgeatur autores indicare, unde ea quæ Angli ſcriptores non memorarunt, hauſerit, Florimundum Remondum plurimis in locis adducit, quem ideo & Catholicis & Proteſtantibus Anglorum autoribus prætulerit, quia præ utrisq; fidem mereri & minus indulgere affectibus viſus eſſet, vir in dignitate conſtitutus, nec clericus, tum a nemine ex Proteſtantibus refutatus. Quo loco Remondum habeat Burnetus, apparebit forte ex replica, ad quam provocatur. Apud Proteſtantes Germanos fidem majorem, quam ſcriptores ex clero non inveniſſe eum, inde patet, quia ſub ejus nomine Jeſuitam quendam, *Richeomum* ſcripſiſſe compe-

compererunt, ideoque Remondo eadem, quæ aliis maledicis, quos ille ſecutus eſt, dicta eſſe exiſtimant. Hæc fere ſunt, quæ in univerſum pro ſe adducit, quibus etiam accenſeri debent, quæ de infidelitate amanuenſium ſuorum, de debilitate viſus, quod non omnia ipſe legere & perſpicere potuerit, & de editionum, quæ alibi quam Lutetiæ prodierunt, mutilatione aut corruptione adducit. E contrario Burneto & generatim, & arrepta occaſione objicit imperitiam, malam fidem, contradictiones, (quarum ingentem, ut ait, catalogum Maimburgius editurus erat, ni morte fuiſſet præventus) repetitiones porro tædioſas, ſtudium ſectæ, & immodicum in Cranmerum affectum, aliaque ejusmodi, quæ ex collatis utriusque ſcripti ſingulis paragraphis noſcenda ſunt. Aliqua tamen, ut utrique Autori idem præſtemus officium, referemus, quæ ad ea, quæ in excerptis Criticæ Burnetianæ, p. 67 & ſeq. *Act. anni præteriti* annotavimus, Varillaſius regeſſit. v. g. Quod ex Carolo V duos fecerit, Cæſarem nempe & Regem Hiſpaniarum, defendit diſtinctione temporis; nam ab eo nuptias Mariæ Anglicæ quæſitas jam fuiſſe tradit, cum non niſi Hiſpaniæ Rex eſſet, nec minori poſtea ſtudio, cum in Cæſarem A. 1619 eſſet electus. Ad diluendam objectionem, quod A. 1503, id eſt ante ſchiſma Lutheranum, hæreticas familias Regum aut Principum impertinenter allegaſſe videatur, typographi errore ſeſe excuſat; ſe enim ſcripſiſſe de familiis non hæreticis, ſed *Pontifici ſuſpectis*. Epitheton *ſimplicis* (ſimple Gentilhomme) ſive nudi, Henrico Stuarto a ſe datum eſſe negat, ſed maligne ſibi affingi; voce autem *Gentilhomme* ſive nobilis latius ſe uti, ut majores titulos complectatur. Ex Cajetani opuſculis A. 1612 Antverpiæ excuſis locum adſcribit, quem Burnetus in aliis operibus ejus fruſtra quæſiverit. Cætera fere Remondi autoritate adſtruit, atque ita ſeſe ab imputata fingendi & conjectandi licentia ſatis purgatum eſſe arbitratur.

NOUVELLES ACCUSATIONS CONTRE Mr. Varillas, par Mr. de Larroque.

id eſt,

Novæ adversus Ant. Varillasium accusationes, sive animadversiones criticæ, in partem quandam Libri ejus Primi Historiæ de Hæresibus. Autore Dn. de Larroque. Amstelodami & Roterodami. 1687, in 12.

VIdimus, ut Varillasius Burneti insultum satis mascule sustinuerit. Jam novum ejus aggressorem producimus, virum ipsius nationis, eloquentem & acrem. Is tamen ad animadversiones, quas excerptum imus, casu potius quam consilio progressum se esse, in præfatione commemorat. Defensurus enim, ut scribit, erat parentis sui assertum, qui a *Joh. Husso* transsubstantiationis dogma retentum fuisse statuerat. Dum igitur historiæ Wiclefi & Hussi perscrutandæ operam daret, eaque de causa Varillasii historiam hæresium, tum prodeuntem, perlustraret, cum stupore observasse se asseverat ingentes ejus errores, mutilata nomina propria, narrationes manifesto falsas, chronologiam subversam; uno verbo, nil nisi ideas seu fabulas, quas *Romanas* vocant. Facile itaque assensus est amicis, ut a proposito priori discedens, censuram in Varillasium expediret. Ait autem fuisse se tunc Oxoniæ, in magna virorum doctorum & codicum optimorum copia, manuscriptorum maxime. Notat inter alia ad rem litterariam pertinentia obiter, frustra laudari a Varillasio in Anecdotis Florent. *Poggium*, quod unicum *Quintiliani* exemplum ex pharmacopolæ cujusdam manibus ereptum servaverit; extare enim *Oxoniæ* annorum plusquam 500 ætatem habens, præter ea, quæ Coloniæ, Bernæ, & in Regis Christianissimi bibliotheca inveniantur. Indicem dein erratorum & contradictionum subjungit, ex Viri, quem laudat, doctissimi & Genealogiis regiis ac Heraldicis scientiis tractandis præpositi, *Hozierii* annotationibus ad librum Varillasii *de educatione principum* seu *de vita Chevrii*. His quæ nonnisi præludia quædam sunt præmissis, ad seriam Varillasii castigationem se convertit. Culpat autem in eo, ut cœperat, generatim fingendi audaciam, dein quod innumeris vicibus in temporum calculo, & in hominum ac locorum nominibus labatur, MSta vero & documenta recondita vane jactet, & bonorũ autorum ignarus, sequiores sectetur. Narrat ut Lutetiæ ab egregio illo, quem in præloquio laudavit, viro, præsentibus aliis non minus celebribus, inter quos memorantur *Azoutus*, *Thevenotus* & Abbas *de la Chambre*, errorum convictus fuerit. *Hozierii* epistolam producit, ad illustrem quendam virum in Angliam d. 12 Decembr. 1686 scriptam, in qua refert, se in Varillasii historia *Caroli IX* primum fortuito & sua sponte, dein autore conscio nec invito, etiam a bibliopola & amicis rogatum, ultra 4000 errores ingenti cum labore adnotasse; sed tam ingratum fuisse Varillasium, ut contra quam promiserat, nullam accepti beneficii mentionem in secunda editione fecerit, quam tamen opera sua emendatiorem produxisset. Speciatim vero *Larroquius* historiam Wiclefiticam, tum ut primo A. 1682 publicata, tum ut *Tomo* I. *operis de hæresibus* inserta fuit, examinat. Ut exempli causa pauca adducamus, pag. 28 taxat quod statuit, temporibus illis quibus Wiclefus vixit, magis formidabilem fuisse potestatem Pontificum, quam nunc est, licet minoribus essent viribus; *plerasque enim gentes in conscientia obligatas fuisse, ut partes sanctæ sedis tuerentur, cum adversus Principes suos illa insurgeret.* Quærit enim, si tunc obligati fuerint populi conscientiæ vinculis, ut Pontificibus contra Principes suos adhærerent, quis ea vincula postea solverit? Metuendum esse homini dicit, si Archiepiscopus Parisiensis ista, Theologiæ hodiernæ in Gallia tantopere adversantia, cum attentione legerit, ne pluviam auream, qua scriptorem huc usque irrigarit, cessare faciat. P. 60. *Johannem Balium*, quem Varillasius discipulum aut sectatorem Wiclefi fecit, magistrum potius ejus fuisse, ex probati scriptoris *Knyghtoni* testimonio affirmat. P. 62 taxat hyperbolẽ, qua Wiclefitarum numerus ad ducenta millia exaggeratur, cum qui maximum referant, non ultra sexagies mille progrediantur. P. 64 ex musæo Varillasii, imaginariis ut ait documentis referto, absque ullius scriptoris testimonio produci existimat, quod Wiclefo a sua factione Archiepiscopi Cantuarienſis & Cancellarii regni munus destinatum fuerit. P. 66 referuntur quatuor Articuli a Wiclefo in Parlamento regni oblati, ex MS. Oxonienſi a. 1608 publicati, nunquam ut scribit Gallice versi, a Varillasio vero male narrati. P. 84 & alibi *Spelmannus* contra Varillasii reprehensiones defenditur. P. 87 & seqq. contra sententiam non Varillasii solũ, sed & Protestantium plerorumque, mortuũ esse probat Wiclefum in com-

munione publica Ecclesiæ Romanæ; deinde ingenium, eruditionem & mores ejus graviter describit, putatque errores *Lollardorum*, quos vocabant, aliosque nullo jure ei postea in Constantiensi concilio attributos fuisse. Vid. p. 94 & seqq. interim ab omni heterodoxia illum non absolvit, nec superbiam & inconstantiam ejus tacet, p. 98 & seq. Pergit inde ad historiam Hussi, & in hac Varillasium non manuscripta, de quibus gloriatur, neque autores probatos, sed unum Cochlæum, qui effreni maledicentia omnem fidem perdiderit, secutum esse, plurima tamen ex fœcundo cerebro suo produxisse asserit, p. 101 & seqq. *Petrum Dresdensem* Professorem Lipsiensem fuisse, a Varillasio sine fundamento tradi notat (idque merito; Professor enim non fuit, ut ex actis Academiæ nostræ satis constat;) eum etiam & Jacobellum Pragensem ab aliis ejus insultationibus defendit; plura removet, quæ Husso falso tribuuntur. Inter plures alias editionis primæ mutationes, insignem detegit p. 124. Cum enim magna cum asseveratione in editione priori contra fidem omnium actorũ statuisset, duo salvi conductus diplomata Husso data fuisse, unum ab Imperatore, alterum a concilio, jactans, novo hoc invento nodum veluti Gordium se solvisse; in posteriori editione ista omnia, sublatis tribus paginis omisit, addita (veluti effugii causa) commentatiuncula, datum fuisse Husso salvum conductum ad preces concilii, quod tamen cũ horribili illo decreto de non servanda fide hæreticis, etsi ab Imperatore & regibus promissa, non convenire facile videre potuisset, nisi ei, ut *Larroquius* putat, decretum istud cum tota concilii historia incognitum fuisset. P. 131 refutat narrationem de evasione a Joh. Husso tentata, ostenditque quam male in citando Cochlæo versatus sit. Arguitur p. 143 omissio elogii constantiæ & pietatis a moriente Husso demonstratæ, quod illi in prima editione amplissimum dederat (vid. *Act. nostr. 1683.* p. 560.) in secunda autem expunxit. Subjungitur descriptio Hussi egregia p. 145 & seqq. Tandem memor eorum, quæ pro defendenda parentis sui sententia ab initio sibi proposuerat, p. 148 & seqq. negat docuisse Hussum, quæ Protestantes postea docuerunt, adeoque ab his pro martyre suæ religionis haberi non posse, quanquam gloria illi auferri non debeat, quod pro veritate quorundam, quos asseruit, articulorum mortuus sit, nec crudelitatis notam effugiant, qui eum

eum ad mortem condemnarunt. Addit, Hussum non solum circa *transsubstantiationem*, sed & circa *purgatorium*, *cultum B. Virginis & Sanctorum*, *merita operum*, *confessionem Sacramentalem*, ipsumque *Sacramentorum numerum*, doctrinam Ecclesiæ, qualis tunc erat, retinuisse. Provocat inter alia ad ipsius Lutheri testimonium p. 149, ex præfatione & notis marginalibus operum Hussi, quæ edita a Luthero esse putat Norimbergæ A. 1558. De re ipsa non disceptamus, verum bona cum pace viri doctissimi monere nobis liceat, neque anni 1558 editionem (quam citat autor) neque anni 1583 qua nos usi sumus, Luthero, longe antea mortuo, attribui posse. Præfationes autem Lutheri, quæ postea operibus Hussi præfixæ sunt, in epistolas quasdam ejus A. 1537 compositæ, & separatim antea editæ fuerunt, eoque anno in Tomis Lutheri reperiuntur. In epilogo excusatum se cupit autor, quod in examine ulterius non pergat: neq; enim otio se abundare, & ingentem talium animadversionum messem aliis superesse. *Coquelini* denique Cancellarii Parisiensis Academiæ magnificum de Varillasio judicium perstringit, & Burneti partes haud obscure tuetur. Multa tamen quæ huic responsa a Varillasio sunt, etiam sibi obstare deprehendet Larroquius; inprimis exceptionem illam de prima Wiclefianæ historiæ editione se inscio facta, tum & Remondi testimonia, quibus exprobratam sibi mercenariam fidem & fingendi licentiam, in apologia adversus Burnetum a se amoliri laboravit.

Anhang der continuirten Einleitung zu der Historie der vornehmsten Reiche und Staten von Europa/Antoine Varillas entgegen gesetzt durch Sam. Pufendorff: i. e.

Appendix Isagoges ad historiam de præcipuis Statibus Europæ, Antonio Varillasio opposita a Sam. Pufendorfio.

Francofurti ad Mœnum, apud Frid. Knochium, 1687. in 8.

QUam audaciam & fingendi licentiam in historia religionis sibi sumserit *Varillasius*, præter virum summum Dn. *Seckendorffium* (in Ad-

(in Addition. ad Commentar. Hist. Apolog. de Lutheranismo) *Burnetus* & *Larroquius* in Animadversionibus criticis jam recensitis animadverterunt; eam etiam hoc tractatu nobilissimus Dn. *Pufendorfius*, justo religionis Evangelicæ actus zelo notavit, in paucis ejusdem historiæ *de revolutionibus Europæ in causa religionis* pagellis, quibus res Sueciæ attigit, nonaginta & unum errores refutans. In cujus præfatione, cum scopum operis Varillasiani, qui est demonstrare, intra trium seculorum decursus, omnes quotquot Ecclesiæ Romanæ seu Pontificiæ contradixere, aut ab ejusdem placitis dissenserunt, id commodi alicujus politici vel status causa feciſſe, exposuisset; *Varillasium* huic quæstioni probandæ non solum imparem esse, sed si maxime (quod tamen falsum dicit) id verum esset, non ideo respectum commodi alicujus status, quem imperantes intendissent, arguit quidquam veritati doctrinæ, quam Protestantes defenderunt contra Pontificios, detrahere: ipsum gentium Apostolum fateri, verum Christum prædicari, etsi docentes aliũ respiciant finem: opus Dei in tali casu, ab intentione hominum distinguendum esse: in divino reformationis negotio, non respectus humanos, quos forte aliquis Reformatorum habere potuisset, sed veritatem doctrinæ Christianæ esse attendendam. Deinde addit, non esse, cur Protestantes hac in parte Pontificiis quidquam concedant, cum vel millies justissimas causas ediderint, quas propter jugum tyrannidis Pontificiæ excusserint: nec facere ad scopum Varillasii, quod Ordinibus Protestantibus vindicationem bonorum ecclesiasticorum exprobrat; quia illi jure hac in parte usi sint suo, recuperantes bona, reipublicæ propter superstitiosos cultus subtracta & abusibus adplicita. Negat etiam motuum & turbarum, reformationis tempore coortarum, causam fuisse Protestantium doctrinam; cum si nulla religionis mutatio facta esset, illæ, ut ante reformationem non semel accidisse legimus, fieri potuissent. Hinc colligit, falsas Varillasii narrationes non tam ex ignorantia, quam calumniandi studio fuisse consarcinatas, ut Protestantibus majorem concitaret invidiam; quasi non veritatis, sed commodi solum status gratia, reformationem susceptissent. Unde imprudentiam ejus simul patere ait, quod non Gallis solum historiæ hujus imperitis falsa persuadere sategerit, sed omnes

omnes Protestantes, illata ipsis injuria, hoc modo irritaverit, ut culpam sane gravissimam amoliri necessum habeant. His in proemii vicem præmissis, errores ejus tum geographicos, tum genealogicos, tum præcipue historicos & politicos in historia Sueco-Danica admissos excerpere & confutare aggreditur. Quos recensere omnes, nimis prolixum foret; inprimis cum ipse libellus facile a lectore evolvi poterit. Primo notat falsa, quæ de *Meursii* historia Danica sparsit: deinde errorem animadvertit p. 17, quod Dani quater & vigesies Suecos in potestatem suam redegerint: pag. 23 seqq. errores de Gustavo & reformatione religionis in Suecia perstringit: pag. 28 ostendit Varillasium multa garrire, quæ ad scopum suum plane non pertinent: pag. 31 impudentiam ejus in allegandis documentis fictis notat: p. 34. ridiculam descriptionem obsidionis Holmiensis notat: p. 39. & 48. inperitiam ejus geographicam attingit: p. 58 calumniam diluit Varillasii, quasi religio Lutherana tyrannidis Christierni causa fuisset; cum ille tamen publice Pontificiam religionem profiteretur.

CONFUCIUS SINARUM PHILOSOPHUS, Sive Scientia Sinica latine exposita, studio & opera Prosperi Intorcetta, Christiani Herdtrich, Francisci Rougemont, Philippi Couplet, Patrum Societatis Jesu. Jussu Ludovici Magni, e Bibliotheca Regia in lucem prodit.

Parisiis, apud Danielem Horthemels, 1687. in fol.

UT opus Confucii ipsum laude dignissimum orbi litterato eo magis commendabile redderetur, & proœmialis declaratio cum Confucii Vita præmittitur, & Sinicæ Monarchiæ tabula chronologica subjungitur. Proœmialis declaratio, in qua non pauca ad rei litterariæ Sinensis accuratiorem notitiam facientia adducuntur, duabus partibus constat, & quælibet in certos paragraphos distribuitur. In partis primæ §. 1. observatur, inter libros, quorum infinita multitudine Sinenses laborant, principes omnium & primæ classis partim esse eos, qui per antonomasiam *U kim*, id est, *quinque volumina* dicuntur: partim qui *Su xu*, id est *tetrabiblion*: e quin-

que illis voluminibus *primum* idemque præcipuum, *Xu Kim* dictum, sex libris constare, in quibus variorum Regum res gestæ describantur, & quæ ad Kalendarium ac intercalaris anni usum atque ordinem, item diluvium novennale, ritus in sacrificiis observandos, musicam, reorum supplicia, rectam subditorum gubernationem, religionem & alias virtutes spectant, afferantur: In *secundo*, quod ab odis & poematibus, quibus totum constat, *Xi Kim* dicitur, mores & statuta referri duodecim fere Regnorum, quæ uni omnium Principi, penes quem erat summa rerum, sic parebant, ut tamen suis singula ditionibus imperitarent: *Tertium Ye-Kim* appellatum, omnium omnino voluminum, si Commentarii excipiantur, antiquissimum, utpote cujus autor fertur *Fo hi* fundator ille gentis Sinicæ, & rudium hominum primus magister & alter Orpheus, merum esse ænigma, & paucis quidem lineolis hieroglyphicis ac figuris constare, quas post alios duos interpretes explanare aggressus sit Confucius, omnia partim ad naturas rerum, maxime elementorum, & quæ cujusque propriæ sint affectiones & qualitates, partim ad mores ac disciplinas hominum referendo: In *quarto*, quod senex admodum Confucius conscripserit, variorum Principum res gestas, vitia, virtutes, pœnas & præmia narratione historica exhiberi, operisque hujus titulum a vere & autumno, quæ vocibus Sinicis *Chun cieu* notantur, esse desumtum, propterea quod cum virtute sapientiaque Principis efflorescat, amœnissimi veris instar, Respublica; uti e contrario cum ejusdem stultitia & improbitate, ceu autumnali cœlo frondes ac flores, diffluere totam, marcescere, & consenescentis instar, tandem emori necesse sit: *Quinto* denique volumine, quod *Li—ki*, id est, rituum & officiorum memoriale inscribitur, atque decem libris absolvitur, agi de ritibus tam sacris quam profanis; de officiis item cujusvis generis, scilicet parentum, liberorum, conjugum, hospitum &c. & ostendi, quæ vasa, quas cœlo victimas, quibus in sacrificiis ac templis, quæ majoribus jam defunctis fercula, quas dapes ac munera in funebribus eorum aulis, quo ritu, quove apparatu, vel Reges, vel optimates, vel ipsum quoque promiscuum vulgus adhibere oporteat; quin & artes liberales, musicam inprimis, item militarem jaculandi, regendi currus, studiose tradi. Recensitis illis primæ classis & autoritatis quinq; voluminibus, quatuor

tuor libros, *Su xu* dictos, quorum tres Confucium & quartus Mencium autorem habet, utilitate non modo superiores, sed & autoritate pares esse ait, unde & *Lo kim*, hoc est, sex volumina dicantur, vel *Ll kim su xu*, id est quinque volumina & quatuor libri: item tanto haberi in pretio, ut quilibet ad litterarios gradus & laureas adspirans, eos totos memoria & intelligentia complecti necessum habeat, cum e quinque voluminibus unum duntaxat, cui pro arbitrio suam operam ipse dederit, sibi familiarem reddere cogatur. In §. 2. de Interpretibus librorum modo memoratorum agitur, & ab aliis plures, ab aliis pauciores numerari refertur, insimulque notatur vesania Imperatoris *Xi hoam ti*, qui per Imperium totum cremari jussit omnes libros, exceptis iis, qui de agricultura, de arte medendi & de sortilegiis agerent; & contra commendatur Principum e quinta Familia, *Han* vulgo nominata, erga litteras singularis amor, quo ducti semiustas librorum reliquias, si quæ usquam persisterent, jusserunt colligi, parietibus item & sepulchris abditos, quamvis jam semiesos situque perditos in lucem proferri, & consuli præterea grandes natu, si quæ forte, quæ quondam memoriæ commendaverant pueri, etiamnum tenerent; nihil denique non adhibuere operæ vel industriæ, quo tantæ litterarum jacturæ mederentur. In §. 3. traditur notitia sectæ, oriundæ a Philosopho *Li lao Kiun* vulgo dicto, alias *Pe yam*, vel *lao tan*, quem fabulantur post annos unum & octoginta, quam eum sua mater utero gestaverat, tandem ex sinistro illius latere via sibi facta prorupisse in lucem, genitricem vero ex tam prodigioso partu mox periisse. Libris quos conscripsit, dignas philosopho sententias de virtutibus, honorum fuga, contemtu opum rerumque humanarum, & de beata illa solitudine, qua animus, humanis rebus superior, frui queat, inseruisse memoratur, & ex sententia ab eodem inter cæteras allata, quam tanquam nobilissimum philosophiæ suæ axioma sectatores assidue decantant, videlicet *Yao sem ye*, *Ye sem ulh*, *Ulh sem san*, *San sem van ve*, id est, *lex sive ratio produxit unum*, *unum produxit duo*, *duo produxerunt tria*, *tria produxerunt omnia*, supremi cujusdam Numinis habuisse notitiam colligitur, ac perhibetur, post aliquot secula, multos eorum, qui discipuli ejus aut erant, aut esse mentiebantur, nefariis magiæ studiis fuisse addictissimos, & ob eam magni æstimatos

atque hodienum horum impoſtorum poſteros haud in vulgari eſſe pretio. In §. 4. luculenta ſectæ, *Foe Kiao* dictæ, atque annis quinque & ſexaginta poſt C. N. apud Sinenſes regia autoritate introductæ, ſiſtitur notitia, & quæ illius apud Indos fuerit origo, quæ apud Sinas incrementa, quæ dogmata invexerit, altius aliquanto repetitur. Ortus ejusdem refertur ad *Mo ye*, quæ Indiæ Reguli *In fan vam* dicti uxor fuit, filium *Xe* primum ſive *Xe Kia*, & a Japoniis corrupto vocabulo Sinico *Xaca*, deinde cum trigeſimum attigit ætatis annum, *Fæ*, id eſt, *non hominem*, nominatum, qui, ut perhibent ejusdem ſectatores, ex elephante albo conceptus atque ex latere dextro matris ſuæ in hanc lucem editus fuit, & a partu mox pedibus conſtitit, atque paſſus omnino ſeptem progreſſus, altera manu cœlum, altera terram indicans, *Tien xam*, *Tien hia tongo guei çun*, id eſt, *in cœlo terraque ſolus ego ſum venerandus*, clara voce pronunciavit. Hic ipſe *Xe kia* teterrimum virus Atheiſmi jam moriturus evomuiſſe perhibetur, diſerte profeſſus, ſe per annos quadraginta eoque amplius non declaraſſe mundo veritatem, ſed umbratili & metaphorica doctrina contentum, figuris, ſimilibus, & parabolis nudam veritatem occultaſſe; at nunc tandem, quando eſſet morti proximus, arcanũ ſenſum animi ſui ſignificare velle: extra vacuum igitur & inane, primum ſcilicet rerum omnium principium, nihil eſſe quod quæratur, nihil in quo collocentur ſpes noſtræ. Hinc non modo Atheiſmi prima radix, ſed & celebris illa doctrinæ in exteriorem & interiorem nata fuit diſtinctio, qua innuitur, quod exterior ad interiorem quaſi manuducat, & tamdiu in uſu ſit illa (quam adeo ſubſtitutam, Sinice *Kiven* vocant) quoad altera quam *xe* id eſt veram ſolidamque eſſe docent, in animis eorum qui capaces fuerint firma conſtiterit. Non ingratũ B. L. accidet ſi utriusq; ſummam, prout ibidem deſcribitur, hic oculis ejus ſubjiciamus. *Exterioris* ergo *doctrinæ* hæc ſumma eſt: boni & mali, pravi rectique diſcrimen dari: adeoque & præmium & pœnam, & ſedes huic & illi deſtinatas: beatitudinem triginta duabus figuris & octoginta qualitatibus obtineri: ipſum *Fæ* ſive *Xaca*, numen eſſe & Salvatorem mortalium: horum quippe cauſa, quod aberrantes a via ſalutis miſeraretur, natum eſſe: horum crimina per ipſum expiari: quibus expiatos ſalutem a morte conſequi, & in altero mundo felicius renaſci: quinque dari præcepta

cepta, primum, ne rei viventi dematur vita; ſecundum, ut abſtineatur furto; tertium, flagitio & turpitudine; quartum, mendacio; quintum, vino. *Interioris* vero *doctrinæ* ſumma eſt, *Cum hiu*, id eſt vacuum & inane, principium eſſe finemque rerum omnium: ex hoc primos humani generis parentes originem duxiſſe, in hoc ubi vivere deſierunt, reverſos eſſe, neque aliam totius eſſe generis conditionem: omnia, quæcunque exiſtunt, vita, ſenſu, mente prædita, quamvis inter ſe uſu & figura differant, intrinſece tamen unum quid idemque eſſe, quippe a principio ſuo indiſtincta. Hoc autem principium cum doceant eſſe prorſus admirandum quid, purum, limpidum, ſubtile, infinitum, quod nec generari poſſit nec corrumpi, quod perfectio ſit rerum omnium ipſumq; ſumme perfectum & quietum; negant tamen, corde, virtute, mente, potentia ulla inſtructum eſſe: imo hoc eſſe maxime proprium eſſentiæ ipſius, ut nihil agitet, nihil intelligat, appetat nihil. Quocirca quisquis bene beateque vivendi ſit cupidus, huc aſſidua meditatione, ſuique victoria eniti oportere, ut principio ſuo quam ſimillimus, affectus omnes humanos domet ac prorſus exſtinguat, neque jam turbetur, vel angatur re ulla, ſed ecſtatici prorſus inſtar abſorptus altiſſima contemplatione, ſine ullo prorſus uſu vel ratiocinio intellectus, divina illa quiete, qua nihil ſit beatius, perfruatur: quam ubi nactus fuerit, communem vivendi modum & doctrinam tradet aliis, & ipſemet ſpecie tenus ſequatur, clam vero ſibi vacet ac veritati, & arcana illa quiete vitæque cœleſtis inſtituto gaudeat. Paulo poſt refertur, ex hac ſecta novam rurſus, quæ alio nomine *Vu guei Kiao* ſive *nihil agentium* dicatur, prodiiſſe, eorum nempe qui principii hujus chimærici contemplationi impenſius vacent: item optimates Imperii & ſummos quosq; viros hac inſania adeo occupatos, ut quo quisq; propius ad naturam ſaxi truncive acceſſiſſet, horas complures ſine ullo corporis animique motu perſiſtens, ſine ullo vel ſenſuum uſu vel potentiarum, eo profeciſſe felicius, propiorque & ſimilior evaſiſſe principio ſuo aërio, in quod aliquando reverſurus eſſet, putaretur: & quamvis hanc Contemplantium ſectam ſcripto volumine Colaus *Poei guei* Confucii ſectator oppugnaverit, copioſe probans Ariſtotelicum illud, ex nihilo nihil fieri, non ita tamen refelli potuiſſe errorem iſtum, ut non manarit latius, & multi

noſtra quoque ætate, contemplationibus tam inſanis operam impendant ſuam. §. 5. depingit ſectam *Ju Kiao* litteratorum ſive Philoſophorum propriam, & obſervat ex iis veterum omnem philoſophiam in ſupremi alicujus Numinis, quod *Xam ti*, ſummum cœli Imperatorem nuncuparint, & Spirituum, rerum ſublunarium præſidum, religioſo cultu, atque prudenti Regni adminiſtratione conſtitiſſe: recentiores autem Interpretes a priſcorum per quater mille annorum ſpatium tradita ſapientia defeciſſe, & moderatoris cœli atque terræ exiſtentiam negaſſe. In §. 6. inquiritur in fontem, ex quo hauſerint novum philoſophiæ genus neoterici interpretes, & docetur radicem totius doctrinæ unam eſſe atque eandem, unumque plane fundamentum, librum ſcil. *Ye kim* ſive mutationum, ſupra inter 5 claſſicos libros tertio loco poſitum, eaque occaſione illius ſummarium quoddam & paradigma in gratiam curioſorum lectorum exhibetur, & in ſequentibus duobus paragraphis ſpeciminis loco decima quinta figura, e libro *Ye kim* adducta, & ex mente Sinenſium expoſita magis magisque dilucidatur.

In *partis ſecundæ* §. 1. explicatur, quod principium rerum materiale *Tai kie* nominent neoterici interpretes, ac plane negent, eſſe quid mere imaginarium, aut ſimile ei, quod Bonziorum ſecta vacuũ & inane, vel quod ſecta Tao nihilum nuncupat, ſtatuantq; rem eſſe veram vereq; exiſtentem, eſſe id quod concipi quidem debeat fuiſſe ante omnia, re autem ipſa non diſtinguatur a rebus ipſis, ut perfecto & imperfecto cœlo & terra & quinq; elementis, ſed quid unum idemque ſit cum illis, ſic ut ſingulæ res dici poſſint ſuo modo *Tai kie*: item quod alibi dicant, *Tai kie* concipi debere, ut quid immobile & quietum in actu primo, dum autem movetur, producere *Yam* ſive perfectum, a quo motu dum rurſus ſiſtit ſive quieſcit, producere *Yn* ſeu minus perfectum: præterea, quod miranda plane ac divinis prope ſimilia ſuo illi *Tai kie* fidenter vendicent, ac vocent primum & a ſe, altiſſimum, ſubtiliſſimum, pulcherrimum, ſumme medium, ſummeque perfectum ac bonum, exemplar & ideam rerum omnium, principio carens ac fine; quin & vitam ei videantur alibi tribuere, cum animi ſpiritusque nomen ei tribuunt. In §. 2. quam perplexos habuerit & ſollicitos primos divinæ legis præcones (*Riccium* maxime) tanta varietas & confuſio dogmatum, ſectarum, librorum

brorum, interpretum, declaratur. In §. 3 Riccii ſingularis ardor & ſtudium in evolvendis priſcorum Sinenſium monumentis, & promovenda Religionis Chriſtianæ veritate commendatur. In §. 4 ex libris Sinarum authenticis, nullum eisdem fuiſſe cum aliis nationibus commercium, illosque nec ab Aſſyriis, Ægyptiis, Japonibus, aut Hebræis originem ſuam duxiſſe concluditur. In §. 5 probatur, ad ipſa proxima diluvii tempora revocanda eſſe Sinarum exordia, adeoque notitia cultuque veri Numinis in ipſo ortu imbutos, & ex alia nulla orbis natione eorundem leges, ſcientias & pleraque inſtituta proficiſci potuiſſe, præterquam ab ipſo Patriarcha Noemo, aut filiis ejusdem, aut nepotibus. In §. 6 exponitur, quod in veri Dei notitia perſeveraſſe Sinas per aliquot ſecula, admodum ſit probabile. §. 7. in eadem materia occupatur, & argumentis aliis atque aliis confirmat, veri Dei apud Sinas notitiam exſtitiſſe. §. 8. nominis *Xam ti*, quo verum Deum priſci Sinæ inſigniverunt, etymon & proprietatem tradit, nempe quod littera & vocabulum *Ti* primaria & ordinaria, quin & unica & propria ſignificatione ſua idem ſit, quod imperator, moderator & dominus, ſitque ipſiſſima vox ac littera, qua Sinæ plerumque Imperatores ſuos fere a principio in hodiernum usque diem compellant, tametſi inter 88 primos Imperii Principes tantum tredecim reperiantur, qui hoc uſi ſint nomine, cum cæteri appellati fuerint nomine aut proprio quondam, aut *Vam* quod Regem ſonet, donec deinde quartæ *çin* familiæ Imperator *Xi hoam ti*, quod præſumeret ſe trium Imperii conditorum & Principum *Yao*, *Xun*; *Yu*, *Tam*; *Vu-vam* merita & virtutem ſuperaſſe, primus inſtituit, ut nomini *Ti* præponeretur *Hoam*, hoc eſt, magnus ſeu auguſtus Imperator, quo titulo omnes quotquot exinde ſecuti ſint Principes appellati ſint. Altera vero littera *Xam*, quæ dum Deum notat, *Ti* litteræ præponitur, ſupremũ ſignificari dicitur, quo addito ſimpliciter ad nomen *Ti*, nemo hactenus Imperatorum uti auſus ſit. §. 9 declarat, quod primævæ nominis *Xamti*, quo verus Deus fuit notatus, ſignificationi nihil derogare queat adultera Nuvatorũ interpretatio, ſive iſti jam fuerint de Secta *Tao*, a qua primum vitiata ſignificatio, introductis variis ejusdem nominis in cœlo Numinibus: ſive etiam fuerint duo tresve Imperatores, qui nomen *Xam ti* duobus hominibus, *Lao Kiun* & *Cham y*, quorum

rum prior coætaneus fuit Confucio, posterior sub quinta familia Han floruit, tribuerunt. §. *10* exemplo Apostoli gentium & Patrum primitivæ Ecclesiæ, voce θεὸς vel Dei apud Græcos & Latinos, cum hoc audito gentiles isti, quos instruebant, in alicujus Numinis notitiam venerint (quamvis iidem sub eo nomine aut cœlum materiale, aut terram, aut elementa, aut plantas, aut homines scelestissimos tum intelligerent) utentium, aliisque rationibus evincitur eodem, quo prisci Sinenses, nomine verum Numen compellari posse. §. *11* monet, non usquequaq; standum autoritati interpretum neotericorum, sed nudo textui, quoad fieri potest, insistendum. §. *12* & ultimus docet, quanto cum applausu P. Matthæi Riccii opus de Christiana Religione duobus constans voluminibus, sub titulo: *Tien hio xe y*, id est *cœlestis doctrinæ vera ratio*, editumq; typis in ipsa Imperii aula A. C. 1603, ab ipsis Sinensibus exceptum fuerit, atq; inter alia notat nomen & adventū Riccii in Chinam jam in urbium memorari annalibus, & illi, postquam anno ab operis editione septimo, in Regia Pekinensi diem obierit, attributam fuisse portionē non exiguam Pekinensis agri ad honorificā sepulturā, idq; jussu ipsiusmet Imperatoris atq; diplomate: observat item alios ab eodem Riccio libros, in quibꝰ de vanitate rerum humanarum, de morte, de æternitate philosophatur, in Sina fuisse editos: Didacum Pantojam illius individuū in aula socium, præter paraphrasin in symbolum 12. Apostolorū, consulto scripsisse septem volumina de septem peccatis capitalibus, oppositisque septem virtutibus, ea quidem eruditionis & eloquentiæ Sinicæ sapientiæque laude, ut plausum retulerit prope parem cum Riccio: Julium Aleni hortatu litteratorum Australium vitam Riccii & res gestas Sinice conscriptas vulgasse, aliosque libros in lucem edidisse, in quibus partim impia Novatorum dogmata & interpretationes adulterinas egregie confutet, ut in illo, cui titulus: *Van ve chin yven* i. e. *rerum omnium vera origo*, partim etiam enarret res gestas Christi, Mariæ, & de Sacramentis aliisque religionis Christianæ mysteriis agat, ea quidem cum fama virtutis ac sapientiæ, ut litteratos inter passim audiret *Si lai cum çu* i. e. *occidentis advena Confucius*, alter scilicet: magnam quoque laudem tribuendam esse Alphonso Vagnoni, qui in China septentrionali Ecclesias fundarit omnino 40, variis in urbibus & oppidis, adhæc complura instituerit sodalitia ho-

tia hominum etiam litteratorum ad communes Christianæ virtutis ac religionis exercitationes, libros denique vulgarit non Christianis modo, sed Ethnicis quoque perquam utiles, qui multis voluminibus contineantur: post hujus mortem, Cacodæmonem primam contra doctores Christianos neophytosque persecutionem anno 1615 excitasse, quæ tamen paucis post annis, patrocinantibus innocentiæ Christianæ doctoribus tam Ethnicis quam Christianis cessaverit.

Procœmialem istam declarationem Philosophorum Sinensium principis Confucii Vita excipit. In qua notatur, *CUM FU CU* sive Confucium, cognomento *Chum nhi*, anno ante Christi ortū 551 natū fuisse in pago *çeu ye*, provinciæ *Champim*: patrem habuisse *Xo leam he*, Præfectum & ex Imperatoria stirpe prognatum; matrem *Chim* dictam, e familia prænobili *Yen* satam: puerum adhuc sexennem viro quam puero similiorem, cum æqualibus nunquam visum esse lusitare: annorum quindecim adolescentem totum se dare cœpisse priscorum libris evolvendis: decimo nono, aut ut alii, 20 ætatis anno duxisse uxorem, ex qua sequenti mox anno susceperit filium *Pe yu*, sed quo deinde jam quinquagenario orbatus sit, uxore tribus ante annis amissa: variis in locis magna cum laude magistratum gessisse, & curas ejusmodi ac dignitates non alio fere studio admisisse, quam publicæ utilitatis, & spe propagandæ doctrinæ suæ, qua quidem si forte falli se videret, ultro magistratu sese abdicasse: discipulos numerasse 3000, & ex iis quingentos exstitisse, qui variis in Regnis magistratus gesserint, duos & septuaginta autem fuisse, qui præ cæteris eminuerint: variis virtutibus conspicuum anno ætatis 73 ex hac vita migrasse, & maximum sui desiderium apud discipulos reliquisse: per annos bis mille eoque amplius, multum honoris ei gratam Sinarum posteritatem exhibuisse: ejus nepotem ordine sexagesimum octavū hodie superstitem, perpetuo & hæreditario *cum*, hoc est ducis titulo & dignitate, raro quoq; privilegio, scilicet immunitate a pendendis vectigalibus gaudere, & ab omnibus, qui singulis trienniis ad Doctoris gradum evehuntur, pignus aliquod grati animi & quasi minerval, quod Avo solvere nequeunt, accipere.

Sequitur hinc ipse Confucius, sive Scientia Sinensis latine exposita, cujus liber primus a *çem çu* secundo Confucii discipulo in hanc lucem fuit editus, & quia doctrinam in eodem propositam

Principibus viris ac Magnatibus, qui subjectos sibi populos ac regna moderantur, commendatam inprimis voluit Autor, *Ta-Hio* i.e. magnæ scientiæ nomen accepit. In illo enim docet Confucius Principes, ut bene feliciterque imperent, ab animi primum nec non sui totius cura cultuque initium sumere, deinde per familiæ suæ aulæve domesticæ rectam institutionem, ad Regni ac denique Imperii totius administrationem gradum facere. In secundo, qui a Confucio itidem elaboratus, sed ab hujus ex filio nepote *çu su* dicto luci publicæ expositus fuit, agitur potissimum de medio sempiterno, sive de aurea mediocritate constanter & omnibus in rebus tenenda, ideoque *Chum—yum* libri titulus est; *chum* quippe medium denotat, *yum* vero, quod alias pro ordinario vel quotidiano accipi solet, hoc loco idem sonat quod constans vel sempiternum. In hoc libro multa desiderari, sic ut fragmentorum verius quam libri speciem habeat, eumq; ob doctrinæ sublimitatē subobscurum & captu difficilem, a Sinæ Magistris, cum numero secundus sit, postremo tamen loco exponi, observatur in superius recensita *proœm. declarat. part. 1. §. 2 p. 21.* Liber tertius decem *kiuen*, id est partibus seu capitibus constans, *Lun yu* (quasi dicant ratiocinantium inter se colloquia seu sermones) inscribitur, propterea quod apophthegmatis Confucii, nec non discipulorum ejus, & variis hinc atque inde quæsitis ac responsis totus constet. In illo de vitiis, virtutibus, officiis, recto regimine prolixe disseritur, & multa etiam, quæ in magistro suo Confucio observarunt discipuli, afferuntur. His tribus e Sinica in Latinam linguam translatis libris, quædam memoratu haud indigna, & ad illustrationem istorum facientia, ex aliis Sinensium monumentis deprompta insperguntur: e.g. in *libro 1. p. 7.* recensetur antiquus illemos, quo in vasis domesticis simili que supellectili, pulcherrima quæque virtutum documenta insculpi, aut appingi, & in intima quidem vasis ipsius facie solebant, ut ea tum quoque, cum vel corpus lavarent, vel cibum sumerent, semper ante oculos haberent. In eodem libro *p. 9.* ex Sinensium annalibus refertur, quod Rex *Ven-vam*, cum forte offendisset in campo ossa insepulta ignoti hominis, protinus ea humari jusserit, cumque esset e circumstantibus, qui diceret, ignorari defuncti dominum, adeoque non esse illius habendam rationem; responderit, at qui tenet Imperium, Imperii dominus est;

qui

qui Regnum, Regni dominus; ego igitur & hominis hujus sum dominus; quorsum hoc ultimæ pietatis officium illi negem? & hæc dicens regali se veste exuerit, eaque involvi mandaverit ossa ac de more tumulari. *Pag. 12* adducuntur quinque regulæ, Judicibus olim constitutæ, ad dignoscendum ex ipsa exteriori specie, an lis, quam actor intendebat, sincera & vera, an malitiosa & subreptitia esset. Prima observari jubebat verborum compositionem ac loquendi modum in actore movente litem, & dicebatur *çu-tim*, i. e. verborum observatio. Secunda oris totiusque vultus compositionem, & dicebatur *setim*, i. e. vultus observatio. Tertia modum respirandi, dum litem actor proponeret, & dicebatur *Ki-tim*, i. e. respirationis observatio. Quarta expeditas actoris aures, an scilicet actor, a Judice interrogatus, perplexe perturbateque, vel aliena, vel ambigua responderet, & dicebatur *ulh-tim*, i. e. aurium observatio. Quinta denique incertos oculorum conjectus nictusque, si quid in his scilicet subdoli minusve sinceri appareret, & dicebatur *mo-tim*, i. e. oculorum observatio. Non licet plura ex eodem vel reliquis duobus libris recensere, ne justo simus prolixiores. Rogamus tantum eos, quorum laudabili cura & studio opus Confucianum latine versum in hanc lucem prodiit, ut promissis sub finem illius factis stare, litterati orbis desiderium explere, & Memcium, secundum Sinensium Philosophum, qui uno post Confucium seculo vixit, in lucem Europæam pari industria producere velint, nulli dubitantes, se eruditissimo seculo rem longe gratissimam facturos esse.

Tabula Chronologica Scientiæ Sinicæ subjuncta in duas partes dispescitur, quarum prima recenset Imperatores, qui ante C. N. apud Sinenses ad Imperii clavum sederunt, & initium capit ab *Hoam ti*, & in *Hiao Pim ti* terminatur: altera enarrat Imperatores post C. N. & initio facto ab eodem *Hiao Pim ti*, seriem imperantium usque ad *Cam hi*, qui secundus e gente Tartarica, vigesimum secundum jam annum Tartaricum pariter & Sinense imperiū anno Christi 1683 moderatus est, accurate pertexit. Quibus duabus Tabulæ Chronologicæ partibus, duæ distinctæ præmittuntur præfationes, in quibus non pauca ad Sinensium Chronologiam plenius cognoscendam spectantia occurrunt. Post tabulam Chronologicam, Imperii Sinarum & rerum in eo notabilium brevis admodum synopsis, & Ta-

bula genealogica trium Familiarum Imperialium Monarchiæ Sinicæ exhibetur.

JOHANNIS CYPRIANI S. THEOLOGIÆ LI. centiati, & in Academia Lipſienſi Profeſſoris Phyſices HISTORIÆ ANIMALIUM a D. Wolfg. Franzio Theologo Witebergenſi olim ſcriptæ CONTINUATIO.

Lipſiæ & Francof. apud M. G. Hübnerum, 1688, in 8.

CUm Hiſtoria Animalium Sacra D. Wolfgangi Franzii, Theologi quondam Witebergenſis, decima vice ob defectum exemplarium typis exſcribenda eſſet, viri docti autem hactenus notaſſent paſſim alia falſo narrata de animalibus, alia omiſſa cognitu digniſſima, quæ hiſtoria naturalis noſtræ ætatis ſuppeditat, atque inſuper conſtaret, dicta Scripturarum Sacrarum, in quibus de beſtiis mentio, *Samuelem Bochartum* in Hierozoico multo accuratius & exquiſitius explicaſſe, idque in compendium elegans redigi a *Joh. Henrico Majo*, metuendum erat Bibliopolæ, ne, qui hæc noſſent, in poſterum ſpernerent ac abjicerent librum utiliſſimum. Siquidem utut quædam deſint, quædam corrigi debeant, occurrunt nihilominus in eo, quæ in aliis Auctoribus abſunt, meditationes ex beſtiarum natura & indole factæ, ad vitæ inſtitutionem ſaluberrimæ. De remedio ergo ex conſilio virorum eruditorum ſollicitus, Auctorem Continuationis compellavit, ut Hiſtoriam illam emendaret, augeret, perficeret. Suſcepit etiam is in ſe laborem, neque alienũ a ſua profeſſione, quam in Academia exercet, Philoſophiæ Naturalis, cujus pars non ultima eſt animaliũ hiſtoria, neque a ſtudiis ſuis cæterisſacris, in quibus & ſibi & aliis diſcere volentibus Vir clariſſimus operatur. Commentariũ ipſum & ſupplementum ſic expedivit: *primo* perperam relata annotavit, eosque, a quibus Franzius hauſit, nominavit: *ſecundo* nomina Latina beſtiarum, Græca, Hebræa, aliarumq; linguarum attulit, ubi utilitas ad rem præſentem affulgebat: *tertio* naturam & proprietatem beſtiarum deſcripſit, facta appendice peculiari de exoticis & vulgo ignoratis: *quarto* uſus in ſacrificiis, cibis, veſtitu aliisque, ac eis contrarios abuſus multiplices recenſuit. In quibus non profanos ſolum, tam veteres quam recen-

recentiores Zoographos, Anatomicos, Hiſtoricos qui itinera ſua per exteras regiones confecta literis prodiderunt, & alios optimos autores conſuluit, ſed diligenter etiam adduxit & explicavit in Sacris Scripturis de animalibus frequenter occurrentes ſententias. Atque ſic factum eſt, ut enuclearit integrum Bochartum, & in eum animadverſiones tam *Maji* quam ſuas conjunxerit. Tandem capitibus ſingulis ſuæ annexæ ſunt morales doctrinæ, in ſimilitudinibus emblematibusque, ex *Picciellí* Mundo Symbolico, aliisque præſtantiſſimis in eo genere libris, meditationibus Patrum ac recentiorum ſcriptorum conquiſitæ, vel ab Auctore Continuationis excogitatæ, in uſum oratoriæ tum civilis tum eccleſiaſticæ. Utque omnia in hoc volumine comprehenſa inveniantur facilius, acceſſerunt Indices Locorum Scripturæ explicatorum, Rerum Memorabilium, Moralium doctrinarum, Auctorum & Librorum citatorum, Hodego-Homileticus in Pericopas Dominicales & Feſtivales pro Miniſtris Verbi & Theologiæ Studioſis. Speraverat Auctor initio, additiones omnes poſſe ita breviter ac cito abſolvi, ut cum Franzio mox impreſſæ uno volumine comprehenderentur; ſed dum elaborando occupabatur, fatetur eam rerum copiam ac varietatem ſibi obveniſſe, quam nec tam arcte conſtringere, nec deſtinato primum tempore expedire potuerit. Unde aut indicanda ſolum errata veteris hiſtoriæ, & alia in beſtiis recenter obſervata fuiſſe, nominatis ſcriptoribus, ex quibus peterentur plura; morales etiam doctrinas omnes omittendas: aut, ut opus magis integrum prodiret, in duas partes debuiſſe ſecari. Illud prius minus placuit ipſi facere, quod plerisque, in quorum uſus augmentum fieret, libros illos comparandi aut evolvendi facultas non eſſet; aliis ſupellectile aliqua inſtructis, unum alterumve perlegendi, in aliorum negotiorum multitudine tempus non ſuppeteret; atque hi omnes vellent ſine dubio tractationem paulo copioſiorem, quam nimis abruptam, ac non valde ſibi utilem. Iſtud ergo poſterius inſtitutum teneri, longe conſultius viſum fuit. Quare nunc prodiit Continuationis Hiſtoriæ Animalium Franzianæ Tomus Prior, Dilucidationem Quadrupedum complexus. In cujus capitibus primis Iſaacum Voſſium perſtringit, quod *in libro de Poematum cantu & viribus rythmi*, tum prædicaverit animalium brutorum meliorem longe quam homi-

num conditionem, utpote quæ promtius, & forsan felicius, sensus & cogitationes suas sine interprete significent, quam nos, præsertim peregrino sermone usi, queamus: tum optarit, ut homines laborem, quem in perdiscendo sermone aliquo adhibent, arti impendant pantomimicæ, juxta quam, pulsa tot linguarū peste & confusione, omnes mortales possent signis, nutibus, gestibusve quidvis clare explicare. Animæ sentientis naturam esse spiritus animales, in sanguine potissimum radicatos, juxta ductum Scripturæ Sacræ asserit; ac de facultatibus ejus, inprimis generativa, ex variis hypothesibus, etiam recentissimis disserit, phantasiæ vires expendit, ac Cartesianos, qui brutis sensum omnem & perceptionem negant, refutat. In progressu tractationis nulla fere bestia quadrupes consideratur, de qua non plurimæ erroneæ opiniones removeantur, & contra veræ & exploratæ proprietates stabiliantur. Præcipue industrius fuit in contemplatione *Alcis*, *Monocerotis*, *Rhinocerotis*, *Chamæleontis*, ostendens quam sæpe etiam illi, qui bestias oculis suis propositas habuerunt, non satisfaciant suis descriptionibus. In moralibus haut raro negotium habet cum *Johanne Spencero* Theologo Anglo, quem quod is ad alia omnia, quam ad Christum, *Vaccam Rufam*, *Agnum Paschalem*, *Hircum emissarium*, *aliosque Typos* Veteris Testamenti referat, refellit, ac suis ipsum verbis confundere nititur. Tomum posteriorem, quo historia Avium, Piscium, Serpentum, Insectorum exponetur, jam adfectum, pari industria se confecturum, ac benevolente DEO propediem editurum pollicetur.

SENTIMENS D' ERASME DE ROTERDAM conformes à ceux de l' Eglise catholique sur tous les points controversez. i.e.

Sententia Desiderii Erasmi Roterodami conformis sententiæ ecclesiæ Catholicæ circa omnia illa, de quibus hodie controvertitur.

Coloniæ, 1688, in 12.

INter argumenta, quibus sententiam suam adversus Pontificios tueri solent Protestantes, extremum fere locum occupant *testimonia &*

nia & confessio Adversariorum. Quamvis enim hæc κατ' ἀλήθειαν disputaturis nulli usui sint; sunt tamen iis, qui argumentatione κατ' ἄνθρωπον secus sentientiū ora obturare volunt. Hac certe fini, opera & studio *Antonii Reiseri* τῦ μακαρίτȣ, anno abhinc quarto, in arenam eductus fuit *Joannes Launojus Theologus Parisiensis, testis & confessor veritatis Evangelico-Catholicæ adversus Bellarminū & alios sedis Romanæ defensores egregius & luculentus*; quo de dicta vide in Actis 1686 p. 341. Eadem ratione *Erasmus Roterodamus* a Nostratibus in controversiis Antipapisticis creberrime in partes vocatur. Licet enim nullus Protestantium facile dixerit, Erasmum Luthero per omnia consensisse; certo tamen certius tantum non omnibus videtur, haud raro illum in controversiis non exigui momenti a Romana, cui nomen palam dabat, ecclesia valde dissensisse. Quapropter & pessime illis vulgo audivit, qui Romanam sedem superstitiosius colebant. *Marianus* sane *Victorius* Episcopus Italus *hæreticum*, imo *hæreticorum omnium pessimum* vocitare amabat. Et *Sfortia Pallavicinus* Cardinalis l. 1. Hist. Conc. Trident. c. XXIII §. 7: *tandem* (inquit) *obiit malus quidem Catholicus, sed non Lutheranus.*

Romanæ igitur Ecclesiæ utilissimam operam se navaturum credidit libelli hujus autor *JOANNES RICHARDUS*, (*Prieur de Beaulieu Saint Avoye*,) si Erasmi cum ea consensum circa universa controversiarum Anti-Lutheranarum aut Anti-Calvinianarum capita, ex epistolis præsertim Erasmi probaret. Nihil enim aliud in causa esse, quod Protestantes in illius sinum reverti nolint, quam quod Erasmi autoritate fascinati, non nisi Erasmi fidei assensum præbere velint.

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas!

Optandum nihilominus esset, ut suspicionis suæ fundamenta adduxisset. Nam colunt quidem & mirantur omnigenam Viri eruditionem Protestantes, e quibus laudasse sufficiat Illustrem *Seckendorfium* Nostratem, lib. I. Hist. Lutheranismi §. 87. & *Londinenses* epistolarū Erasmi editores. Attamen, an Erasmi autoritas multis e Protestantibus tanti visa fuerit, ut illius judicio standum cadendumve sit religioni Evangelicæ aut Reformatæ, de eo ipse viderit *Richardus.*

Is ea interim de re nullatenus ambigens, duabus partibus opus suum constare voluit, quarum *posteriori*, sententiarum Erasmi & Roma-

Romanæ ecclesiæ circa singula dogmata controversa conformitatem sigillatim ostendere allaborabit. *Prior* autem *pars*, (quæ sola nunc edita) præter nonnulla ad Authoris scopum generatim facientia, nihil eorum fere complectitur, quæ libelli rubrica promittere videbatur. Non enim nisi *septem* theses, aut (ut Author vocare mavult,) *veritates*, cum totuplici exegesi illic deprehendas, quas Erasmus compendio complexus esse dicitur, dum paucis ante mortem annis Aloysio Marliano Episcopo Tudensi scripsit: *Christum agnosco, Lutherum non novi. Ecclesiam Romanam agnosco, quam opinor a Catholica non dissentire. Ab hac nec mors me divellet, nisi palam divellatur a Christo.*

Ordine enumerabimus veritates illas, quæ huc redeunt: 1) Erasmus doctissimus sui seculi Vir fuit, ut ex ipsorummet Pontificum, Cardinalium & Episcoporum testimoniis apparet. 2) Indignum in modum calumniis eum prosciderunt Doctorum ac mendicantium monachorum quidam, triplici potissimum de causa; nimirum eo, quod bonas literas orbi commendasset postliminioq; quasi invexisset, quod scholasticorum tricas explosisset, quod denique dogmatibus heterodoxis, quæ nonnulli pro Romanæ ecclesiæ placitis venditaverant, ritibus item superstitiosis ac Inquisitorum in conscientias tyrannidi, mascule & ut decebat, contradixisset. 3) Si Erasmus Lutheri partibus favisset, tota Germania Viri tanta eruditione, authoritate ac comitate pollentis exemplum secuta fuisset. Verum 4) tantum abest, ut id fecerit Erasmus, ut potius capitali odio in Lutherum & Lutheranos flagrarit, eo præsertim ex tempore, ex quo Lutherus moderatiora sibi suaderi abs eo ferre noluerat. Hinc A. 1524 Georgio Duci Saxoniæ scripsit: *Cum sentirem, me apud Brabantos agente Frobenium, instigantibus doctis, libellos aliquot Lutheri typis excudisse, literis illi denuntiavi, fieri non posse, ut amicitia mea uteretur, si talibus libellis contaminare pergeret suam officinam.* Et A. 1625 Nicolao Montensi: *Est mihi bellum irreconciliabile cum universis Lutheranis.* 5) Nec magis Calvini causa ab Erasmo patrocinium impetrasset, utpote de quo, licet juvene, spiritu quasi fatidico dixisse Sandero memoratur: *Video magnam pestem oriri in ecclesia, contra ecclesiam.* 6.) Pœnituit Erasmum senem, quod *in Colloquiis* olim & *Moria* libere nimis abusus & superstitiones satyrico sale perfricuisset, *haud quaquam scripturus, si secutorum temporum tempestatem exorituram præsciviſſet.* 7.) Erasmus non monachos eorumve statum odit, sed rabulas illos ac indocta pecora campi, quæ monachorum nomen sibi perperam arrogabant.

FLORENTII DE COCQ, ECCLESIÆ S. Michaelis Antverpiæ Ordinis Præmonstr. Canonici & S. Theologiæ Lectoris, De Jure, Justitia & annexis Tractatus quatuor, theologo-canonice expositi.

Bruxellis, typis Eug. Henrici Fricx, 1687, in 4.

POtiorem Jurisprudentiæ legibus canonibusve definitæ partem, imprimis qua moralitatem quandam continet, compendio tradere hoc in libro sibi Autor proposuit. Ac tametsi Theologus Theologiæ maxime principiis institerit, id tamen simul operam dedit, ut theologice dicta Jurisprudentiæ quoque, tam canonicæ, quam civilis autoritate ubivis confirmaret. Non diffitetur, hasce materias jam ante se a variis erudite ac operose discussas esse ac resolutas; at hoc una, quod raro alios præstitisse ait, suo in opere agere studuit, ut asserta generaliora, e Theologiæ & juris communis principiis deducta, statutis locorum particularibus, Belgii cumprimis, accommodaret, eorumque vel consonantiam vel discrepantiam ostenderet; quam in rem optimos quosque JCtos & Canonistas Belgicos nullibi non in consilium adhibere & excerpere sategit. Ad praxin quoque Gallicam alicubi oculum simul flexit, partim ob viciniam illius regni, partim quod observantia judiciorum Belgicorum aliqua ex parte cum juribus Galliæ consuetudinariis conspiret. Sic probat, utut secundum Canones procedatur in Belgicis provinciis, earum tamen Principes easdem cum Pontifice conventiones habere, quas Galliæ Rex sui regni intuitu cum eodem servat: indeque plurimis in capitibus, præsertim in materia beneficiorum, iisque quæ regalia, privilegia aut jurisdictionem concernant, jus canonicum recentius non ita exacte attendi, & ne ipsas quidem concilii Tridentini sanctiones: nec diplomata a Pontifice promulgata aliter in Belgio validam obligandi vim habere, quam si prius

Regio placito approbata expreſſe fuerint. Cæterum librum in quatuor tractatus dividere Autori placuit: *primum* inſcribit de jure & injuria, in quo ſimul doctrinam de dominio, delictis item criminibusque potioribus tractat; *ſecundum* de contractibus, cui materiam ultimarum voluntatum inſeruit; *tertius* de judiciis, juſtitia diſtributiva & jurisdictione agit, & *quartus* denique materiam beneficiorum eccleſiaſticorum latius perſequitur. Ea fere uſus eſt methodo, ut præſtructis breviter in quolibet capite juris principiis, quæſtiones dein ſubnectat morales & conſcientiam quadantenus concernentes: qua tamen in re cum rariſſime ex ſuo quid ſtatuerit ingenio, ſed pleraque omnia ex aliis bonis autoribus compilare ſaltem & congerere maluerit, non eſt cur plura de ſcripto hoc impræſentiarum verba faciamus; quin potius pauca hæc de Autoris inſtituto attuliſſe ſufficiet.

FRIDERICI SPANHEMII Fr. F. INTRODUCTIO ad Hiſtoriam & Antiquitates ſacras, cum perpetuis caſtigationibus Annalium Cæſaris Baronii ac recentiorum in Gallia Pontificia ſcriptorum. Tomus Secundus.

Lugduni Batav. apud Dan. a Gaesbeek, 1687, in 4.

QUi Eccleſiæ Hiſtoriis ſe illuſtrandis dederunt, bene operam ſuam collocaſſe, non ſemel a nobis, nec ſine merita laude Autorum memoratum fuit. Horum numerum præclare auget Vir clariſſimus *Fridericus Spanhemius*, Lugdunenſis Profeſſor, ut vel ex ſola *Introductione ad Hiſtoriam Sacram* luculentiſſime apparet. Prior ejus Tomus, qui in lucem A. M DC LXXXIII prodierat, præter Chronologiam Sacram, perſpicua & facillima methodo monſtratam, præterque ſuccinctas rationes Hiſtoriæ Veteris Teſtamenti, in certas Epochas diſtributæ, *ſex* priora *ſecula* Chriſtianorum exponit, & tanto applauſu ab eruditis exceptus fuit, ut horum deſideria non ſuſtineret Autor celeberrimus, niſi progreſſus in eodem curſu *ſecundum* etiam *Tomum* adjeciſſet, qui *quatuor ſeculorum* res, nempe *ſeptimi*, *octavi*, *noni*, atque *decimi* copioſa & perutili expoſitione compelcti-

plectitur. Singulis ſeculis hunc ordinem ſervat doctiſſimus Autor, ut diſtincte & ſeorſum exponat ſtatum primo Chriſtianæ Eccleſiæ, deinde propagationem ejusdem & converſiones gentium: poſtea doctrinam Catholicam, politiam Eccleſiaſticam, ritus etiam & ceremonias ſingulorum temporum, præterea doctrinæ depravationem, hæreticos, perſecutiones, & alia claſſe doctores ſcriptoresque Eccleſiæ, & tandem concilia tam generalia, quam certarum nationum, ac ubi opus fuit, id eſt in ſeculis prioribus, Judæorum quoque res & Gentilium tradat. Controverſias etiam Hiſtoricorum dilucide declarat, v. g. de origine & progreſſu ſchiſmatis Græcorum, de Honorio Papa Monothelita, de Pipino Pontificibus regnum acceptum ferente, de Johanna Papiſſa, & innumeras alias, quas omnes ita diſputat, ut ubique fere Baronium Annalium conditorem, & Allatium confutet, recentiſſimos etiam ſcriptores Maimburgium & Natalem Alexandrum caſtiget, interdum vero profeſſioni ſuæ, id eſt communi Reformatorum ſerviat, in cauſa præſertim Sacramentali & Prædeſtinatiana. Cæterum egregie rem gerit, ex Patribus, Conciliis, & rerum coævis aut proximis Hiſtoricis omnia explanat & confirmat; ut minime dubitemus, ſeculorum, quæ reſtant, perſimilem expoſitionem a clariſſimo Autore exoptaturos eſſe, quibus verior notitia Eccleſiaſticarum rerum curæ cordique eſt.

CHRISTOPHORI CELLARII HISTORIA Medii Ævi, a temporibus Conſtantini Magni ad Conſtantinopolim a Turcis captam deducta, cum Notis perpetuis & Tabulis Synopticis.

Cizæ, apud Bielkium, 1688, in 12.

ANni M DC LXXXV menſe Auguſto pag. 357 recenſuimus hujusdem Autoris *Hiſtoriam Antiquam*, ea methodo conſignatam, ut non ſolum ſeriem rerum geſtarum ab ortu imperiorum ad Conſtantinum usque Magnum perſequatur, ſed Notis etiam ſingula ex probatiſſimo quoque ſcriptore, & ſub finem Tabulis Synopticis illuſtret, quibus non modo ordo rerum magis perſpicuus proponi-

tur, verum etiam quæ in serie historiarum comprehendi cuncta non poterant, copiosius supplentur. Nunc addidit clarissimus Autor eadem methodo conscriptam *Historiam Medii Ævi*, qua tum universam historiam Constantinopolitanam, a dedicatione urbis usque ad Turcorum in eadem dominationem exponit, tum quæ ubique terrarum illis seculis in Oriente & Occidente gesta sunt, singula suis temporibus distributa, breviter quidem, ita postulante brevitatis ratione, at dilucide ac ordinatim enarrat, Notisque perpetuis & perspicuis ac facile contemplandis Tabulis, perinde atque in Antiqua Historia, declarat. Nec solum Civilis ac Ecclesiasticæ rei, sed Literariæ etiam in quolibet seculo rationem habet, & ea tam in serie contextus, quam in Notis tractat, quæ in tam arcte concinnatis Historiarum compendiis non facile reperiuntur. Limitem sibi, ut diximus, Constantinopolis expugnationem constituit, quem fere ad finem usque XV seculi propter connexiones rerum extendit, in Tabulis etiam quibusdam ad nostra usque tempora deducit, quia paucos Imperatores ac Reges seculi XVI & XVII abrumpere, cum cæteros enarrasset, inconveniens videbatur. Supplet in Tabulis illis, quæ brevitas styli excluserat, nec Imperatores solum tam Orientis quam Occidentis, ex adverso sibi oppositos, verum etiam Dynastiam Persarum medio ævo, ut & Chalipharum, & Turcorum proponit, etiam Reges Vandalorum in Africa, Vesigothorum in Gallia & Hispania, Ostrogothorum & Longobardorum in Italia, ut & Francorum itidem in Gallia, & Hispanorum tam in citeriore regione, quam ulteriore enarrat, quibus Ungaricos tandem & Polonicos adjecit. Quæ vero in septentrionalibus regnis desiderantur, in *Nova Historia* qua reliqua duo secula explicabit, additurus est.

EPISTOLA Dn. CASSINI AD EDITOREM Transactionum Anglicanarum, exhibens ejusdem correctiones circa Theoriam quinque Satellitum Saturni.

Translata e dictis Trans. Philos. M. Jun. 1687, num. 187, pag. 299.

ADeo parum est, quidquid hactenus literis mandavi de iis, quæ aliquo

quo abhinc tempore a me noviter in cœlo detecta sunt, ut dignum haud reputaverim, quod Societati Regiæ offerretur.

Vix Ephemeridi commiseram detectionem novellorum duorum Saturni satellitum, quum viderem, nonnihil in ea declarandum restare circa eorundem distantiam & conjunctionum durationem.

Distantia Satellitis Primi (*detecti a Cassino anno 1686; aut uti nos antehac accepimus, mense Martio anni 1684: vid. Act. Er. a. 1686 pag. 469.*) a centro Saturni variabilis mihi apparuit, ejusque motus ad sensum inæqualis, velocior hoc quidem tempore in semicirculo occidentali, quam in orientali. Nuperrime determinavi mediam illius distantiam $\frac{39}{40}$ partium diametri annuli Saturnini; motum vero ejus diurnum 6. sign. 10°. 41′. 31″. Ita si motus ipsius foret æqualis, duratio conjunctionis ejus cum Saturno, id est, totius temporis, quod in percurrendo hujus annulo impendit, esset 7 h. 46′. Major mihi eadem visa est ex observationibus immediatis: at notandum, quod hucusque Satellitem hunc propius Saturnum cernere non valuerim, quam quarta parte unius ansæ. Calculavi Epocham motus illius, pro ultimo Decembris 1685 meridie, ad Parisiensem Meridianum, in ♑ 24 gr. 50′.

Distantia Satellitis Secundi (*itidem a Cassino adinventi anno 1686,*) a Saturni centro magis uniformis mihi apparuit: determinavi eam una annuli diametro & $\frac{1}{4}$. Motus quoque ipsius æquabilior videtur: supputavi hunc in diem 4 Sign. 11°. 31′. 36″. Sic durationem ejus conjunctionis oporteret esse 8. h. 36′. Neque hunc Satellitem in præsens usque propiorem annulo Saturnino conspicere potui, quam ad quartam ansæ partem. Quemadmodum hicce Satelles plurimum temporis cernebatur in confiniis distantiæ Primi, cui magnitudine æqualis & colore similis est; difficultas unum ab altero distinguendi summa fuit, ita ut absque peculiari in observationibus assiduitate & multiplici combinatione, nequaquam ad metam hac in re venturus fuissem. Epocham hujusce Satellitis determinavi pro 31 Decembris 1685 ad meridiem in ♍ 9°. 10′.

Tertii (*ab eodem Cassino reperti anno 1673,*) distantia a Saturni centro videtur habere unam annuli diametrum cum $\frac{3}{4}$. Motus ejus in diem est 2|Sign. 18°. 41′. 50″, ut ita ipsius conjunctio durare debeat 10. horas. Epocha motus pro meridie ultimæ diei anni 1685 in ♍ 9°. 39′.

Distantia Quarti Satellitis (*ab Hugenio primum observati anno 1655*) a Saturni centro, quater videtur annuli diametrum continere. Motus in dies singulos est 22°. 34′. 38″, conjunctionis duratio 15 h. 6′. Epocha ejus motus ad idem tempus eundemque locum supputata, ut in præcedentibus, in ♈ 18°. 1′. Quinti denique Satellitis (*detecti a Cassino anno 1671:*) distantia a centro dicti sæpius Planetæ duodecies annuli diametrum emetitur. Motum diurnum habet 4°. 32′. 17″. Conjunctiones durant 24 horas. Epocha motus, tempore & loco iisdem, incidit in ♈ 16°. 19′. Ex hisce principiis construi possunt Tabulæ & Ephemerides.

En, Domine, fructum longi satis ac perquam tædiosi laboris duabus paginis comprehensum, quem rogo communices Societati Regiæ, eandem obsecrans ut acceptum habeat, submissoque quem ipsi debeo cultui hanc meam tribuat cautionem, qua non nisi res probe digestas ei exhibere sustinui, &c.

* * *

Subnexæ sunt huic Epistolæ in memoratis Transactionibus, Tabulæ mediorum motuum pro unoquoque Satellitum Saturninorum, ad meridianum Londinensem & Julianum computum accommodatæ: quas consulere possunt, quibus calculum motus harum Stellarum experiri lubet.

CHRISTOPHORI FRANCKII, S. THEOL. D. ET in Academia Chilonienſi Profeſſoris Ordinarii, Exercitationes Anti-Wendelinianæ, de præcipuis inter Eccleſias Lutheranas & Reformatas controverſiis, Wendelini Theologiæ Chriſtianæ & Exercitationibus Theol. Vindicibus pro illa adverſus Gerhardi Collegium Anti-Wendelinianum ſcriptis oppoſitæ.

Kilonii, apud Joach. Reumann. A. 1687 in 4.

NObile nomen non minus est *Johannes Gerhardus* apud Nos, quam *Marcus Fridericus Wendelinus* apud Suos. Quid? quod ἀμοιβαίοις scriptis nomina sua nobilitarunt ipsi, postquam B. Gerhardus contra Wendelini Christianam Theologiam quatuordecim in Colle-

in Collegium Anti-Wendelinianum redactas edidit disputationes. Egregiæ vero illæ omnes; tametsi Gerhardum non tam autorem quam moderatorem, ab iis nimirum, qui respondendi munere defuncti sunt, conscriptæ, agnoscere videantur. Hinc dignas eas censuit Wendelinus, quas aggrederetur & refutare tentaret ipse. Sed nescio quæ moræ, quæ remoræ intervenerint, ut Exercitationes ejus Vindices contra Gerhardum lucem publicam demum viderint, postquam ante XVII annos jam diem suum B. Gerhardus obiisset. Quanquam autem dolendum est, Theologum hunc, tot victoriis clarum, tot triumphis inclutum, per fatorum festinationem, ipsum cum hoste suo congredi denuo non potuisse; gratulandum tamen ipsi, quid? toti Ecclesiæ est, quod in arenam tandem descenderit celeberrimus *Franckius*, Wendelino quidem pridē mortuo, sed non paucis adhuc superstitibus, qui ad has ejus Exercitationes, tanquam Panopliam quandam, confugiunt, suaque inde tela mutuantur & adversus nos intorquent. Confecit autem totum hoc negotiū Noster ille X. Exercitationibus, docta nimirum, quod non diffitetur, brevitate se non minus quam alios oblectans, resectisq;, quæ superflua videbantur, atq; suo loco relictis, quæ Wendelinus vel impugnaverat vel adhibuerat, humanis testimoniis, sola vero Revelatione ac, post hanc, sana Ratione in subsidium vocata, solideque abusu utriusque in Adversarii argumentis commonstrato. Qui labor ejus accuratissimus non potest non utilissimus esse, præsertim postquam accesserunt Indices non tantum Exercitationum, sed & Locorum Scripturæ ac Rerum præcipuarum, quarum in Libro non adeo magno maxima est copia.

D. Jacob Reicharts / Sachſen-Hennebergiſchen Superintendentens / Beantwortung des ſo genannten Beweiſes Chriſtiani Orthodoxi, daß in der Einſetzung des H. Abendmahls / Iſt / ſo viel ſey als Bedeutet.

Schleuſingen / bey Auguſto Boëtio, A. 1688, in 4.

hoc eſt,

D. Jaco-

D. Jacobi Reicharti, Superintendentis Hennebergici, Responsio ad ψευδωνύμου Christiani Orthodoxi ψευδαπόδειξιν, τὸ *Est* in proposit. Sacrament. idem esse ac τὸ *significat*.

Schleusingæ, apud Augustum Boëtium. A. 1688, in 4.

QUemadmodum sententiæ illorum, qui in art. de S. cœna a nobis dissentiunt, statim a tempore reformationis variarunt valde, *Carolostadio* subjectum proposit. Sacrament. (τοῦτο) primùm, pòst *Zvvinglio* copulam (ἐστὶ,) tandem *Oecolampadio* prædicatum (σῶμα, ἅιμα) contra mentem orthodoxarum Ecclesiarum exponente; ita nemo ex iis ne domi quidem successores habuit ὁμοψήφους. De Carolostadio quidem non est, quod dicamus, cum τελισμὸς ejus cum ipso fuerit sepultus; Zvvinglius tamen & Oecolampadius divisum quasi habuerunt imperium, jam illo, jam hoc prædominante. Eo quoque postquam res pervenerat, ut Oecolampadius regnare solus videretur; nostro tempore Zvvinglius iterum applausum nonnullorum obtinuit; quos inter non postremus est Anonymus ille aut personatus *Christianus Orthodoxus*, quem Plurimum Reverendus Autor refutare non gravatus est. Hunc enim scopum ille præfixit sibi, ut voculam, *est*, ostendat idem esse, ac, *significat*; quo posito tum Transsubstantiatio in Papatu, tum Unio Sacramentalis in Nostra Ecclesia uno ictu corruat. Sed, post Deum, laudato Autori sint gratiæ, quod orthodoxam sententiam mascule propugnet, & τὸ *esse* in suo, quod vulgo dicitur, Esse feliciter tueatur. Nam post rationes Adversarii suo ordine distincte adductas, subjicit semper responsiones suas docte ac perspicue, autoritatibus etiam præcipuorum e Nostratibus utplurimum munitas, ut quid ulterius desiderari queat, non videamus. Quid itaque mirum, quod Veneranda Facultas Theologica Giessensis suum adjecerit calculum, per unanimem Approbationem? quam tum e præfatione Autoris, tum e Maxime Rev. D. *Christiani* symbola in fine adjecta, satis cognoscere licet.

D. Sa-

D. Samuel Schelwigs schrifftmäßige Prüfung des Pabstthums / hoc est,

Exploratio fidei Pontificiæ ad normam S. Scripturæ, Antithesi orthodoxa semper subjecta cum quatuor utilissimis Indicibus.

Dantisci, cura Martini Hallervort / A. 1687, in 8.

TRitum est notumque illud bivium, quo hostes Ecclesiæ aggressi sunt eam olim hodieque, vi nimirum aut fraude usi, sic, ut si alterutra non sufficeret, mox jungerentur ambæ, unique illi opponerentur. In hunc finem Irenica & Henotica hodie consilia in Papatu nonnullibi foveri, prudenter observat Autor hujus Scripti accuratissimus in præfatione; directa scilicet illa esse primum ad decipiendos simplices & minus cautos e Nobis, si audiant, parum differre Tridentinam & Augustanam fidei Confessionem; aut, si hæc decollet spes, ad irritandos Principes Pontificios, ut subditos Nostræ Religioni addictos violenter persequantur, postquam persuasi fuerint, nos conciliari cum ipsis facile posse, sed præfracte nolle. Quo cum periculo utrumque fiat, inprimis in Ecclesia pressa, aut non omnino libera & florente, facile perspexit vigilantissimus Gedanensium Gymnasiarcha & Theologus, Maxime Reverendus *Schelvvigius*. Hinc enim natum ei præsens utilissimum scriptum, in quo per XLIII. capita Pontificiæ Nostræque fidei Articulos e diametro accurate opponit, ut de discrimine non possit non unicuique constare; quid? Pontificiorum dogmata ex ipso Concilio Tridentino, præcipuisq; illius promachis aut assectis clare ac bona fide deducit, nostra vero e S. Scriptura solide ac perspicue probat; ut de sensu illorum, nostroque aut ipsius potius Spiritus Sancti dissensu, nullum supersit dubium. Eadem etiam methodo agit de Ceremoniis cultus Papistici, e Bullariis, Pontificalibus, Ceremonialibus, Ritualibus, Missalibus, Breviariis & similibus tanti apparatus Promptuariis singulas exquisite describens & accurate rejiciens; subjectis tandem quatuor Indicibus, una cum utilissima Manuductione ad usum horum omnium in studio homiletico, inprimis ad Pericopas Evangelicas, tam diebus festis quam Dominicis salutariter explicandas, inque succum & sanguinem purioris doctrinæ prudenter vertendas.

MEDICINA THEORICO-PRACTICA AD SAniorem ſeculi mentem centenis & ultra conſultationibus digeſta, auctore Pompejo Sacco, Patritio Parmenſi.

Parmæ, ſumpt. Joſeph. de Roſettis, 1687, in fol.

QUemadmodum ars medica per collatos plurium morborũ eventus, & confirmatam experientiam incepit, ita nusquam majora incrementa ſumit, quam ubi novis morborum hiſtoriis ſuppeditatis illa plurimum augetur. Itaque optime de republica medica mereri ſibi viſus eſt Autor Clariſſimus, ſi in praxi luculentisſima & diuturna obvios ſibi caſus luci publicæ exponeret, rationesq; de illis & convenientia medicamenta adjiceret. In eo vero potiſſimum eſt, ut cujuscunque morbi (centum vero & quinque exhibuit) primum hiſtoriam enarret, lectoremque ad lectum velut ægroti perducat, atque ſymptomatum omnium ex recenſione, qualis ille morbus ſit doceat. Procedit vero a ſupremi ad medii, a medii ad imi ventris affectus. Perſpectis iis omnibus, in cauſas inquirit, & quamvis in earundem expoſitione ſcholarum antiquarum, inprimis Peripateticarum, veſtigia (quæ plurimi ex ejus popularibus adhuc dum premunt) ſe non legere profitetur, antiquiorum tamen Chymicorum ſententiæ ſuum adjicit calculum. Hinc acidi fermenti in ventriculo, bilis alcalicæ cum ſucco pancreatico acido ad excrementorum ſequeſtrationem inſtitutæ effervescentiæ, humorum aduſtorum, tartareorum &c. mentionem crebrius invenire eſt. Cauſis ſuperſtruit indicationes ex iis depromtas, & his ſatisfacit medicamentis, non tam numero quam inprimis ſimplicitate, at prudenti ſelectu commendatis; unde pro re nata nunc Galenicis, nunc etiam Chymicis utitur. Ut vero Lectori penitius Auctoris hujus & methodus & ſententia conſtet, paradigmatis loco Conſultationē XIII de Epilepſia hic ſiſtere placuit. Illa exhibet juvenem annorum viginti, temperamenti calidi & humidi ſanguinei, qui bilis dominio ſubjectus vitam ſedentariam egit, vini potu crebrius uſus eſt, ad iram facillime pronus, diætæ legibus minime obſecundans. Hic ubito in terram cecidit, ore ſpumeſcente, & corpore mirum in modum concuſſo, torto & agitato.

Sibi

Sibi redditus, quæ contigerant ignoravit, ſæpius eodem modo afflictus. Cauſa hujus epilepſiæ cenſetur acidum ſulphureum volatile, inflammabiles particulas continens, quod a ſanguinis parte ſeroſa ſeparatum copioſius admittatur a fibris cerebri laxioribus, & hinc ſpiritus ſenſus & motus miniſtros perturbet. Adeoque hac ratione eidem obviam eundum exiſtimat, corrigendo acidum lymphæ, bilem minuendo & magis fixando, poros cerebri conſtringendo, atque ſpiritus refocillando. Primum efficere ſatagit poſt purgationem & ſanguinis miſſionem, decocto ex lign. Guai. corylo, cornu cervi, additis antimonio & cinnabari nat. in petia ligatis, ſub finem coctionis vero herbis cephalicis, parato & triginta diebus uſurpato. Hinc bilis temperationem ſero lactis cum pulveribus ex marg. Corall. ocul. cancr. antim. diaph. & ſale prunell. exhibito per X dies inſtituit. Ultimum per medicamenta quædam ex cinnab. antimon. item ex Vitriolo & ſale ammon. confecta exſequitur, imperatis per integrum annum decocti aſſumptione, ſingulis menſibus purgatione, & accurato diætæ regimine.

OBSERVATIONES RERUM QUARUNDAM præternaturalium, quæ occurrerunt in ſectione Cadaveris cujusdam Dn. Smith of Highgate, 8. Julii, 1687. communicata ab Eduardo Tyſon, Med. D. & Soc. Reg. Soc.

Translata e Transact. Phil. Angl. M. Auguſt. 1687. Num. 188. p. 332.

DIſſecto primum abdomine, immediate poſt inciſionem in Peritonæo factam, deteximus veſicam perquam ſcirrhoſam & craſſam, ad quartam nempe partem pollicis; figuræ præternaturalis ac diſtentam ad eam magnitudinem, quam caput infantis habet. Ubi ureteres inſeruntur, ab utroque latere duæ erant Protuberantiæ, quarum quælibet ovum gallinaceum mole adæquabat. Ureteres æqualis erant amplitudinis cum minoribus infantum inteſtinis, ſic ut facile duos digitos intra ſui cavitatem admitterent. Eorum uterque repletus erat urina ſeu materia quadam ſeroſa, quæ facta

preſſione facile intra renes regurgitabat, aſt in veſicam transmeare omnino recuſabat. Renes naturalem quidem magnitudinem ſitumque ſervabant, ita tamen emaciati, ut verius ſacculi largioris ſpeciem præberent, quam carnoſæ viderentur eſſe ſubſtantiæ, dum cavitas pelvis adeo ampla erat, ut plusquam tres aquæ uncias caperet. Sed ut revertamur ad veſicam, apertione facta inibi deprehendimus miram quandam ſpeciem cyſtium ſeu loculorum, exactam ovorum figuram exhibentium, diverſarum dimenſionum: nonnulla ovis anſerinis majora erant, alia gallinarum ova mole adæquabant, numero in univerſum duodecim; & octo circiter eorum integra ſeroque limpido plena. E Tunicis harum veſicularum aliquæ notabiliter craſſæ erant, aliæ perquam teneræ ac tenues; omnes autem ſeparatæ ac liberæ absque ulla vel minima adhæſione ſeu inter ſe invicem, ſeu cum membrana veſicæ. Parum aut nihil urinæ in veſica erat, niſi quantum in hiſce loculis continebatur. Nec imaginari nobis potuimus, qua ratione miſer hic ægrotus ullum veroſimiliter lotium reddere valuerit, niſi forte id contigit ex ruptione quorundam de his aquoſis tumoribus, cum veſica ultra modulum ſuum iisdem referta fuit: tranſitus enim per ureteres intra veſicam erat impervius, & quamvis ureteres ſero pleni forent, nihil tamen ejus intra veſicæ cavitatem propelli valebat.

Liquorem in hiſce loculis contentum conjecimus eſſe de ſucco corporis nutritio; ac tentata coctione in exigua ejus quantitate deprehendimus eum condenſari & conſiſtentiam nanciſci ſpiſſæ ac glutinoſæ gelatinæ. Veſiculæ hæ dubio procul formatæ fuerunt a tenacitate materiæ inter membranas veſicæ, in obliquo ſuo per eas tranſitu; iſta enim dum ita glutinoſa fuit, hic detenta eſt, donec ejus ſuperficies in firmiorem tunicam condenſata foret, & a ſuperveniente dein ampliori materia intra veſicæ cavitatem compelleretur. Suppono hæc ex eo, quod reperimus duo hujusmodi ova, in diſtincto a reliquis ſinu, inter tunicas veſicæ prope ingreſſum utriusque ureteris.

Epar invenimus latum valde & durum, colore & ſubſtantia jecinori cocto ſimile. Extima ſui parte peritonæo cohærebat, vaſtaque ſua mole adeo coarctaverat thoracem, ut parum valde ſpatii pro pulmonibus ſupereſſet.

Pulmo-

Pulmones offendimus coloris lividi, a dextro latere firmiter pleuræ adhærentes; facta inciſione eos in totum plenos reperimus materia quadam purulenta, & in uno e lobis lapidem, craſſitie nucleum ceraſi referentem.

Diviſo pericardio fungoſam ſubſtantiam invenimus, cor undiquaque obtegentem; fibrasque inde ad pericardium magno numero procurrentes; ſic ut mediantibus hiſce fibris ab omni parte eſſent unita.

Cor admodum amplum erat; dextra auricula & ventriculus unam efficiebant cavitatem largam & indiviſam, cui latus inerat polypus, qui per ramum deſcendentem venæ cavæ ad ipſam jugularem ſurſum excurrebat, alia pars arteriæ pulmonari diſtribuebatur. Siniſtro ventriculo alius inhærebat Polypus non ita latus, ut prior ille: duos habebat ramos, alterum in vena pulmonari, alterum in arteria magna ſive aorta.

Veſicularum una aperta cum eſſet, continebat largum racemum e minoribus ovulis conſtantem, uvarum craſſitie, quæ omnia ſero repleta erant: reliquæ omnes nil niſi ſerum includebant.

SAMUELIS REIHERI, J. U. D. ET PROFESSORIS Kilienſis, Bacilli ſexagenales, & de meridianorum differentiis accurate & facile inveniendis, &c.

Kiliæ, typis Joach. Reumanni, 1688, in 4.

PAucarum pagellarum eſt libellus præſens, adeoque minimo temporis impendio pervolvi poteſt. Continet autem, præter Problemata quædam maximam partem aſtronomica, explicationem Logiſticæ ſexagenariæ, per baculos Canonem ἑξακοντάδων in forma Neperianorum exhibentes, exercendæ. Conſtructionem horum, & præcepta calculi facile intelligit, cui virgularum Neperianarum aliqua fuerit cognitio. In Problematibus etiam modus exponitur, quo menſuræ Romanæ omnes, tam longitudinum, quam aridorum & liquidorum, ponderumque forte deperditæ, e rerum natura poſſint reſtitui; ſuppoſito (quod *Ricciolus* demonſtrat Almag. Novi part. 1. l. 2. cap. 20, pag 87.) penduli, cujus una vibratio ſim-

tio ſimplex exacte reſpondet uni ſecundo primi mobilis, longitudinem æquare $39\frac{27}{100}$ uncias pedis Romani: unde porro per ejusmodi pendulum, juxta conditiones a Ricciolo præſcriptas conſtructum, inventa pedis Romani quantitate, cæteras menſuras indagare docet. Palmarium vero libelli argumentum merito habendum eſt, nova *Autoris* ratio inveniendæ meridianorum differentiæ; quam accuratiſſimam eſſe, nullisque difficultatibus, quibus cæteri modi hactenus proſtantes, & a Cl. *Autore* recenſi, laborant, obnoxiam eſſe, atque a nautis mediocriter callidis uſurpari poſſe, ſancte aſſeverare non dubitat: ut optandum ſit, gratam offerri occaſionem Cl. *Autori* ab iis, quorum intereſt negotium hoc anceps tandem aliquando evolvi, ut inventum hoc perficiendæ Geographiæ & Nauticæ, publico dignetur impertiri.

GENEALOGIA FAMILIARUM BELLOMANERIÆ, Claromontanæ de Gallerande, & Memmiæ, ex quibus illuſtris Oratorum Gallicorum Triga, nempe Marchio de Lavardin, nec non Comites de Chiverny & D'Avaux oriundi ſunt.

Norimbergæ, apud J. A. Endteri filios, 1688. fol.

AUctorem Opuſculi hujus eundem eſſe, cujus diverſos Genealogici argumenti libros in Actis noſtris A. 1687 menſe Junio, pag. 300 ſeqq. recenſuimus, i. e. *Jacobum Guilhelmum im Hoff*, Patricium Noribergenſem, virum celeberrimum, non eſt cur dubitemus. Conſtituerat is, poſtquam Regum, nec non Ducum ac Parium Franciæ Genealogias compoſuiſſet, aliorum etiam ſeu ſagô ſeu toga illuſtrium in Gallia virorum ſtemmata pari ſtudio pertexere: ſed cum cognoviſſet, a Polyhiſtore alio celeberrimo, eodemque ſummo nunc Theologo, præoccupatam eſſe hanc operam, ab eo quidem propoſito deſtitit; ita tamen, ut Orbi curioſo rem gratiſſimam ſe facturum exiſtimarit, ſi dum majus illud Opus prælo paratur, trium ſaltim Francicarum Familiarum, quibus celeberrimi hoc tempore Galliarum Regis Oratores Triumviri, Marchio de *Lavardin*, Comes de *Chiverny* & Comes *d' Avaux* originem debent, ſuccinctam Deſcriptionem luci publicæ exponeret.

Primum

Primum locum *Henrico Carolo Bellomanerio, Marchioni Lavardino* tribuit, qui multorum hodie ore calamoque celebratur, & Romæ pro legato Regis Chriſtianiſſimi ſe gerit, hoſpitiiq; ſui immunitatem, ringente quamvis & fulmina ſua expediente Pontifice Maximo, ſtrenue quo jure quave injuria (noſtrũ enim non eſt tantas componere lites) tuetur. Natus hic Auctori memoratur ex perantiqua illuſtrique Bellomaneriorum (*De Baumanoir*) in Britannia Aremorica gente, ante quatuor prope ſecula in tres ramos, *Bellomanerium* ſpeciatim ſic dictum, *Lavardinum*, & *Beſſium* diſcreta: ſed quorum primus in *Roberto* jam A. 1407 exaruit; ultimus noſtro ſeculo in *Panagio* (Touſſaints) cujus gnata ac hæres Helena in Coſſæam domum elocata eſt, defecit; medius Lavardinus adhuc hodie perennat. Hic ex Britannia in Cenomanos ſeculo decimo quarto, ſeu occaſione belli, quo Johannes Montfortius cum Carolo Blæſenſi de Britanniæ Ducatu contendebat, ſeu quamcumque ob cauſam aliam translatus, in alieno licet ſolo magis magisque effloruit, non interrupta magnorum virorum ſerie memorabilis; inſignium autem loco plinthidibus XI argenteis in ſcuto cæruleo uſus. Ex hoc orto *Henrico Carolo* noſtro, majorum famam ſingulari in Regem Galliarum fide tantum non ſupergredienti (tametſi & pater ejus *Henricus* in obſidione Gravelingæ A. 1644, & patrui, quorum alter Domini *de Launac*, alter Baronis *de Milleſſe* nomine inclaruére, aliis temporibus, miniſterium bellicum agentes, mortem pro Regibus ſuis oppetierunt) illuſtria contigerunt conjugia, primum A. 1667 cum *Franciſca Carola d' Albert*, Ludovici Caroli Ducis de Luines filia, alterum cum *Aloiſia Anna*, Annæi Ducis de Noailles filia, quam legationis Romanæ hoc tempore habet comitem.

Secundo loco Auctor *Ludovici Comitis Chivernii*, qui ſuperioribus annis in Aula Cæſarea Oratoris Gallici munere defunctus, idem nunc apud Daniæ Norvagiæque Regem potentiſſimum ſuſtinet, Genealogiam expendit. A *Claromontiis* vero genus ille ducit, qui ab inſigni in Andibus vico (Clermont) nomen traxere, & ab aliis ejusdem appellationis, cognomento *de Gallerande* dignoſci, pro teſſera vero gentilitia cantheriis tribus aureis in ſolo cæruleo uti conſueverunt. *Comitis Chivernii* titulus ad Ludovicum noſtrum materno jure pervenit; genitum nempe ex *Eliſabetha Huraltia*, Henrici Comites de Chiverny filia ac hærede.

Ulti-

Ultimo loco *Johannis Antonii Comitis Avoſſii*, ex illuſtri *Memmiorum* (de Meſme) familia orti, majores recenſet. Ea vero gens olim hodieque magnorum ingeniorum ferax adeo fuit, ut compiures viros belli pacisve artibus claros oſtentare omni tempore potuerit. Ut in recentioribus perſiſtamus, vel unum nominare *Claudium Memmium* Comitem d'Avaux ſuffecerit, legationibus maximis præclare obitis inclutum, nobis vero Germanis vel eo nomine hodieque venerandum, quod in conventu Monaſterienſi & Osnabrugenſi, tanquam Regis Chriſtianiſſimi Legatus, ut vocant, Plenipotentiarius, prudentia ſua ac dexteritate plurimum contulerit ad ſanciendam pacem, quæ A. 1648 magno afflictiſſimæ per diuturnum bellum Germaniæ bono coaluit. Hujus vero Claudii ex fratre nepos eſt *Johannes* iſte *Antonius*, Comes Avoſſius, qui Legatione apud Rempublicam Venetam, inde ad Tractatus Neomagenſes prudentiſſime olim adminiſtrata, apud Batavos hodie Oratoris Gallici dignitatem magna cum laude ſuſtentat, acceptumque a Patruo & majoribus ſuis decus egregie tuetur. Unicum addidiſſe ſuffecerit, eminere Memmiam familiam non inter illuſtrestantum togatas Pariſiorum ſtirpes, ſed apud Aquitanos etiam, imo & Britannos dignationis eſſe non contemnendæ. Nam in Bervvicenſi quoque agro, Scotiæ Angliæq; confini, apprime Nobiles reperiri Auctor tradit, qui Memmium & nomen & ſcutum gerunt, cum illo quod Pariſienſes & Aquitani uſurpant, plane congruens. Eſt vero illud quadripartitum, cujus prima area aurea lunam falcatam nigram cornua ſurſum vertentem, ſecunda & tertia argenteæ leopardos duos rubeos gradientes, quarta aurea ſtellam nigram cum capite ſcutario coccineo, nec non cuſpide undoſa cyano tincta continet.

LIBRI NOVI.

Horti Malabarici Pars Septima de varii generis Frutiicibus ſcandentibus; & Octava, de varii generis Herbis pomiferis & leguminoſis. Amſtel. 1688. fol.

Raymundi Vieuſſens Tract. duo I. de remotis & proximis mixti principiis. II. de natura fermentationis. Lugduni 1688. in 4.

Servatii Gallæi Diſſ. de Sibyllis earumque oraculis. Amſtel. 1688. in 4.

D. G. Morhofii Polyhiſtor. Lubecæ 1688, in 4.

Hiſtoire des Indes Orientales par Mr. Souchii de Rennefort. A Paris 1688, in 4.

Hiſtoire de St. Louis. A Paris 1688, in 4.

(o)

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anni M DC LXXXVIII.

RERUM GERMANICARUM TOMI TRES editi ab Henrico Meibomio, Jun.

Helmæſtadii, typis & ſumtibus Georgii Wolffgangi Hammii, 1688, in fol.

SUmmam ex hiſtoriis voluptatem capi, quibus ingenitum nobis ſciendi impletur deſiderium, dum incognita ante cognoſcimus, in aperto eſt. Nec minus conſtat, majorem præ cæteris e patriæ monumentis & utilitatem & jucunditatem naſci. Nulla proinde nos, qui Germaniæ originem debemus, æque afficit memoria ac earum rerum, quæ in iſta omni tempore contigerunt; dum de gentis noſtræ primordiis, de majorum a quibus ortum traximus, aut in quorum ditiones, domos, poſſeſſiones & munera ſucceſſimus, priſcis inſtitutis, laboribus bello ac pace exantlatis, caſibus denique proſperis ac adverſis erudimur. Etſi autem res Germanicas a prima usque origine ita conſignatas & traditas, ne quid hiſtoriæ legum in iis deſideretur, non habeamus; extiterunt tamen in noſtra gente ſemper, qui hiſtorias vel ſuo vel priſco ævo geſtorum condiderunt, eorumque monumentis aſſervandis & e monaſteriorum pulvere proferendis egregiam collocarunt operam viri inſignes, non ſolum diffuſos commentarios, ſed exiguos etiam libellos, ad Germanicæ hiſtoriæ notitiam pertinentes, juſtis voluminibus complexi. Notum eſt a *Simone Schardio*, *Joh. Piſtorio*, *Chriſtiano Urſtiſio*, *Juſto Reubero*, *Melchiore Goldaſto ab Haiminsfeld*, *Marquardo Frehero*, *Erpoldo Lindenbrogio*, *Henrico Caniſio*, *Reinero Reineccio*, Rerum Germanicarum ſcriptoribus colligendis evulgan-

disque adhibitum ſtudium, cui præſtantes multi debentur libri ab interitu vindicati. Idem etiam tenuit *Henricum Meibomium* Seniorem, Academiæ Juliæ præclare meritum Profeſſorem, quam ſub initium hujus ſeculi varia doctrina illuſtravit, plurimis eruditis editis ſcriptis famam nunquam intermorituram adeptus. Nempe cum peritia antiquitatis Germanicæ inſigni valeret, & exquiſitâ copiam vetuſtorum Diplomatum & Tabularum Imperatorum, Regum, Principumque, ex Archivis publicis & Monaſteriorum clauſtris ſuppeditatarum eſſet nactus, plurimam ætatis ſtudiique partem in ejusmodi chartis, Chronicis, & vetuſtis libris aliis Germanicam, & quam maxime Saxonicam hiſtoriam illuſtrantibus, e caligine longa eruendis expoliendisque poſuit, vera a ſuſpectis, liquida a ſubleſtis ſecrevit, & ſelecta eruditis Notis illuſtravit publiceque emiſit. Multa tamen inſigni induſtria elaborata quæ ederentur digniſſima ſcripta, in ſcriniis deliteſcentia reliquit, ob ætatem ingraveſcentem &, quæ interveniebat, calamitatem temporum publicæ luci non expoſita. Hæc ad Filium *Johannem Henricum Meibomium* multiplici doctrina & medendi arte præſtantiſſimum virum, in Academia Helmſtadienſi Profeſſorem, dein Ducis Holſatiæ & Reipublicæ Lubecenſis Medicum celeberrimum, & ab hoc ad Nepotem *Henricum Meibomium* Juniorem, Academiam Juliam hodie Avi exemplo ſtudiorum omni genere exornantem, pervenerunt. Is cum ad philoſophiam & medicam artem, quam per univerſam Saxoniam inferiorem feliciſſime dexterrimeque exercet, eam omnium temporum omniumque gentium ex Græcis Latinisque ſcriptoribus collectam peritiam, cumprimis autem ex antiquis monumentis hauſtam Saxonicæ hiſtoriæ notitiam accuratam adjecerit, ut nihil horum ſtudiorum eum lateat, carminis etiam condendi eleganti facilitate polleat, avitamque gloriam ſuperet: Avi memoriæ ſuæque exiſtimationi & egregio publico rectiſſime conſulturum ſe exiſtimavit, ſi ab iſto edita olim, ſed jamdudum diſtracta, nec in tabernis librariorum amplius extantia ſcripta recudi, inedita autem nunc primum typis exſcribi faceret, cunctosque Germanicam & Saxonicam hiſtoriam illuſtrantes tractatus, Avi induſtria congeſtos proprioque ſtudio collectos, *tribus* Tomis includeret, vaſtoque volumine evulgaret.

In quo inſtituto hunc ordinem tenuit, ut *primo* Tomo eos Scriptores exhiberet, quos Avi cura jampridem cum doctis Annotationibus emiſerat, quorum nonnullos ipſe etiam anno 1660 collectos recudi fecerat, ſed qui in bibliopolarum officinis non reperiebantur. Iſtos hac ſerie recenſuit: *Theodorici de Niem* Hiſtoria de vita Johannis XXIII Pont. *Gobelini Perſonæ* Coſmodromium, ſeu eccleſiæ & reipublicæ ab orbe condito ad Annum Chriſti 1418 complexum; *Levoldi Northovii* Chronicon Comitum de Marca & Altena; *Gerhardi Stederburgenſis* hiſtoria Henrici Leonis Bojariæ & Saxoniæ Ducis, cum *Meibomii Sen.* oratione de iſto Henrico Leone; *Andronici II* Imp. Conſtantinopolitani Aurea Bulla Henrico Duci Brunſuicenſi data; *Hermanni de Lerbeke* Chronicon Comitum Schaumburgenſium; *Incerti auctoris* Chronicon Mindenſe rhythmicum ab anno Chriſti 780 usque ad annum 1474; *Juſtini* poema de Comitatu Lippienſi & geſtis Comitum; *Henrici Aquilonipolenſis* Adolpheis, ſive carmen hiſtoriam Comitum Schaumburgenſium ac civitatis Hamburgenſis exponens; aliud item ejusdem, primordia urbis Lubecenſis deſcribens; *Wittichindi* Monachi Corbeienſis Annales, cum *Hroswithæ* panegyrico carmine in laudem Ottonis Imp. *Erectio Magdeburgenſis Eccleſiæ* in Archiepiſcopalem per Johannem XI in Concilio Ravennatenſi facta, cum diplomatibus Ottonis; *Chronicon Corbeienſe*, & de translatione ſanctorum Viti ac Juſtini Martyrum, ac inſtitutione Novæ Corbeiæ narratio; *Henrici Roslæ* Herlingsberga, ſive poema de bello inter Principes Saxoniæ confœderatos ac Henricum Mirabilem ob arcem Herlingsbergam anno 1287 geſto, & *Tiederici Langii* Saxonia carmine deſcripta: quæ duo opuſcula Notis illuſtrata *Joh. Henr. Meibomius* anno 1652 primus evulgarat.

Tomus *ſecundus* eos ſcriptores Germanicæ hiſtoriæ complectitur, quos ab avo Henrico Sen. & Patre Joh. Henrico manu exaratos nactus aut aliunde adeptus, nunc primum evulgat doctiſſimus Nepos, recenſitosque & Præfationibus Notisque inſignitos publico donat hoc ordine: *Levoldi Northovii* catalogus Archiepiſcoporum Colonienſium, cum catalogo Eccleſiaſticorum Colonienſium e *Grombachii Urſula vindicata* depromto; *Henrici Wolteri* Chronicon Archiepiſcopatus Bremenſis; *Anonymi* Chronicon Raſtedenſe; *Joh. Schiphovveri* Chronicon Archicomitum Oldenburgenſium:

Erdvvini Erdmanni Chronicon Episcoporum Osnabrugensium; *Anonymi* Chronicon Archiepiscopatus Magdeburgensis; *Anonymi* narratio de rebus gestis Alberti Ducis Brunsuicensis & Episcopi Halberstadensis; *Alb. Crummedyckii* Chronicon Episcoporum Lubecensium; *Andr. Hoppenrodii* (sive *Poppenrodii*) Annales Gernrodenses; *Henr. Bodonis* historia cœnobii Gandesiani sive Gandersheimensis; *Joannis de Polda* Chronicon Ecclesiæ Hamelensis; *Anonymi* Chronicon Monasterii S. Michaelis in Hildesheim; *Anonymi* Chronicon Monasterii in Lothen, diœcesis Mindensis, post in opidum Lemgo translati; *Anonymi* Chronicon Monasterii Huiesburgensis in diœcesi Halberstadensi.

Tertius tomus libellos continet antiquitates historiæ Saxonicæ non ex vulgaribus Chronicis, sed ex certis indubitatisque monumentis, Pontificum Cæsarumque Bullis & Diplomatibus, illustrantes, plerosque ab Henr. Meibomio Sen. conscriptos & olim evulgatos, sed in tabernis bibliopolarum amplius non superstites, quosdam etiam ab Henr. Meibomio Jun. concinnatos. Meibomii Avi commentationes hæ sunt: *Irminsula Saxonica*, sive descriptio Idoli seu tutelaris Numinis apud antiquissimos Saxones paganos Eresbergi culti, & a Carolo M. per occasionem belli Saxonici destructi; *Vindiciæ Billinganæ*, quibus demonstratur, Hermannum Billingum primum ab Ottone Imp. Saxoniæ Borealis institutum Ducem, non obscuris natalibus sed ex illustri familia Saxonica fuisse oriundum; adjecta etiã Dissertatiuncula docetur, Saxoniam ante Hermannum istum Billingum suos habuisse inde usque a Caroli M. temporibus Duces; *Bardevicum*, sive historia urbis Bardevici, omnium Germanicarum antiquissimæ, in qua traditur, a quibus & quando condita, quas experta mutationes, quantis floruerit opibus, & qua demum occasione funditus deleta sit: quod postremum adjecto heroico carmine latius exponitur; *De pagis utriusque Saxoniæ* & vicinarum quarundam regionum commentariolus, Marquardo Frehero, qui superioris Germaniæ pagos recensuerat, inscriptus; *Apologia pro Ottone IV.* Saxone adversus falsas criminationes Conradi a Lichtenau Abbatis Vrspergensis, Jo. Cuspiniani, Seb. Munsteri & aliorum, qui audacem eum fuisse & temerarium, insolentis ac prætumidi ingenii, ex alto cæteros despexisse principes, ac propterea recte re-

cte regno dejectum cavillantur: quibus hanc commentationem justam Auctor opposuit, injuriamque optimo Imperatori illatam propulsavit, ejusque ad imperium evocationem, subsecutam in eo confirmationem, administratæ reipublicæ modum, denique ab illa iniquissimam remotionem accurate exposuit, nec merito suo adeo male apud posteros audire hunc Cæsarem demonstravit; Dissertatio *de jure investituræ Episcopalis* Imperatoribus Romanis a Pontificibus per vim ademto: in qua ex priori ævo Imperatorum jura asseruit; æque ac in sequenti, *jus*, quod *regaliæ* hodie vocant, Germanicis Cæsaribus in decedentium majorum Prælatorum relictas possessiones competiisse ostendit, Antistitumque vita decedentium relicta bona, & Ecclesiarum vacantium reditus, quamdiu vacarent, fisco seu Cameræ Imperiali cessisse, donec Otto IV isthoc jure cesserit; *Notæ in Thassilonis Bojorum Ducis diploma*, quo Monasterium Chrembsmunster abs se conditum dotavit; Historia *erectionis Ducatus Brunsuicensis* anno 1235 factæ, Diplomata item e quibus cognoscitur erectio Principatus *Hennebergici* 1310, Ducatus *Lucensis* in Italia 1328, *Lucemburgensis* 1354 & *Holsatiæ* 1474. Orationes tres: de *Academiæ Juliæ* primordiis anno 1576 ceptis ejusque incrementis; de oppido *Helmestadio*, in quo illa fundata est & hodie sedem suam habet; de origine, dignitate & officio *Cancellariorum academicorum.* Sequuntur Chronica quædam Monasteriorum Saxoniæ inferioris, in quibus non solum eorum fatum & Abbatum successio traditur, sed totius simul viciniæ res memorabiles exponuntur, illustriumque familiarum origines ex antiquis tabulis deductæ explicantur. Qua ratione concinnatum *Chronicon cœnobii Marienthalensis* a Cl. Viro Christophoro Schradero anno 1649 evulgatum, *Chronicon monasterii Bergensis* ad Albim prope Magdeburgum anno 1669 ab doctissimo Nepote Meibomio editum, & *Chronicon Monasterii Riddagshusani* jam a. 1604 ab ipso auctore publico datum, exhibetur. His Avi egregiis commentationibus Saxonicas antiquitates luce perfundentibus binas attexuit *Dissertationes* dignissimus tanto Avo Nepos, celeberrimus avitorum ingenii monumentorum Editor. Harum *prior* Fridericum Ducem Brunsuicensem & Luneburgensem, Magni Torquati filium, Magni Pii nepotem, Alberti Pinguis pronepotem, Henrici Leonis abnepotem, Imperatorum catalogo

a rerum Germanicarum ſcriptoribus contexto hactenus excluſum (quod & Lambecius in *addit. ad Diarium ſacri itineris Cellenſis p. 256* improbat) eidem reddit, ipſumque rei militaris peritia ac animi magnitudine clarum, eo tempore quo per Wenceslai ſocordiam omnia ruinæ erant proxima, electum fuiſſe in Comitiis Francofurtenſibus anno 1400 menſe Majo Imperatorem, ſed paulo poſt a conjuratis quibusdam hoſtibus in via publica prope Frizlariam in Haſſia nefarie trucidatum, veris documentis probat. *Altera* Hugonem de S. Victore ſeculi duodecimi inſignem monachum, Pariſiis degentem ibique anno 1142 mortuum ac ſepultū, Saxoniæ originem debere, natalesque ex Comitum Blanckenburgenſium ad Sylvam Hercyniam familia duxiſſe, adverſus Joh. Mabillonium evincit, qui *Tomo I Analect. p. 326* Ipram Flandriæ urbem eum patriam habuiſſe ex veteri Codice Aquicinctenſi & Roberto de Torinnejo tradiderat.

In hunc modum collectas Meibomii Avi & Nepotis, doctiſſimorum & de rebus Saxonicis præclare meritorum Virorum commentationes, hiſtoriæ ac antiquitatum Germanicarum theſaurum conſtituere, haud immerito exiſtimandum eſt; qui tanto majori in pretio habendus, quanto patriæ hiſtoriæ cognitio, medii ævi confuſæ caligini & altiſſimis tenebris immerſæ, externarum gentium & longiſſime a memoria noſtra remotorum temporum notitiâ præſtantior cenſetur. Nam ut bene cenſet Joh. Caſelius in *epiſtola ad Joh. Henr. Meibomium* operi huic præfixa, cum alia remotiſſimorum & ſeculorum & populorum noſſe jucundum ſit, tum domeſtica & patria in conſpectu habere jucundiſſimum eſt, etiamſi fructus alius non accedat; qui in capiendis conſiliis tamen eminet maximus, dum vicina cum vicinis comparamus, & proxima a proximis potius petimus, quam ex altero ſive ſeculo ſive orbe.

JOH. OTTONIS TABORIS, JCTI CLARISSIMI, Tractatuum Volumina duo, cura ac opera Andreæ Mylii J. V. D. & Profeſſ. Lipſ. in lucem edita.

Lipſiæ, apud J. F. Gleditſchium, 1688. fol.

Quam

Quam gratiam Hiſtoriæ patriæ cupidi *Meibomio* celeberrimo, eam Jurisprudentiæ cultores conſultiſſimo *Mylio* noſtro debent. Ut enim ille, ceu memoravimus, monumenta non pauca, quæ ad Hiſtoriam Germanicam illuſtrandam ſpectant: ita hic JCti quondam graviſſimi *Johannis Ottonis Taboris* opera Juridica in lucem publicam laudabili inſtituto revocavit. Fuiſſe Taborem inter ſummos ſeculi noſtri viros, quique ad excolendum perficiendumque Jurisprudentiæ ſtudium, plurimum contulerunt ingenii ac induſtriæ, in confeſſo apud omnes eſt, nec adulationi adeo quicquam dedit *Joh. Henricus Bœclerus*, quando in Elogio Gregorii Biccii, *Jureconſultorum Papinianum* ſalutare Taborem non dubitavit. Utique deprædicant hodieque ſingularem ejus in explicando jure qua civili, qua publico, dexteritatem felicitatemque, Viri clariſſimi haud pauci, per omnem diſperſi Germaniam, muneribusque ampliſſimis hoc tempore fungentes, qui Taborem ſibi quondam ſeu in Argentoratenſi, ſeu in Gieſſena Academia doctorem contigiſſe, gloriæ ducunt, ac inter fortunæ numerant beneficia. Quo minus mirandum, præclariſſima ingenii monumenta, quibus non contemnendam Jurisprudentiæ noſtræ partem Vir celeberrimus illuſtravit, ſeræque poſteritati nomen ſuum commendatum voluit, anxie hactenus conquiſita ab omnibus, ſeu doctoribus civilis juris, ſeu ſtudioſis fuiſſe, quotquot ſupellectilem librariam paulo ſelectiorem comparare inſtituerant. Tametſi multorum ſane inanis labor iſte fuit, quod operum illorum pauciſſima venum in officinis librariis proſtarent, exemplis quæ exſcripta typis quondam fuerant, dudum divenditis; ut adeo e re publica futurum exiſtimarint quamplurimi, ſi omnia Taboris opera in unum alterumve volumen congeſta typis denuo committerentur, idque ut fieret ſeriis exoptarint votis. Eorum itaque deſideria expleturus Academiæ noſtræ Anteceſſor nobiliſſimus, *Andreas Mylius*, pro eo quo ad promovendam exornandamque Jurisprudentiam fertur ſtudio, magnorumque virorum ſuaſu ac hortatu, id in ſe laboris ſuſcepit, cunctosque Taboris tractatus diverſis quondam temporibus locisque editos, recudi curavit, duobusque voluminibus comprehenſos publici denuo juris fecit. Præmittitur iis Vitæ Taboris brevis Deſcriptio, ſeu Mauſoleum memoriæ illius a genero, Viro ampliſſimo

nobis-

nobisque sæpius jure meritoque laudato, *Johanne Ludovico Praschio* erectum: ex quo cognoscitur, Budissinæ in Lusatia eum A. 1604 natum; Philosophiæ ac Bonarum Artium in Academia hac nostra Lipsiensi A. 1621, juris utriusque Doctorem in Argentoratensi A. 1631 creatum; cum Syndici dein munere functus aliquandiu in civitate patria fuisset, ad Professionem Juris in Academiam Argentoratensem in locum *Joachimi Clutenii* A. 1634 vocatum; eam vero cum per annos viginti duos summa cum laude ac cupidæ legum juventutis maximo cum fructu sustinuisset, Cancellariam in aula Gustroviensi, *Gustavi Adolphi* Megapolitani Ducis rogatu, regendam A. 1656 suscepisse; repetiisse tamen vitam litterariam, ac A. 1659 Giessensi seu Ludovicianæ se Academiæ addixisse, Professoris juris primarii & Academiæ Cancellarii splendidissimo muneri admotum; denique morbis non unius generis fractum, A. 1667 ad filium Francofurti agentem, quasi ad tranquillum fessæ senectutis portum se recepisse, ibidemque A. 1674 beata morte exstinctum. Subjicitur Operibus Taboris nostri, tum textuum juris in iis explicatorũ, tum rerum & verborum longe locupletissimus index, a viro-juvene doctissimo *Matthæo Blechio* singulari studio ac industria adornatus. Cæterum ut ex ipsis Tractatibus Excerpta demus, instituti nostri non permittit ratio, cum omnes epocham Actorum nostrorum anteverterint. Nec ingratum tamen Lectori Benevolo facturos nos arbitramur, si saltim indicem operum, quorum junctim nunc prodeuntium in universum triginta quatuor sunt, exhibeamus. Continentur ergo Tomo I: *Paratitla ad Tit. C. l. 10 de fide & jure hastæ fiscalis & de adjectionibus: Commentarius ad Tit. C. de Metatis & Epidemeticis: Tractatus de contractu & jure socidæ, sive Commentarius Synopticus ad L.* si pascenda *8. C. de pactis: Expositio Paratitlaris L. un. C. de suffragio: Tractatus de Obligatione successorum in officiis, occasione analyseos L. 21. C. de Decurionibus delineatus, ubi inter alia vexatissimum illud problema*, an mutuum sit alienatio, *diligenter examinatur: Consultatio Academica de Præsidiis debitorum infelicium, & inprimis de Exceptione alterius tanti usurarii, ad L. 27 §. 1. C. de Usuris ac textus parallelos accommodata: Armamentarium Justiniani, h. e. universum jus armorum ex ipsis Jurisprudentiæ Justinianeæ penetralibus depromptum & usui præsentis seculi accommodatum: De Regimine*

gimine Imperantium Ecclesiastico Dissertationes: De Testamento Principi aut Comiti oblato Tractatio Analytico-Synthetica, L. 19. C. de Testament. theoriam & praxin ostendens: Commentatio de jure cervisiario: Διάσκεψις *de Admodiatione ad L.* si olei *21 C. de Locat. Diatriba de jure obstagii: Specimen jurisprudentiæ analyticæ ad intellectum L. 3. C. de hered. instit. directum:* Παραγωνίσματα *de officio judicis: Collationis juris Romani & Hungarici prima juris principia: Specimen collationis juris Romani & Francofurdici: Paratitla ad Tit. Digestorum de pactis dotalibus: Commentatio de Substitutionibus, Responsis practicis illustrata: Dissertatio de pacto Retrovenditionis, L. 2. C. de Pact. int. empt. & vend. theoriam & praxin exhibens: Dissertatio de in litem jurando: Paratitla ad Tit. C. de Donationibus: Dissert. de patria potestate: Comm. Synopt. de contractu & jure colonario provinciali* (von Landsiedel-Leihe / und Landsiedel Recht) *ad illustrationem Constit. Solmens. part. 2. tit. 7. composita.* Tomo secundo exhibentur: *Criminalium Definitionum Racemationes: Racematio Extraordinaria ad Tit. D. & C. de crimine stellionatus: Dissert. de Repetundarum Crimine: Diatriba juridica argumenti de Conatu: Tract. de Confrontatione: Tract. de Tortura & indiciis delictorum: de Constitutione, Repetitione & Privilegio Dotis: Epitome Aureæ Bullæ methodica: De Refutatione Feudi: Ichnographia Doctrinæ Feudalis: Disputationes Wesenbecianæ.*

APOLOGIE POUR L' EGLISE ANGLICANE,

id est,

Apologia Ecclesiæ Anglicanæ, qua demonstratur, falso eam a Romana Schismatis accusari. Accesit Dissertatio de usu traditionum. Utraque ex Anglico Gallice versa.

Amstelodami, apud Petr. Savouret, 1688, in 12.

INterpres nomen suum literis S. N. P. S. designavit in dedicatoria, & se patria religionis causa pulsum esse queritur. Fatetur deinde in præfatione, se, utpote inter reformatos Gallos educatum, externum Ecclesiæ Anglicanæ ritum ab initio non sine conscientiæ scru-

pulis ſpectaſſe; agnoviſſe tamen lectis libris Anglorum liturgicis, articulis fidei & canonibus, tum Theologorum ſcriptis, non ſolum conſenſum integerrimum in doctrina cum reformatis Gallorum eccleſiis, ſed & quod ritus illi externi plane congruant cum ordine a D. Paulo commendato, & primis Eccleſiæ ſeculis uſitato, ita ut nihil retentum fuerit, quo mentes ad ſuperſtitionem & falſum cultum allici poſſint; confirmatum autem ſe in hac ſententia fuiſſe lectione duorum horum tractatuum, illorumq; verſionem aggreſſum eſſe in gratiam popularium ſuorum, qui in Angliam profugi iisdem dubitationibus tentari poſſint. Docere itaque inprimis vult Gallos ſuos, quantum Anglicanus ritus a Romanis ſuperſtitionibus differat. Laudat Epiſcoporum Anglorum electionem, officium & dotes, & quanquam a quæſtione de regimine Epiſcopali, an Presbyteriano præferendum ſit, abſtinere ſe velle dicat, agnoſcit tamen, Eccleſiam in primis & purioribus ſeculis ſuis per Epiſcopos gubernatam fuiſſe. Putat etiam, quod Reformatores in Gallia, ſi autoritatem ſufficientem habuiſſent, idem regimen conſtituturi & meliori forte cum ſucceſſu fuiſſent, quam qui ex Presbyteriano, enatis tot diviſionibus & mutuis perſecutionibus inter ejusdem religionis conſortes, ſecutus ſit, quæ Epiſcopali autoritate præveniri aut corrigi potuiſſent. Excuſat tamen eosdem Reformatores, quod cœtus ſuos in medio Papatu erigentes, offendicula ab externis ritibus tanto diligentius ſibi cavenda eſſe exiſtimaverint; aliam autem Anglicæ reformationis methodum fuiſſe, de qua in libello pluribus agitur.

Cap. 1. In hoc præmiſſa querela de damnis, quæ Eccleſiæ per ſchiſmata inferuntur, & diſtributione operis, principia quædam de Eccleſia generalia proponit Autor Anglus. Nempe (α) Chriſtum ſemper habuiſſe & habiturum eſſe Eccleſiam. (β) Huic Eccleſiæ autoritatem ad formandam ſocietatem ſuam competere, ſalvis legibus & inſtitutis Jeſu Chriſti; contra hæc enim nullam poteſtatem ulli mortalium conceſſam eſſe. (γ) Eccleſiam hanc viſibilem eſſe debere ex prædicatione verbi & uſu ſacramentorum, minus tamen aut magis pro diverſo ſocietatum ſtatu. (δ) Ordinarie neminem ſalvari extra Eccleſiam, & denique (ε) unicam illam eſſe. Recenſentur poſtea vincula unionis: (a) unitas fidei etiam in profeſſione externa, quo pertinent ſymbola & confeſſiones publicæ: (b) charitas

Cap. 2.

ritas mutua inter omnia Eccleſiæ membra: (c) idem cultus: (d) eadem diſciplina. Notat tamen, in cultu ſubſtantialia reſpici talesque formulas ſervari debere, in quibus conſentire poſſint etiam ii, qui circa quædam diſſentiant. In diſciplina autem & regimine optat, ut ad eundem morem & exemplum priſtinæ Eccleſiæ omnes cœtus gubernentur; id quod de Epiſcopali regimine, ex gentis ſuæ inſtituto, intelligit. Monſtrat porro, quomodo Eccleſia Roma- Cap. 3.
na vincula iſta ruperit, & præcipuum unionis nexum perperam in obſequio Pontifici Romano præſtando, conſtituerit. Contra illam prætenſionem adducit (1) ſilentium Scripturæ, quæ tale vinculum non revelaverit, neque præceperit. (2) ſilentium antiquiſſimorum doctorum, eorumque contraria teſtimonia. (3) indicat, quomodo Epiſcopi Romani pedetentim illud jus ſibi arrogaverint, oppreſſione aliarum Eccleſiarum & infallibilitatis affectatione, item imminutione poteſtatum politicarum, cujus exempla ex diſſidiis inter Pontifices & Imperatores Germanicos affert, tum inventione novorum dogmatum ad parandam Clero autoritatem & opes, e. g. de transſubſtantiatione, de purgatorio, de merito operum. Addit quam neceſſaria & inevitabilis, ſed & quam difficilis fuerit reformatio, & ideo defectibus ſubjecta. Inde ad primarium ſcri- Cap. 4.
pti ſui ſcopum accedit, reformationis Anglicanæ juſtitiam defenſurus. Initium ejus ſub *Henrici VIII* regno conſtituit, cum conſentiente Parlamento & Clero, Biblia in linguam popularem transferrentur, & Pontificius dominatus excuteretur: progreſſum ſub *Eduardo VI*: perfectionem ſub *Eliſabetha*. Ordine autem & legitime omnia acta eſſe aſſerit, unde & ab adverſa parte religio *Parlamentaria* vocari conſueverit. Sed inprimis laudat Cleri egregium cum magiſtratu ad tantum negotium conſenſum & concurſum. Dein, quod antiquitatis magna ratio habita ſit: retenta enim eſſe pro fundamentis doctrinæ Sacram Scripturam & quatuor Concilia Oecumenica, non excluſis Patribus orthodoxis. Adducit canonem ex Synodo *Londinenſi* A. 1571 tit: *de concione*, his verbis: *Inprimis videbunt ne quid unquam doceant, quod a populo religioſe teneri & credi velint, niſi quod conſentaneum ſit doctrinæ Veteris & Novi Teſtamenti, quodque ex illa ipſa doctrina Catholici Patres, & Veteres Epiſcopi collegerint.* Moderationem extollit, qua ſibi a

definiendis omnibus temperaverint, quæ incerta & problematica sunt, & quod non nisi indubitata & necessaria præscripserint, evitatis hoc modo multis disputationibus, quas incurrisse ait illos, qui nimis positivi etiam in rudimentis doctrinæ sive catechesibus esse voluerint. Eadem antiquitatis veneratione retentum esse regimen vetus Episcopale cum annexis: idem in cultu & Liturgia, quantum fieri potuerit, observatum esse, ut scandali occasiones caverentur, & dissentientes ad societatem Ecclesiasticam invitarentur; unde & ab initio, sub regno Elisabethæ, Romano-Catholici quoque Reformatorum cœtum frequentaverint, etiam Sacramento S. Cœnæ usi, donec Pontificis decretis prohiberentur. Recte itaque in Liturgia retenta fuisse plurima ex Officio, quod vocant, Romano; quicquid nempe ex primitiva Ecclesia deductum erat, rejectis additionibus superstitiosis & barbaris. Eodem fine ex ceremoniis quasdam conservatas esse, sublato nimio earum onere. Tantum igitur abesse ut Anglicana Ecclesia ab antiqua & catholica defecerit, ut potius Autor nullam statuat Ecclesiam esse, quæ majori cautela egerit, aut quæ in decidendo parcior, magis canonica & regularis in statutis & successione, aut lenior in censura fuerit. Quod exemplum, ait, si aliæ secutæ essent, universalis consensus sperari potuisset. Denique si quis dubitet, & interroget, ubi sit Ecclesia Catholica, illum ad Anglicanam ablegari debere contendit. Responderi tamen ad ridiculam illam quæstionem in universum non aliter putat debere, quam Ecclesiam fuisse eodem loco, quo nunc est. Neque enim id actum esse, ut nova fieret Ecclesia (quod sine nova autoritate a cœlo delata, & sine miraculis fieri nequeat) sed ut vitia Ecclesiæ purgarentur, quod ordinariis viribus fieri possit. Igitur, ait, si antea fuimus in Ecclesia Catholica, etiam nunc in ea sumus, & meliori titulo quam qui a particulari Ecclesia Romana tolli possit, sicut nec Anglicana Romanam ex Catholicæ Ecclesiæ complexu excludat. Non est, pergit, necessarium, nec magno caret periculo, imo fieri impossibile est, ut examinetur qui gradus corruptionis cum existentia Ecclesiæ consistere possint. Optimum est, ut reformemus mala quæ cognoscimus, & sinamus cætera in arbitrio Dei, per quæ nec stat nec cadit Ecclesia. Notat, titulum Ecclesiæ Catholicæ, quo Romæ superbiant, idem esse quod universalis, & significare

significare Christianorum corpus generale per totum mundum dispersum, ad distinctionem partis alicujus aut cœtus separati. Probat id ex Augustino, qui contrariam sententiam Donatistis tribuit. Laudat Anglicanam, quæ vinculi charitatis semper retinens, nullas alias Ecclesias condemnaverit, neq; quicquam a Christianis exigat, quam quod per omnia secula, ubiq; & fere apud omnes receptū est. Majori itaq; jure illi vindicari posse catholicæ titulum, quæ pars catholicæ esse vult, quam Romanæ, quæ id sola vult esse, & omnes a se crudeliter abigit. Si autem catholicum sumatur pro orthodoxo, etiā hoc sensu Anglicanam asseverat catholicā esse, quæ omnes articulos recipit, qui prioribus quinque primitivæ Ecclesiæ seculis recepti fuerunt, ea vero de quibus etiam tum doctores dissenserunt, pro necessariis non habet. Econtrario titulum Catholicum male convenire scribit Romanis, quia tot articulos præter regulam sacrarum literarum, imo & præter priorum seculorum observantiam excogitaverint & adcumulaverint, ob quæ additamenta illiquida & controversa vel maxime vitari debeant. His ita constitutis, ad objectiones solitas respondet. (1) Autoritati conciliorum Cap. 5. quorundam, & usui seculorum opponit Scripturam, perpetuam & nunquam, nisi postremis his seculis, in dubium vocatam regulam; priorum temporum observantiam; prædictiones corruptelarum ab Apostolis factas; exemplum Synagogæ; propensionem hominum naturalem ad errores; barbariem posteriorum seculorum, & malitiosa figmenta; suppositiones etiam librorum, quorum falsitatem optimi & doctissimi quique e Romana Ecclesia ipsi detexerint. (2) Ad id quod dicitur, non debuisse reformationem proprio ausu suscipi, sed concilii definitionem expectari, regerit difficultates habendi concilii & inveniendæ infallibilitatis in decisis hominum, & quod quælibet Ecclesia particularis aut nationalis possit & debeat abusus suos emendare, vitato quantum fieri potest scandalo & servata charitate. (3) Objectionem de malis quorundam, qui reformationem susceperunt moribus, pro nulla habet; ad rem enim, non ad personas respiciendum esse, alias nullum dubitandi finem fore. (4) Defectum disciplinæ, qui objici solet, excusat corruptione seculi & aliis difficultatibus. Retorquet in adversarios eandem accusationem; speciatim de confessione particulari scribit, commendari

eam in Ecclesia Anglicana ob consolationis & dilectionis utilitatem, sed absolute imperari non posse contra Scripturam & antiquum Ecclesiæ morem. Addit alia, quibus ostendat, quam facilis sit abusus in materia disciplinæ, & quod non omnia tam exacte, uti deberent, institui possint; interim formam & substantiam Ecclesiæ nihilominus subsistere. (5) Multitudinem exortarum hæresium, quæ objicitur, negat reformationi imputari debere. Non pauciores nec leviores primis Ecclesiæ seculis fuisse, neque tamen ad judicium Romanæ sedis confugisse Ecclesiam, neq; tribunali illo, postea introducto, schismata & dissensiones impediri potuisse, id quod experientia probari posse contendit: monet etiam, plerasque hæreses & schismata post reformationem extitisse, dum Ecclesia Evangelica persecutionibus premeretur. Speciatim objicit, quod sectariis Anglis capita & instigatores ex Clero Romano accesserint, aut quod is tyrannide sua in desperationem & inde usurpatam licentiam plebem præcipitaverit. Concludit excusando rigorem, qui adversus hæreticos & schismaticos in Anglia exerceri videtur; monstrat pericula & damna ex prætenso Independentismo; defendit Liturgiam Anglicanam; invitat Romano-Catholicos ad communionem cum Ecclesia Anglicana, cujus elogia repetit, illosque ab erroribus ac superstitionibus suis dehortatur. Cap. 6.

Parte altera opusculi de Traditionibus agitur. Per traditionem vero (licet hæc vox etiam Scripturæ, sive doctrinæ quæ in Sacra Scriptura traditur, competat,) intelligitur tamen hic illa, quæ ore fit aut scriptis humanis. De hac primo generaliter expenditur, quis sit ejus autor, quæ materia, quæ autoritas & certitudo, & ex his quatuor capitibus nervose ostenditur, minime obsequendum esse Romanæ Ecclesiæ, quæ sub traditionum Apostolicarum nomine credenda quædam obtrudere velit, absq; omni Scripturæ Sacræ autoritate, sed solum sua aut particularium quorundam doctorum. Inde in duo capita sive partes libellum distribuit Autor: In *prima* agit de traditionibus, quas recipit Ecclesia Anglicana; in *secunda* de iis, quas non recipit.

Cap. I. art. 1. Recipit igitur, ut Autor deducit, traditionem, quatenus complectitur contenta Novi Testamenti, quæ ab initio viva voce proposita fuerunt, eaque intelligi statuit ab Apostolo 2. Thess. II, 15, urgens

gens particulam *itaque*, quæ respicit ad ea, quæ antea de mysteriis fidei docuerat, quæque postmodum scriptis consignata, & ab iisdem susceptа & lecta fuerunt, qui conciones ex ore Apostolorum ab initio audiverant. Per traditionem vero, quam idem Apostolus commendat cap. III, 6, exemplum vitæ & conversationis intelligi statuit, id quod collato 1. Thess. IV, 11 planum fieri dicit. Eam vero traditionem, ob cujus observationem Paulus Corinthios laudavit 1. Cor. XII 2, nihil aliud esse monet, quam quod ipse a Domino acceperat illisque tradiderat v. 23, i. e. communionem corporis & sanguinis Christi sub pane & vino, & ab hoc ipso exemplo periculum traditionum, quæ extra Scripturam jactantur, commonstrat, quia nec hanc integram servaverit Romana Ecclesia, & sub recentioris traditionis prætextu Sacramentum mutilaverit. Hoc supposito docet, Scripturam Sacram primum ore traditam, vere esse traditionem, scripto scilicet postea consignatam. Quod si dicant, ex traditione constare debere, quæ sit sacra Scriptura; id nihil ait ad rem facere. Hac enim traditione nullam exhiberi doctrinam, sed tantum testimonium reddi de doctrina in traditione scripta comprehensa: ita ut illa traditio de libris sacris sit veluti instrumentum, per quod ad nos pervenerint; sicut publicatio codicis legum non est lex aut sententia, nec proponit quicquam quod non inveniatur in codice. Neque tamen inde sequi, ac si autoritas Scripturæ a traditione Ecclesiæ dependeat; nam non ideo divinam esse Scripturam, quia eam pro tali tradit Ecclesia, sed tradi ab Ecclesia, quia est divina. Concedit autem traditiones vocari & recipi posse, *formulam voti baptismatis*, *& Symbolum Apostolorum*, *precesque & hymnos Ecclesiæ*, sed ideo, quia sunt compendia sive excerpta ex Scripturis. Illas etiam admittit, quæ Scripturam ex Scriptura explicarunt, veluti canon Nicenus de æterna Christi generatione: is enim Canon ideo creditus receptusque est, quia ex oraculis Scripturæ fuit probatus. Allegat Constantini dictum ex Theodoreto Lib. 1. c. 6, dein Hilarium & Hegesippum ex Eusebio & ex recentioribus Scriptorem Anglum Jacksonum, qui per traditiones in primitiva Ecclesia celebratas intelligit confessiones, quas edere & communicare inter se solebant Ecclesiæ particulares, quarum neutra ab altera dependebat, quæve uni subditæ non erant capiti, singulæ tamen idem, v. g. divinitatem Christi etiam art. 2. art. 3. art. 4.

ante

ante Concilium Nicenum profitebantur; unde convinci potuit Arius, quod novi dogmatis autor esset. Idem applicat ad reliqua concilia oecumenica, negat autem tale aliquid a Romana Ecclesia sub traditionum nomine expectari posse, sed contradictorias potius & mire varias Doctorum particularium explicationes, nullo
art. 5. universali veterum consensu probandas. His itaque rejectis, veras & genuinas traditiones commendat, qualem esse docet sententiam de baptismo infantum, quem Patres ipsi traditionem vocant Apostolicam, sed stabiliunt per dicta Scripturæ, ex quibus non quidem apertis verbis, sed argumentis validis deduci potest. In eodem
art. 6. censu habet ordinationem Episcoporum. Aliud exemplum traditionis, quæ pro pia haberi debeat, profert *de virginitate perpetua*
art. 7. *beatæ Virginis*. Denique veterum rituum & ceremoniarum traditiones non improbat, modo non habeantur pro parte necessaria cultus divini, & Ecclesiæ salvum sit jus mutandi, sicut fuit recipiendi
art. 8. aut ordinandi. Reliquas omnes, quæ particulares Doctores pro autoribus habent, quales venditant Romani, particularis esse autoritatis, ad quam accipiendam & verbi divini præceptis æquiparandam nemo obligetur.

Cap. II. art. 1. Ante omnia negat, esse aliud verbum Dei quam scriptum, *Scriptura enim est perfecta* 2. Tim. III, 15. 16. 17: allegat etiam dictum 1. Cor. IV, 6, ut nemo supra quam scriptum est sapiat, μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, & locum Tertulliani adversus Hermogenem. Quærit, si verum esset, dari verbum non scriptum, cur nemo ostenderit, ubi id inquiri & inveniri possit. Notat etiam ex Hegesippo, quod statim post obitum eorum, qui primi scripserunt aut acceperunt libros sacros N. T. novæ doctrinæ ab impiis & atheis fraudulenter productæ fuerint. Imo id animadvertisse jam suo tempore Paulum 1. Cor. XI, 3; tanto magis nobis metuendum esse, qui tam longe a primis illis temporibus absumus. Quod autem Patres sæpe ad traditiones provocent, ea de causa fieri, quod Sacræ Scripturæ tunc non tam familiariter inter Barbaros cognitæ essent; nihil tamen aliud per traditiones illas, quam sensum & contenta Scripturæ intellexisse; nullam denique autoritatem parem esse posse ei, quam Scriptura habet. Hanc enim, ait, authenticam primitiva Ecclesia accepit & ejus exempla ad nos usque transtulit, quam neque Pagani, maximi Christianismi hostes, Celsus, Porphyrius

phyrius, Julianus, ausi sunt ut supposita diffamare. Tale quid de traditione afferri non potest, sive quod certitudinem ejus stabiliat, sive internam sanctimoniam, cum pleræque non nisi commoda eorum respiciant, qui eas allegant. Posthæc alias rationes adducit, cur fidi non possit Romanæ Ecclesiæ traditiones venditanti: tum art. 2. quod sit particularis Ecclesia & universaliter testari non possit, tum ob negligentiam qua in præcipuis traditionibus servandis versata sit, & ob falsas quas substituerit. Arguit itaque eam ob latinam Bibliorum versionem, tot corruptionibus obnoxiam, & contradicentes sibi Bullas *Sixti V* & *Clementis VIII*, quorum uterque editionem a se comprobatam, sub maledictionis pœna unice sequendam præcepit, quæ tamen sunt diversissimæ. Eidem Ecclesiæ culpam imputat, quod, cum magistra omnium esse vellet, traditiones vetustissimas, v. g. explicationes Scripturæ ab Apostolis factas, non conservaverit; & quod ad alias suæ utilitatis causa stabiliendas, libros supposuerit. Ad falsificationem illam demonstrandam affert exempla epistolarum decretalium, item historiæ de baptismo & donatione Constantini, canonis concilii Niceni pro primatu Pontificis, aliaque etiam *Breviario Ecclesiastico* inserta. Eidem objicit, quod traditiones antiquissimas pro lubitu suppresserit aut corruperit, v. g. *trinam immersionem in Baptismo, stata Baptismi tempora in Paschate & Pentecoste, Eucharistiam infantibus porrectam, Purgatorium*, (quod omnes animas, ne B. quidem virgine excepta, in die judicii subituras veteres credebant, ex quo plane aliud confictum est) *Canonem librorum Scripturæ*, quem Tridentini Patres extendere ad libros apocryphos ausi sunt. Præterea particulares doctrinas Ec- art. 3.
clesiæ Romanæ simpliciter rejicit, cum neque Scripturis neque traditione, sed sola autoritate nitantur, v. g. *primatum & dominatum Romanum, septem Sacramenta, sacrificium Missæ, privationem calicis* & reliquas in confessione *Pii IV.* enumeratas. Ad hanc enim absurditatem tandem eos deveniisse censet, cum traditionum veritatem probare non possent, ut omnia ex autoritate sua definirent, atque sic laborem inquirendi in Scripturam & traditiones lucrifacerent, quo fiat ut nullus articulorum fidei statuendorum finis esse possit. Imo esse ait, qui hanc autoritatem soli Pontifici assignent, adducens verba Cornelii Mussi in cap. XIV Ep. ad Rom. qui dicit, se unius Papæ

 decisi-

decisioni magis credere, quam mille Hieronymis, Augustinis, Gregoriis, nedum Richardis, Scotis, aliisque, quia sciat credatque, Papam non posse errare in materiis fidei. Addit Joh. Fischeri Roffensis testimonium aperte fatentis, articulos de indulgentiis & purgatorio noviter ab Ecclesia receptos esse, veteribus non æque cognitos. art. 4. Itaque ut Romanæ, ita etiam aliis omnibus Ecclesiis jus, sub traditionum prætextu, condendi articulos fidei abjudicat: ad art. 5. regulam Vincentii Lirinensis provocans. Ex eodem differentiam traditionum, quæ ante concilium Nicenum ex confessionibus supradictis Episcoporum & Ecclesiarum probari poterant, & posteriorum ostendit, ita ut jam contra Hæreses ne veterum quidem traditionum allegatio sufficiat, quia de earum antiquitate certi non sumus, sed corruptiones & falsificationes metuendæ sunt. Itaque eodem Vincentio teste, solæ Scripturæ ad hæresium examen & art. 6. condemnationem adhiberi debent. Dein traditionis oralis etiam antiquissimæ lubricitatem exemplis confirmat: *Papiæ* nempe, de regno mille annorum; traditionum contradictoriarum de tempore Paschatos, *Irenæi* de ætate Christi. Concludit ad Scripturam recurrendū esse, dein suo modo ad traditiones ei conformes ac subalternas, aut universalis Ecclesiæ & omnium seculorum testimonio probatas, non vero ad particulares, quas Romana obtrudit. Subjungit Epilogum sive paræneſin de studio & praxi veræ religionis & pietatis, ex dicto Pauli ad Rom. VI, 17, illamque formam doctrinæ (quam sequendam laudat Apostolus, & quæ est *secundum pietatem*, & ad sanctam vitam ducit,) sufficientissime in Scripturis tradi asseverat; cum ea quæ ex additamentis constat, licet facilior videatur, nempe per missas, indulgentias, satisfactiones, merita Sanctorum aliaque ejus generis inventa, Scripturæ tamen ignota sit.

ISAACI NEVVTON, MATHESEOS PROFESSORIS Cantabrigiensis, & Regiæ Societatis Anglicanæ Socii, Philosophiæ Naturalis Principia Mathematica.

Londini, jussu Soc. Regiæ, 1687, in 4.

Visum

Visum est *Clarissimo Autori*, eximio nostri temporis mathematico, Veterum Recentiorumque studium & industriam in provehenda scientia naturali junctim persequi, bonoque publico insigne ejus specimen in hoc reconditissimæ doctrinæ Opere exhibere. Nam & Veteres in rerum naturalium investigatione Mechanicam, non ignobilem matheseos prolem, maximi fecisse autor nobis est *Pappus*; & Recentiores, missis infelicibus illis formarum substantialium & qualitatum occultarum umbris, phænomena naturæ ad lucem & leges mathematicas revocare hactenus annisos, tot egregia Philosophiæ hodiernæ monumenta pius satis loquuntur. Cum autem *Autori* nostro omnis in eo Philosophiæ versetur difficultas, ut a phænomenis motuum investigentur vires naturæ; ab his deinde reliqua phænomena deducantur: *Idem* de potentiis naturalibus solicitus, Mechanicæ rationalis (scientiæ motuum viribus, & virium motibus quibusque debitorum) auspiciis, ea in tribus Operis hujus libris tractare suscepit, quæ ad gravitatem & levitatem, vim elasticam, resistentiam fluidorum, & ejusmodi vires, seu attractivas seu impulsivas alias, adeoque motum corporum spectant. Quæ singula propositionibus generalibus, continua demonstra- Lib. II. tione nexis, astruit: illustri postea mundani systematis exemplo Lib. I. II. proposito, quibus gravitatis viribus corpora ad Solem cæterosque Planetas, juxta phænomena cœlestia tendant, & quomodo inde motus Planetarum, Lunæ, Cometarum, Maris consequantur. Optat vero *Autor*, ut cætera naturæ phænomena eodem argumentandi genere derivare liceat ex principiis mechanicis; suspicatur enim, ea omnia ex viribus quibusdam pendere posse, quibus corporum particulæ, per causas nondum cognitas, vel in se mutuo impellantur, & secundum figuras regulares cohæreant; vel ab invicem fugentur & recedant: quibus viribus ignotis, Philosophos hactenus frustra naturam tentasse necessum fuerit. Cum autem defectus in materia tam difficili forte sibi subnatos, non tam reprehendi, quam novis lectorum conatibus investigari, & benigne suppleri non inique *Autor* cupiat: ansam habebunt, quibus placita veterum mathe- Lib. I. maticorum, pro demonstratis hucusque habita, & ab *Autore* nostro suis propositionibus substructa, lima indigere (consule *Actorum superioris anni mens. oct.* p. 586) aliqua videntur, meditata sua plurimum desiderata in lucem proferendi publicam.

Præmittuntur tractationi principiorum loco *Definitiones & Axiomata.* In *illis*, quid per materiæ & motus quantitatem; illius vim insitam, impressam, centripetam; hujus quantitatem absolutam, acceleratricem & motricem, tanquam nomina minus frequentata, *Autor* intellectum velit, determinat. Tempus, spatium, locum, motum & quietem porro annotat a vulgo non aliter quam ex relatione ad sensibilia concipi, indeque oriri præjudicia, quibus tollendis quantitates has in absolutas & relativas distinguit, singularumque varietates explicat: in specie, locum non esse superficiem ambientem, nec situm corporis; motum perperam per translationem e vicinia corporum, quæ tanquam quiescentia spectantur, definiri ostendens. Unde deinceps concludit, quantitates illas relativas non esse eas ipsas quantitates, quarum nomina præ se ferunt, sed earum sensibiles mensuras illas (veras an errantes) quibus vulgus loco mensuratarum utitur; vimque inferre sacris literis, qui voces hasce de quantitatibus mensuratis interpretentur: neque minus contaminare mathesin & philosophiam, qui quantitates veras cum ipsarum relationibus & vulgaribus mensuris confundant.

Axiomata has leges motus continent: corpus omne perseverare in statu suo quiescendi vel movendi uniformiter in directum, nisi quatenus a viribus impressis cogitur statum illum mutare: mutationem motus proportionalem esse vi motrici impressæ, fierique secundum lineam rectam, qua vis illa imprimitur: actioni contrariam semper & æqualem esse reactionem; sive corporum duorum actiones in se mutuo semper esse æquales, & in partes contrarias dirigi. E quibus *Autori* consequuntur *corollaria:* corpus viribus conjunctis diagonalem parallelogrammi describere, quo latera separatis: indeque patere, quomodo vis directa ex viribus quibusvis obliquis componatur, & vicissim in obliquas quascunque, Mechanica id abunde confirmante, resolvatur (esseque adeo corollarium hoc usus amplissimi, atque ab eo totam mechanicam, diversimode ab autoribus demonstratam pendere; facileque inde derivari vires machinarum quarumcunque, & nervorum ad animalium ossa movenda:) quantitatem motus, quæ colligitur capiendo summam motuum factorum ad eandem partem, & differentiam factorum ad contrarias, non mutari ab actione corporum inter se: commune gravi-

gravitatis centrum ab actionibus corporum inter se non mutare statum suum vel motus vel quietis, & propterea corporum omnium in se mutuo agentium (exclusis actionibus & impedimentis externis) commune centrum gravitatis vel quiescere vel moveri uniformiter in directum: corporum dato spatio inclusorum eosdem esse motus inter se, sive spatium illud quiescat, sive moveatur uniformiter in directum absque motu circulari: si corpora moveantur quomodocunque inter se, & a viribus acceleratricibus secundum lineas parallelas urgeantur, omnia eodem modo pergere inter se moveri, ac si viribus illis non essent incitata. Perduas primas leges & Corollaria duo prior*a*, *Autor* contendit *Galilæum* adinvenisse, descensum gravium esse in duplicata ratione temporis, motumque projectilium fieri in parabola; & ab his pendere demonstrata de temporibus oscillantium pendulorum; ex his & lege tertia, *Wallisium*, *Wrennum* & *Hugenium* regulas congressuum & reflexionum duorum corporum constituisse; *Wrennum* etiam coram Regia Societate per experimentum pendulorum exposuisse: quod *Mariottus* integro mox libro publice persequi dignatus est, ipseque *Autor* theoriis ad amussim conformare cautionibus hoc loco adjectis laboravit. Sequuntur hæc principia *Lemmata* quædam, peculiarem *Autoris methodum primarum & ultimarum rationum* exhibentia, qua toto Opere demonstrandis propositionibus suis inprimis utitur. Nimirum cum a tædiosis & perplexis Veterum Geometrarum demonstrationibus, ad absurdum deducentibus, abhorreret; nec tamen methodum indivisibilium, tanquam duram & minus geometricam habitam (utut contractioni demonstrationum inservientem) adhibere consultum duceret: demonstrationes suas ad primas nascentium & ultimas evanescentium quantitatum summas & rationes, hoc est ad limites summarum & rationum revocavit, idem omnino suo judicio, quod hypothesis indivisibilium præstantes. Hujus methodi præcipua sunt: quantitates, ut & quantitatum rationes, quæ ad æqualitatem dato tempore constanter tendunt, & eo pacto propius ad invicem accedere possunt, quam pro data quavis differentia, fieri ultimo æquales; figuræ rectis perpendicularibus & curva contentæ ultimas rationes cum inscripta, ex parallelogrammis in infinitum minoribus atque minoribus super basis partibus in

pag. 26.

pag. 27.

infinitum diminutis constituta; ambarumque cum circumscripta, residua a parallelogrammis illis triangula in parallelogramma alia complente, esse æqualitatis, ipsasque adeo has figuras esse æquales; pag. 30. eandemque rationem esse arcus, chordæ & tangentis, & lineas has in omni de ultimis lineis argumentatione pro se invicem usurpari pag. 32. posse; spatia quæ corpus urgente quacunque vi regulari describit, esse ipso motus initio in temporum; & subtensam evanescentem anguli contactus, esse ultimo in subtensæ arcus contermini ratione duplicata, &c. Atque juxta hæc, ubi in sequentibus quantitates tanquam ex particulis constantes considerat, aut pro rectis lineolas curvas usurpat, non indivisibilia, sed evanescentia divisibilia, nec summas & rationes partium determinatarum, sed summarum & rationum limites ubique vult intelligi; quos diluendis objectionibus, pag. 35. quæ methodum hanc impetere possent, dilucide explicat.

Quod argumenta porro attinet duorum priorum Operis librorum, constitueramus ea quidem in ordinem digesta, quanta fieri contractione posset, lectori exhibere: at vero diffusam hanc per varia corporum motuumque, variis modis inter se collatorum genera & vices, materiam in synopsin colligentibus, eam in molem excrevit scriptio, ut mensuram instituti nostri longe excederet. Verendumque adeo nobis erat, ne majori lectoribus esset molestiæ, tam variarum propositionum generalium, nec rebus sensibilibus accommodatarum adeo prolixa descriptio, luce sua præcipua, hoc est demonstrationum diagrammatumque exegesi destituta; quam damno, abruptus & per summa tantum capita decurrens recensus. Suffecerit ergo B. Lectori saltem indicasse, totis duobus libris, in complures sectiones pro varietate materiæ divisis, motus corporum omnis generis, sphæricorum & non sphæricorum, ascendentium descendentiumque, projectorum, pendulorum, fluidorum, viribusque quibuscunque agitatorum, rectilineos, curvilineos; circulares, spirales, in conicis sectionibus, centro virium concentricis & eccentricis, orbibus mobilibus immobilibusve; progressivos; per fluida propagatos; motuum item vires centripetas, absolutas, acceleratrices; tempora, velocitates, harumque incrementa & decrementa; centra, areas, loca, apsides, spatia, media, mediorumque densitates & resistentias tractari, & indagine tanto Mathematico digna evolvi. Insperſa sunt propositionibus hinc inde Lemmata, Geometriam, conicorum præcipue, non parum perficientia; adjectaque passim Corollaria amplitudinem demonstratorum ostendentia; & ne sterilis doctrina videri possit, Scholia philosophiam illustrantia.

Ad hæc illave pertinent, a nobis merito commemoranda: descriptiones trajectoriarum, ellipticarum, parabolicarum & hyperbolicarum, juxta varia data: compositio geometrica problematis veterum de quatuor lineis, ab *Euclide* inchoati, & ab *Apollonio* continuati: lemmata, de figuris quibusque in alias ejusdem generis transmutandis, solutioni difficiliorum problematum, figuris nempe propositis in simpliciores transmutatis, inserviens; de impossibilitate generaliter exprimendi aream figuræ ovalis, rectis pro lubitu abscissam, per æquationes numero terminorum ac dimensionū finitas: de longitudine cycloidis, descriptæa puncto rotæ extrinsecus aut intrinsecus globo ad angulos rectos insistentis, & in circulo maximo revolutæ (quales cycloides *Autor* constitutioni terræ accommodat, & ex demonstratis suis consequi vult, a *Wreno* & *Hugenio* de cycloide vulgari adinventa) de oscillationibus horologiorum isochronis constituendis: de systematibus corporum plurium mutuo se trahentium, eorumque motibus, distantiis, apsidibus, apsidum & nodorum motu, ad demonstrandos motus cœlestes & maris: de *seriebus Autoris convergentibus*, ordinatim applicatarum loco substituendis, quarum usum in curvis lineis earumque tangentibus determinandis, uno alterove exemplo declarat: de successiva lucis propagatione, quam spatio quasi 10′ a Sole ad Terram pervenire, ex phænomenis satellitum Jovis, per diversos Astronomos observatis, constare pronunciat: de radiorum in aere existentium (quæ *Grimaldo* etiam observata est) in transitu suo prope corporū, opacorum perspicuorumq;, angulos circum corpora quasi attractorum incurvatione; ex qua refractionem non in puncto incidentiæ, sed paulatim per continuam radiorum incurvationem, partim in aere ante vitri contactum, partim post ingressum in vitrum, fieri concludit: de determinatione superficierum, unius pluriumve, quæ corpuscula omnia, de loco dato successive manantia, convergere faciant ad alium locum datum; quorum beneficio omnes figuræ

Lib. I, Sect. IV, V, p. 61. seqq.
pag. 75.
pag. 85.
pag. 105.
pag. 147.
pag. 156.
pag. 158.
pag. 171. seqq.
pag. 225. 263.
pag. 231.
pag. 232.

inveni-

inveniri poſſunt, quas *Carteſius* in Geometria & Optica ad refractiones expoſuit, quarumque inventionem maximi fecit, & ſtudioſe celavit: de vitris perſpicillorum objectivis, ex duobus ſphærice pag. 234. figuratis & aquam inter ſe claudentibus conflatis, quibus corrigi poſſe cenſet errores refractionum, in extremis ſuperficiebus vitrorum contingentium, quæque proinde præfert ellipticis & hyperpag. 250. bolicis: de momentis (principiis jam jam naſcentibus finitarum magnitudinū) genitarum quantitatum, æqualibus ipſis momentis terminorum ſingulorum generantium, in eorundem laterum indices dignitatum & coefficientia continue ductis; ubi & de ſua (cui geminam Cl. *Leibnitio* eſſe affirmat) methodo determinandi maximas & minimas, ducendi tangentes &c. in terminis ſurdis æque ac in rationalibus procedente, cujus utriusque fundamentum peculiari propoſitione exponit: de reſiſtentiis corporum in medio raro & pag. 326, elaſtico, & per eas inveniendis figuris ad continuandos motus in 327. mediis reſiſtentibus aptioribus, adeoque navium figuris conſtruenpag. 339, endis: experimenta pendulis facta, explorando oſcillationum nuſeqq. mero, quo eadem motus ſui partem certam (quartam, octavam, &c.) amittant, inveniendæ fluidorum reſiſtentiæ (optat vero *Autor*, ut quoniā vacui demonſtratio ab experimentis his dependeat, ut eadem cum globis, diametrorum geometrice proportionaliū, & pluribus & majoribus & magis accuratis, quam a ſe adhibitos confiretur, inſtituantur) quam corporum celerrime motorū, per pendula in aere, aqua, & mercurio vibrata, quam proxime proportionalem ubique repepag. 351. rit denſitati fluidorum; confirmata etiam hac proportionalitate, pag. 352. experimentis pendulorum in gyrum actorum: tentamen *Autoris* in gratiam hypotheſeos hodiernæ, de medio quodam æthereo & longe ſubtiliſſimo, quod omnes omnium corporum poros permeet, & a quali per corporum poros fluente reſiſtentia oriatur, ſuſceptum; quo deprehenſum ſibi affirmat, corporum motorum reſiſtentiam totam eſſe in externa eorum ſuperficie, nec partes eorum internas aliquam in ſuperficiebus propriis reſiſtentiam pati, aut ſaltem non pag. 364. ſenſibilem: de preſſione per fluidum propagata, undarum & pulſeqq. ſuum in fluido elaſtico velocitate & diſtantiis; ex quibus infert, lupag. 369. cem, cum ſecundum lineas rectas propagetur, in actione ſola non conſiſtere, ſonosque nihil aliud eſſe quam aeris pulſus propagatos; quod

quod ulterius confirmat, tum ex tremoribus in corporibus objectis excitatis, tum ex velocitate ſonorum, quam calculo geometrico tempore unius ſecundi pedes Anglicos 968 conficere colligit; velocitate hac experimentis a ſe habitis (quas inter *Robervalli* & *Merſenni*, nimium ab invicem diſſidentes, medias eſſe affirmat) confirmata; cum autē motus iſte ſonorum ab aeris denſitate pendeat, conſequi putat, ſonum non in motu ætheris, aut aeris alicujus ſubtilioris, ſed in aeris totius agitatione conſiſtere; ex ſupra memoratis porro deducit ceſſationem ſonorū, ceſſante motu corporis ſonori, intenſionemq; eorum in tubis ſtentorophonicis: de proprietatibus vorti- pag. 387. cum, quas cum phænomenis corporum cœleſtium confert. Cum autem de ſatellitum Jovialium & circum Solarium Planetarum revolutionibus per obſervationes aſtronomicas hodie conſtet, tempora eorum periodica, exacte eſſe in ratione ſesquialtera diſtantiarum a centro orbis ſui; partium vero vorticis tempora *Autori* in ratione duplicata diſtantiarum a centro motus prodeant; neque hypotheſes, quibus conciliari vorticibus ratio ſesquialtera poſſit, vero conſentaneæ *Eidem* videantur: in hypotheſi porro Copernicæa Planetæ in Ellipſi circa Solem, in umbilico ejus uno conſtitutum, revolvantur, areasque deſcribant temporibus proportionales, partes vero vorticis tali motu revolvi nequeant; cum Planetæ tardius in Aphelio, velocius in Perihelio moveantur ſecundum leges aſtronomicas, cujus contrarium lege vorticum mechanica evenire debeat, ob ſpatia illic contractiora, hic latiora: *hypotheſin vorticum tantopere* Carteſianis *decantatam cum phænomenis cœleſtibus e diametro pugnare, & non tam ad explicandos, quam perturbandos motus cœleſtes conducere*, tandem pronunciat. Quomodo vero motus dicti in ſpatiis liberis absque vorticibus peragantur, Libro III, ſyſte- Lib. III. mate mundi expoſito, *Autor* pluribus demonſtrat. pag. 401.

Et hunc quidem *Autor* initio profitetur voluiſſe ſe tradere methodo populari, ut a pluribus legeretur: ſed ne res in diſputationes trahatur ab iis, quibus principia poſita ſatis intellecta non fuerint, nec inde conſequentiarum vis percepta, aut præjudicia doctrinarum veterum depoſita, ſummā libri tranſtuliſſe in propoſitiones more mathematico, ut ab iis ſolis legeretur, qui principia (ſectionibꝰ præcipue tribus Libri I explicata) prius evolverint. Præſtruit autem libro hypotheſes ſequentes, partim phyſicas, partim obſervationi-

nibus aſtronomicis innixas: cauſas rerum naturalium non plures admitti debere, quam quæ & veræ ſint, & earum phænomenis explicandis ſufficiant; ideoque effectuum naturalium ejusdem generis easdem eſſe cauſas: corpus omne in alterius cujuscunque generis corpus transformari poſſe, & qualitatum omnes gradus intermedios ſucceſſive induere: centrum ſyſtematis mundani quieſcere: Planetas circumJoviales radiis ad centrum Jovis ductis areas deſcribere temporibus proportionales, eorumque tempora periodica eſſe in ratione ſesquialtera diſtantiarum a centro Jovis: Planetas quinque primarios orbibus ſuis Solem cingere, eorumque (& vel Solis circa Terram, vel Terræ circa Solem) tempora periodica eſſe in ratione ſesquialtera mediocrium diſtantiarum a Sole: ſolam ex Planetis Lunam radiis ad Terram ductis areas deſcribere temporibus proportionales; cæteros idem efficere radiis ad Solem ductis.

pag.405. Ex his, & enunciatis librorum præcedentium demonſtrat: vires quibus circumJoviales, Planetæ primarii, Luna perpetuo a motibus rectilineis retracti in orbibus ſuis retinentur, eſſe a gravitatione eorum in Jovem, Solem, Terram, & eſſe reciproce ut quadrata

pag.408. diſtantiarum a centro Jovis, Solis, Terræ: corpora omnia in Planetas ſingulos gravitare, & pondera eorum in eundem quemvis Planetam, paribus diſtantiis a centro Planetæ, proportionalia eſſe

pag.410. quantitati materiæ in ſingulis (unde porro infert: pondera corpo-

pag. 411. rum non pendere ab eorum formis & texturis: vacuum neceſſario dari; poſitis enim ſpatiis omnibus plenis, gravitatem fluidi, quo regio aeris impletur, nil ceſſuram gravitati ſpecificæ argenti vivi, vel auri, vel corporis utcunque denſiſſimi: gravitatem eſſe diverſi generis a vi magnetica) gravitatem in corpora univerſa fieri, proportionalemque eſſe quantitati materiæ in ſingulis: poſita globorum

pag. 412. duorum in ſe mutuo gravitantium materia, undique in regionibus a centro æquidiſtantibus homogenea, pondus globi alterutrius in alterum eſſe reciproce, ut quadratum diſtantiæ inter centra (unde

pag. 413. innoteſcere Autor vult: pondera corporum, in diverſos Planetas, æqualium in ſuperficiebus Terræ & Planetarum, fere eſſe in ratione dimidiata diametrorum apparentium e Sole viſarum; quantitatem materiæ inPlanetis ſingulis, in Sole, Jove, Saturno, Terra, ſumta nempe Solis parallaxi 26, & calculo deductis eorum veris ſemidiametris

ut

ut 10000, 1063, 889, 208, eſſe uti, $\frac{1}{1100}$, $\frac{1}{2300}$, $\frac{1}{28700}$; denſitates Planetarum eorundem, ut 100, 60, 76, 387, Lunæ 700: Ex quo Deum pag. 415. concludit collocaſſe Planetas in diverſis a Sole diſtantiis, ut pro ratione denſitatum ſuarum a Sole calorem reciperent; aquam enim noſtram in orbe Saturni ſtatim in glaciem concreturam; in orbe Mercurii in vapores abituram, cum calor æſtivo Solis ſeptuplo major, Thermometro menſuratus aquam ebullire faciat) gravitatem pergendo a ſuperficiebus Planetarum deorſum, decreſcere pag. 416. in ratione diſtantiarum a centro quam proxime: motus Planetarum in cœlis diutiſſime conſervari poſſe: commune centrum gravitatis pag. 417. Terræ, Solis & Planetarum omnium quieſcere: Solem motu perpag. 418. petuo agitari, ſed nunquam longe recedere a communi gravitatis centro Planetarum omnium, quod proinde pro centro mundi habendum eſſe contendit: Planetas moveri in Ellipſibus, umbilicum pag. 419. habentibus in centro Solis, & radiis ad centrum illud ductis areas deſcribere temporibus proportionales (ubi de perturbationibus motuum, a gravitate mutua Planetarum) orbium aphelia & nodos pag. 420. quieſcere (ubi ex Fixarum inſenſibili Parallaxi eas ſenſibiles effectus circum nos edere non poſſe aſſerit) Planetarum motus diurnos uni- pag. 421. formes eſſe, & librationem Lunæ ex ejus motu diurno oriri: axes Planetarum diametris ad eosdem normaliter ductis minores eſſe: (unde diametrum Terræ per polos, ad eandem ſecundum æquatorem, colligit eſſe ut 689 ad 692, adeoque juxta nuperam Gallorum menſuram ſumta ſemidiametro Terræ mediocri pedum Pariſienſium 19615800, Terram hic altiorem eſſe 85200 pedes ſeu milliaria 17; & hoc ipſo cautum eſſe exiſtimat, ne ob motum diurnum circularem partibus ab axe verſus æquatorem recedere conantibus, maria verſus polos ſubſidant, juxta æquatorem vero aſcendendo omnia inundent. Dependet autem juxta *Autorem* ab hoc, invenirique poteſt, diverſitas ponderum ejusdem corporis in diverſis regionibus, cum gravitas ſub polo ſit ad gravitatem ſub æquatore ut 692 ad 689; diverſitas etiam longitudinis pendulorum ἰσοχρόνως oſcillantium; ex cujus obſervationibus a Gallis, Pariſiis, in Inſula Goree & Cayennæ inſtitutis, Terram centrum verſus denſiorem quam in fodinis prope ſuperficiem, adeoque altiorem adhuc verſus æquatorem ac modo ſubduxerat, eſſe pronunciat) puncta æquinoctialia regredi,

& axem Terræ ſingulis revolutionibus nutando bis inclinari in Ecli-
pag.427. pticam, & bis poſitioni priori reſtitui: motus omnes Lunares, o-
pag.429. mnesque motuum inæqualitates ex allatis principiis conſequi: flu-
xum & refluxum maris ab actionibus Solis & Lunæ oriri, actionibus
luminarium in ☌ & ☍ ad effectum motus maximum conſpirantibus; in □ ſe impedientibus, æſtumque minimum efficientibus; u-
trobique limitatis his effectibus, cum a variis eorum diſtantiis a Ter-
ra, & ab æquatore declinationibus, tum a locorum latitudine, æ-
ſtuum etiam perſeverantia, & fretorum per quæ labuntur di-
verſitate.

pag. 474 De Cometis: eſſe eos (indice defectu parallaxeos diurnæ) Lu-
na ſuperiores, & in regione Planetarum (parallaxi annua evin-
cente) verſari; idque etiam & diſtantiam eorundem colligit ex ac-
pag.476; celeratione, retardatione, & retrogradatione motus, curvatura viæ,
478. luce capitum, ejusque incremento in receſſu Cometarum a Terra Sole
m verſus, ac decremento in eorum receſſu a Sole verſus Terram,
quod exemplis confirmat Cometarum anni 1665 & 1683, 1618 & 1680:
unde porro infert Cometas luce a Sole reflexa ſplendere, & in cir-
cum Solari regione longe plures conſpici, quam in Soli oppoſita.
Ex motu porro eorum omnifariam liberrimo, etiam contra curſus
Planetarum diutiſſime conſervato, ætheri reſiſtentiam omnem abju-
dicat, eosque genus eſſe Planetarum conjicit, motu perpetuo in
orbem redeuntium; moverique in ſectionibus conicis (ellipſibus,
ſed parabolæ adeo affinibus, ut illarum vice citra ſenſibilem er-
rorem hæ uſurpari poſſint) umbilicum in centro Solis habentibus,
& radiis ad Solem ductis areas deſcribere temporibus proportiona-
pag. 508. les: & ex analogia cum Planetis, minores eſſe, qui in orbibus mino-
ſeqq. ribus & Soli propioribus revolvuntur. Ex obſervationibus vero
pag. 490 Cometæ anni 1680, hinc inde a variis Autoribus habitis, & ab *Autore*
noſtro inter ſe collatis, facile hic conſtare putat, corpora Cometa-
rum eſſe ſolida, compacta, fixa ac durabilia inſtar Planetarum:
alioqui Cometam hunc in tranſitu ſuo per viciniam Solis (ejus
enim perihelii d. 8 Dec. diſtantiam ad diſtantiam Terræ a Sole de-
ducit ut 6 ad 1000; calorem vero tunc Solis apud Cometam, ad ca-
lorem Solis æſtivi apud nos, ut 28000 ad 1,) diſſipari ſtatim debuiſſe:
cum enim calor aquæ ebullientis juxta ipſum ſit quaſi triplus caloris
æſtivi

æſtivi apud nos, & calor ferri candentis triplus vel quadruplus aquæ
ebullientis; calorem quem terra arida in perihelio Cometæ perce-
ptura eſſet, plus 2000 vicibus intenſiorem quam eſt ferri candentis,
omnes vapores & materiam volatilem extemplo diſjecturam fuiſſe.
Tantam autem Cometarum calefactionem conducere ad magnitu- pag.499.
dinem caudæ, quæ univerſaliter maximæ & fulgentiſſimæ ſtatim
poſt tranſitum Cometarum per regionem Solis oriantur; unde, &
ex legibus quas ſervant, easdem nihil aliud eſſe concludit, quam va-
porem longe tenuiſſimum, quem caput ſeu nucleus Cometæ per ca-
lorem ſuum emittat; non vero referri debere, vel ad jubar Solis per
translucida Cometarum capita propagatum, vel ad refractionem
lucis, in progreſſu ipſius a capite Cometæ ad Terram. Poſſe vero pag.502.
vapores ex Cometarum atmoſphæris egreſſos ſpatiis tam immenſis,
ac caudarum phænomena poſtulant, implendis ſufficere, *Autor* ex
raritate aeris noſtri, cujus perexigua quantitas omnibus his cauda-
rum cometicarum phænomenis ſufficiat, eleganter deducit. Cau-
darum porro ex atmoſphæris Cometarum aſcenſum, & progreſ- pag.504.
ſum in partes a Sole averſas tribuit rarefactioni materiæ, ex qua
conſtant: hujus particulas Solis radiis reflectentes, eaque actione
calefactas, exiſtimat auram ætheream, cui implicantur, calefacere,
quæ hoc ipſo rarefiat, & imminuta gravitate ſua ſpecifica, prius in
Solem tendente, aſcendat, ſecumque rapiat particulas caudam
componentes, cujus rei geminum exemplum fumus culinaris noſter
præbeat. Caudas ergo in Cometarum periheliis natas, in regiones
longinquas cum capitibus abire, & vel inde poſt longam annorum
ſeriem ad nos reverti, vel potius ibidem paulatim rarefactas evane-
ſcere, novasque alias repetito capitum ad Solem deſcenſu excitari:
rarefactione autem hac vapores perpetuo dilatatos diffundi tandem
& ſpargi per cœlos univerſos, ibidemque paulatim in Planetas per
gravitatem ſuam attrahi, & eorum atmoſphæris miſceri, rationi con-
ſentaneum arbitratur; viderique eosdem ibi condenſatos ad conſer-
vationem marium & humorum in Planetis requiri; ne perpetuo de-
creſcentes liquores, defectu ſupplementi novi tandem deficiant.
Suſpicatur præterea, ſpiritum illum, qui aeris noſtri pars minima
eſt ſed ſubtiliſſima & optima, & ad rerum omnium vitam neceſſa-
ria, ex Cometis præcipue venire. Atmoſphæras denique in deſcen- pag.506.
ſu

ſu eorum ad Solem excurſu ſuo in caudas diminui; in receſſu vero a Sole ampliari, minimas vero apparere, ubi capita ad Solem calefacta in caudas fulgentiſſimas & maximas abiere, & nuclei fumo craſſiore & nigriore (qualis calore ingenti excitari ſolet) in partibus atmoſphæræ infimis circumdantur; indeque eſſe quod Cometa anni 1680 poſt perihelium ſuum obſcurior minorque apparuerit, quam ante, in æquali utrobique a Terra diſtantia; eodemque ſpe-
pag.420. ctare, quod capita Cometarum caudis ingentibus præfulgentium,
pag. 421. obſervatoribus deſcribantur ſubobſcura & exigua.
pag.422. Huic corporum mundanorum theoriæ *Autor* ſuo ubique loco
pag.428. Problemata inſpergit, calculo motuum Tabulisque condendis pro-
pag.434. futura: de inveniendis, orbium Planetariarum diametris transver-
pag. 435, ſis, excentricitatibus, Apheliis; proportione axis Planetæ ad dia-
438.. metros eidem perpendiculares: motibus inæqualibus ſatellitum
pag. 439. Jovis & Saturni ex motibus Lunaribus: viribus Solaribus, ad per-
pag.442 turbandos motus Lunæ: incremento areæ, quam Luna radio ad
443. Terram ducto deſcribit; diſtantiæ ejusdem a terra ex motu horario,
p. 448, & inde diametro apparente; Diametris orbis Lunaris, in quo absque
452, 455, excentricitate moveri deberet; variationi; motibus Nodorum Lu-
457, 460. næ, horario in circulo & ellipſi, medio & vero; variationi horariæ
pag.467. inclinationis orbis Lunaris ad planum eclipticæ: figuræ corporis
pag.470. Lunaris, a qua ſphæroide derivat ejusdem faciei conſtantem ad Ter-
pag. 463. ram obverſionem, cum oſcillatione. Viribus Solis & Lunæ ad ma-
ſeqq. re movendum: præceſſioni æquinoctiorum, quæ autori annuatim
pag. 483. eſt 49″, 58‴: Cometæ loco, ad quodvis tempus intermedium, datis
pag.487. aliquot ejusdem locis; trajectoriæ parabolicæ, ex datis tribus Come-
pag. 509. tæ obſervationibus, ejusque graphice inventæ correctioni.

FRIDERICI SCHRAGII J. U. D. ET ANTEceſſoris Argentinenſis Introductio in Pandectas.

Argentorati, apud Joh. Frid. Spoor, 1688, in 8.

NOn exiguus hodie numerus eorum extat interpretum, qui compendiaria tractatione univerſa Pandectarum contenta complecti, nucleumque adeo ſine cortice proponere ſategerunt: certe non poteſt non dubius ſæpe hærere jura ſolide diſcere cupientis animus, quem-

quemnam ex tanto cumulo præ cæteris tanquam uſibus ſuis aptiorem ſeligat. Ac tametſi iſtorum pluribus verendum fuiſſe videatur, ne a lectoribus inculparentur, nihil fere ab illis proferri, quod non ab aliis jam multoties prius ſcriptum inculcatumque fuiſſet: nihilominus dum alius alium hac in re aut ingenio, aut docendi brevitate, aut majori perſpicuitate, aut methodica accuratione vincere ſe poſſe ſperat, aliisve ex rationibus ad laborem talem ſuſcipiendum movetur, nondum hactenus defuere, qui huic ſcriptionis generi de novo ſemet impenderent; nec inpoſterum defuturos fore certum eſt. Quænam præſentis operis Autorem ad concinnandam hanc interpretationem Digeſtorum paratitlarem cauſæ impulerint, ipſe in præfatione ediſſerit. Ait nimirum, ſemper ſemet averſatum eſſe, nullamq; unquam prætermittere occaſionem poſſe corripiendi licentiam eam, qua inde a temporibus Azonis multi doctorum (poſthabita Juſtiniani prohibitione, id ſub pœna falſi fieri vetantis) leges per *Commentarios* interpretari, iisque adeo pro arbitrio dominari auſi ſint. Horum nempe plerosque ambitioſo commentandi genere non mentem Legislatoris explicare, ſed ſenſus ſuos in Leges inferre; ac poſtquam omnia injuſta & voluntati Legislatoris contraria arbitrentur, quæ ipſi cum regulis ſuis cerebrinis, quas tamen nomine juris naturæ, certi ac indubitati, venditare non erubeſcant, conciliare non poſſint, omne etiam initium interpretationis inde capiendum exiſtimare; quamvis confuſo Divino revelato naturalique jure, in ipſam juris naturæ definitionem impingere deprehendantur. Inter cauſas itaque Introductionem hanc in Pandectas, ante hoc quinquennium in gratiam auditorum ſuſcipiendi præcipuam hanc fuiſſe, ut cupidam Legum Juventutem a periculoſa illa jura tractandi ratione dehortaretur, oſtenderetque qua religione Interpretem in exponendo jure civili verſari oporteat: ita ſcilicet hoc in negotio ſe proceſſiſſe, ut conquiſitis collatisque iis, quæ ſub eodem vel diverſis poſita ſunt titulis, vera & genuina Jurisprudentiæ Juſtinianeæ principia atque analogia inveſtigarentur, inveſtigata inter media & argumenta juſtæ interpretationis adhiberentur, abhibitaque voluntatem ſeu mentem Legislatoris manifeſtarent. Hactenus de Autoris noſtri propoſito, ipſius plerumque verbis. De opere ipſo, cum nota jurisprudentiæ fundamenta tradat, non multis opus

tis opus erit ambagibus: sane promissi sui in eodem Autor nequaquã fuit immemor, quin potius cuncta concinno satis ordine, perspicue ac solide exponere allaboravit. Placuit ipsi, methodo nunc communissima, mirumque apud scriptorès hodiernos applausum merita, per causas singula materiarum capita pertractare; euilibet etiam titulo fere ejusdem cum antecedentibus & subsequentibus connexionem præmittit. Affectatam aliis antinomiarum venationem penitus omisit, tanquam a proposito alienam; nec quæstiones moveri solitas aliter quam per nudas allegationes definit: nisi quæ forte ad demonstrandam juris analogiam spectare visæ sunt. Decisiones etenim controversiarum quæstionumque illustrium, peculiari a se tractatui destinatas dicit. Cæterum ut liber lectorum usui magis esset accommodus, quadruplex eidem index, verborum puta, Regularum juris, titulorum & rerum subnectitur.

TRAITE' DU CHOIX ET DE LA METHODE des études, par M. Claude Fleury. i. e.

Claudii Fleury, Presbyteri & Abbatis, olim Præceptoris Principum de Conty, Tractatus de selectu & methodo studiorum.

Bruxellis, A. 1687, in 12.

Pietatis & eruditionis non vulgaris characterem ex libris Autoris hujus, in Acta nostra anno 1683. p. 173, 174. relatis, haut difficulter cognosci potuisse existimamus. Utramque etiam in hoc libello lectores, ut confidimus, deprehendent. In ejus parte prima commentaturus Auctor de informatione & educatione liberorum domestica, Dissertationem præmittit de informationibus seu scholis publicis. §. 1. Agit itaque de studiis *Græcorum* ex Aristotele Lib. VIII. §. 2. Polit. & Platone Lib. VII. de Legibus; postea *Romanorum*, ex Cicerone §. 3. aliisque autoribus; denique *Christianorum*. §. 4. De his monstrat, quomodo ab initio Christianismi Philosophia gentilis, ut vana; Poetarum Theologia, ut diabolica; Oratoria, ut mendax & adulatoria, in odium & contemtum venerit, & ut Christianis pro scholis fuerint templa, in quibus Sacra Scriptura assidue docebatur ab Episcopis, qui

pis, qui discipulos sibi ex clericis minoribus adsciscebant. Non negat tamen, conversos ex paganismo Philosophos pristina studia eatenus retinuisse, ut optima quæque morum præcepta ex autoribus veteribus, veluti ad præparationem Ethicæ Christianæ afferrent; ex fabulis vero atque historiis eorum superstitiones antiquas irridendas & detestandas proponerent, & ita suis veluti armis errores pristinos oppugnarent; unde factum, ut a Juliano illorum librorum lectione prohiberentur. In locum autem Philosophorum successisse Monachos, probitate morum venerabiles, ita ut deinceps monasteria pro scholis haberentur, in quibus non literatura humana & curiosa, sed perfectio Christiana, neque tam lectione quam praxi disceretur. Hanc disciplinam in Clerum translatam esse, cum seculo quinto Episcopi & Pastores fere ex monasteriis sumerentur. Neque tamen defuisse illo tempore scholas populares, in quibus Grammatica, Rhetorica, Mathesis, itemque Historiæ & Legum præcepta traderentur; sed has artes, destructo per Septentrionalium nationum incursus Imperio Occidentis, suppressas fere esse, solique Clero, & potissimum Monachis studia sua superfuisse. Transit hinc ad Caroli M. conatus de promovendis in §. 5. Francorum gente studiis, eosque ita laudat, ut barbariem pelli, & tam sacras quam profanas literas conservari potuisse existimet, si magni illius Imperatoris institutis obtemperatum constanter fuisset. Corruptionem autem multiplicem ex curiositate aliisque vitiis mox invaluisse, non sine ipsorum monachorum culpa, in aulas sub Ludovici Pii regno maxime irrepentium. At debilitata postea & deficiente denique familia Carolina, non populum solum & nobilitatem, literas plane aversantem, sed & Clerum barbarie summa laborasse, paucissimis exceptis, qui aliquam Dialecticæ aut Astronomiæ, minoremque adhuc Scripturæ S. & canonum notitiam habuerint. Seculo tamen undecimo & duodecimo, aliquo modo restaurata fuisse studia, ut ex *Yvonis Carnutensis*, *Petri Lombardi*, *Gratiani*, *Bernhardi* & aliorum scriptis apparet. Successisse *Scholasticam* quam vocamus doctrinam, ab Arabibus acceptam, quorum libros Judæi verterint. De Arabum autem studiis, ex speculatione in *Alcoranum*, ad Græcam literaturam traductis, haud §. 6. contemnenda affert; monet tamen eos solum in Mathesi, Medici-

na & Metaphysica, neglectis reliquis Græcorum artibus & doctrinis hæsisse, suasque admiscuisse opiniones, vanas & superstitiosas, imo & magicas; iisdem etiam chymiæ, si non inventionem, culturam tamen deberi. His magistris fatetur Gallorum aliarumque nationum literatos ad Philosophiam Aristotelicam, itemque Medicinæ & §. 7. Mathematum studia perveniisse, neglecta linguarum notitia, ita ut Latinam ægre intelligerent & perperam scriberent. Ignorantia itaque linguæ & historiæ, non potuisse veteres autores, ne Ecclesiasticos quidem, cum fructu sufficienti legi aut explicari, sed plerosque omne studium in ratiocinatione & Dialectica posuisse, ad quam literatura eleganti & accurata opus non erat. Talem fuisse *Johannem Sophistam*, Nominalium primum magistrum, aliosque. Cæteros Aristotelis dogmata Religionis articulis applicasse, *Albertum* puta *Magnum*, *Alexandrum de Hales*, *Thomam Aquinatem* & tot alios. Hanc itaque tertiam veluti methodum Theologici studii facit, cum prima Patrum fuisset, Scripturas immediate explicantium: secunda Bedæ, Rabani & similium, qui cum non haberent, quod Patrum laboribus adderent, describere atque excerpere eorum scripta solebant. Subjungit alia de studiis Jurisprudentiæ itemque Medicinæ; de canonibus autem aliquid addens, non dissimulat suppositionem epistolarum quarundã decretalium, postea detectam, & monet, quam necessarium sit ad traditionis puritatem conservandam, ut semper sint in Ecclesia Viri linguarum, Historiarum & Philologiæ §. 8. 9. 10. seu Criticæ periti. Persequitur ista, & quomodo institutis, quas vocamus, *Universitatibus*, Parisiensi maxime, & *Facultatibus*, literaturæ II. partes tractatæ fuerint, commemorat, neque defectus & abusus tacet. §. 12. Notat quædam de Theologia illa Scholastica sive quæstionaria, quæ ex conjunctione Philosophiæ & Dialecticæ Aristotelicæ §. 12. introducta fuit. Pergit dein ad tempus restauratæ elegantioris literaturæ, in Italia & aliis Christianorum provinciis, post ruinam Imperii Constantinopolitani, restituta antiquorum autorum lectione, cui inventa ars typographica magnos progressus dedit. Animadvertit etiam vitia, quibus illa studia contaminata fuerunt. Errat tamen, cum p. 63 *Luthero* tribuit, quæ fanaticis imputare debuisset, propositum nempe abolendi in universum humaniores literas. Notorium enim & sufficienter probatum a nostratibus est, quanto

quanto zelo Lutherus studia ista, ab abusibus purganda, & ad Ecclesiæ utilitatem accommodanda commendaverit. Agnoscit ipse Autor paulo post, sectatores ejus eruditionis singularis studium adhibuisse, eoque nomine claros fuisse & discipulos magno numero attraxisse. Inde factum, ut iisdem armis Romano-Catholici sese instruerent, & linguarum originalium, ut & historiæ Ecclesiasticæ notitiam sibi pararent; quanquam superfuerint, qui vanam curiositatem sectari & veteri Scholasticorum methodo adhærere maluerint.

Altera opusculi parte de selectu studiorum a singulis faciendo disquirit, & ante omnia scopum proponit, quem non in delectatione §. 14. sed utilitate quærendum esse docet: ut nempe actiones vitæ tam communis, quam particularis, per studia literarum regantur, & tandem animæ voluptas & quies paretur. Ostendit autem, quomodo & qua ratione pueritia & juventa studiis aptissima sit; & quantum intersit, ut ea seligantur studia, quæ cuique maxime necessaria & proficua sunt. Notat multos adversus hæc monita defectus, & me- §. 15. thodum proponit, qua pueri ad attentionem, quæ ipsis maxime deest, excitari possint. Distinctione inde studiorũ proposita, speciatim tra- §. 16. 17. ctat de religione & pietate, sive morali disciplina pueritiæ a teneris annis tradenda & imprimenda; id enim nisi domi fiat, publicas informationes in templis parum prodesse. Ethicam autem exigit non philosophicam, quæ genium & prudentiam seculi sapiat, sed quæ cum præceptis Evangelicis ex asse conveniat. Sequuntur Autoris §. 18. consilia & monita de urbanitate, & de studio Logicæ & Metaphysicæ §. 19. utiliter & pro captu adhibendo. Absolutis his, quæ ad animi & §. 20. morum culturam pertinent, de corporis cura & conservanda sanitate, pretiosissimo hujus vitæ bono, egregie commentatur. Post has considerationes, quæ ad omnis conditionis & utriusque sexus homines pertinent, quia omnes religione, morum probitate, judicii rectitudine & sanitate corporis opus habent; disserit adversus §. 21. promiscuum plebejorum & tenuiorum ad literarum studia concursum, per quæ victus solum media quæruntur; cum non hujus, sed nobilioris scopi causa iis incumbendum sit; ita ut quisque pro fortuna & conditione sua, quantum potest & valet, ad animi & corporis curam & culturam conferre discat. Progreditur hinc ad artes quibus ii, qui honesto loco nati sunt, ad negotia majora excoli de-

bent. Agit igitur de Grammatica, & ante omnia quidem de popu-
§. 22. lari, sive præceptis patriam linguam recte loquendi & scribendi, & hanc a sexto ætatis anno, nec nimis festinanter aut cum fastidio tractandam esse suadet. De Arithmetica brevis est; sed prolixior in
§. 23. §. 24. tradendis regulis Oeconomiæ, quas magno cum damno negligi queritur, neque tamen eas per modum artis aut disciplinæ, sed con-
§. 25. versatione & usu inculcari vult. Eodem modo notitia legum & judiciorum imbui posse juventã statuit, longe majori utilitate, quam quæ ex Philosophia capitur. Istis quatuor, nempe Grammaticæ, Arithmeticæ, Oeconomicæ & Legum notitiæ, quarum quædam rudimenta mediocribus etiam utilia sunt, subjungit studium politi-
§. 26. cum nobilioribus necessarium, illud nempe, quo statum & jus patrium, finitimarumque regionum cognoscunt. Suadet tamen, ut veræ & legitimæ Politices præcepta a falsis, quæ neglecta justitia & humanitate solum ad utilitatem & potentiam Principum aut Reip. augendam tendunt, sedulo distinguantur. Commendat Aristotelis & Platonis dogmata, & rejicit Machiavelli & Hobbesii commenta, imo ad fontes adscendere jubet, & ex Moyse, Davide, Salomone, Prophetis & Apostolis salutares regulas discere, quæ Deum
§. 27. ipsum autorem habent. Sequitur studium Latinæ Linguæ, quam omnibus Christianis notam esse optat, ob insignem utilitatem ex lectione librorum sacrorum; monet tamen, modum tenendum
§. 28. esse. Idem docet de studio Historico, ad utilitatem potius quam ad ostentationem & curiositatem, & cum delectu instituendo, & speciatim de historia naturali & Cosmographia. Pergit ad Geometri-
§. 29. am, sed prolixius tractat de Rhetorica, ea nempe, quæ usum habet
§. 30. 31. in vita civili, & nostro tempore, v. g. qua opus est Advocato, Concionatori, Viro in magistratu aut munere publico constituto. Notat quo fructu a senioribus, & in negotiis Reip. exercitatis, Autores veteres, Cicero puta aut Demosthenes legi possint, qui nunc pueris
§. 32. aut hominibus de schola inutiliter proponuntur. Poetices studium etsi inter utilia non ponat, laudat tamen, & inter curiosa primum ei locum assignat. Subjungit illi Musicen, Picturam & quæ
§. 33. ad eam pertinent, item antiquitatis & numismatum cognitionem, exquisitiorem Astronomiæ Theoricæ, Chronologiæ & aliarum istiusmodi artium scientiam, studium item linguæ Græcæ & exoticarum;

rum. Orientalium linguarum peritiam paucis quærendam esse existimat, Hebraicam tamen Ecclesiasticis utilem esse agnoscit, ad refutandos Hæreticos, (quos ea superbire dicit) & ad convertendos Judæos. Rabinicæ literaturæ exiguam habet rationem, minorem etiam curiositatum aliarum, & cavere jubet, ne per has ab ordinario vitæ officio deflectamus. Succedit examen quoddam artium in- §. 34.
utilium, veluti est inquisitio lapidis Philosophici, ars Lulliana, Astrologia judiciaria, Magia, non vetita saltem & scelerata, sed & ea quam vocant naturalem. Rejicit tandem artes præstigiatorias & ludicras, imo omne ludorum sedentariorum genus, ut ineptas nugas, & quas Romani spreverint, delectationem in conversatione & lectione longe majorem quærentes. Ultimis Libelli capitibus ostendit, quæ pro differentia ætatis & conditionis tractari ante alia debeant: monet autem haud abs re, pueris etiam in tenera ætate, non ut vulgo fieri solet, solũ ea quæ memoriam, sed & quæ judicium, §. 35.
phantasiam & voluntatem exerceant, proponenda esse. Fœmina- §. 36.
rum institutionem negligi non sine gravi ratione queritur, neque tamen exigit, ut artes & disciplinas, quas recensuit, ad ostentationem & curiositatem, ex qua nihil boni oriatur, & scholastica methodo discant; sed ut ad vitandam, cui deditæ sunt, superstitionem, solide cognoscant religionis fundamenta, moralia potissimum; deinde judicium exerceant ex primariis Logicæ dogmatibus, præteritis tamen grandisonis illis artium vocabulis. Commendat illis etiam Arithmeticam & Oeconomicam scientiam, tum corporis curam ad servandam valetudinem. Ad ordines inde præcipuos ho- §. 37.
minum progressus, Ecclesiasticis speciatim inculcat continuam lectionem S. literarum, ita ut eas, quod primitivæ Ecclesiæ tempore familiare Clero fuit, memoria pene teneant. Hanc lectionem, si sensui literali ante omnia insistatur, optimi commentarii loco esse, & sufficere posse mediocribus aut pauperioribus, qui adjuncto Catechismo, & libris ritualibus aut aliquibus sermonibus S. Augustini, ad officium suum satis idonei sint futuri. Hominibus dein mi- §. 38.
litaribus autor est, ut linguarum studia tractent, inter quas & Germanicam proponit; ad historias eos invitat, & ad necessarias Matheseos partes, ad legum etiam publicarum & bellicarum notitiam; ipsam vero artem belli, usu discendam esse agnoscit. Denique et- §. 39.

iam iis, qui Magistratuum munia ambiunt, consulit, ut mediam inter Scholasticæ jurisprudentiæ subtilitatem & ruditatem practicorum viam teneant; nec utriusque extremi incommoda tacet. Hæc, cum pleraque manifestæ sint utilitatis, prolixiori enarratione digna esse censuimus, imo integri libelli versionem, iis quibus vacat commendamus. *Dissertationem de Platone* quæ huic tractatui annexa est, & nihil cum eo commune habet, seorsim referemus.

J. BERNOULLI ANIMADVERSIO IN GEOMETRIAM Cartesianam, & Constructio quorundam Problematum Hypersolidorum.

QUanquam subinde extiterint, qui Cartesium in Physicis aliisque humani quippiam passum fuisse ostenderent, nemo tamen quod sciam hactenus in ejus Geometria quicquam, quod alicujus momenti esset, censura dignum adnotavit; quale quiddam in sequentibus aperire constitui, postquam de primario Authoris in illa scopo pauca nonnulla prælibavero, quæ errorem ejus magis conspicuum minusque excusabilem reddere possunt.

Cartesius in tribus Geometriæ suæ libris præcipue versatur in eo, ut ostendat, ad Problematis cujusque constructionem semper eligendam esse lineam simpliciſſimam, cujus ope id ipsum solvi queat, hoc est, (prout se explicat) non tam talem, quæ Problematis constructionem aut demonstrationem faciliorem reddat, quam quæ simpliciſſimi sit generis. Hoc enim posito docet deinceps, solius lineæ rectæ & circuli ope non posse construi nisi Problemata simplicia & plana, id est, Æquationes unius duarumve dimensionum; & ope Sectionis alicujus Conicæ non nisi Problemata solida, hoc est, Æquationes trium quatuorve dimensionum; & ope Parabolæ, ut vocat, secundi generis, Æquationes duntaxat 5 vel 6 dimensionum, cæterasque altiorum graduum Æquationes requirere itidem curvas gradatim in infinitum magis magisque compositas. Quod tantundem est, ac si generaliter dixisset, *per curvas cujusque generis construi solummodo posse Æquationes duplo plurium dimensionum, quam sint illæ, quibus earundem curvarum natura exprimitur.* Quæ Regu-

Regula a nemine hucusque in dubium vocata fuit, licet ejus fallitas facile potuisset detegi a Schootenio, Huddenio, aliisque qui perspectam habebant methodum adinveniendi Æquationum constructiones, nisi Magistri sui auctoritate præventi, veritatem dictorum ejus supponere quandoque, quam examinare maluissent.

Existimo namque, demonstratu haud difficile esse, *quod cujuslibet generis curvæ aptæ sint ad construendas Æquationes tot dimensionum, quot indigitat quadratum numeri dimensionum, ad quas ascendunt Æquationes, curvarum illarum naturam exprimentes.* Sic ope curvarum, quarum natura exprimitur per Æquationem cubicam, construi possunt non solum Æquationes bis trium seu sex, sed ter trium seu novem dimensionum; & quarum natura exprimitur per Æquationem biquadraticam, earum auxilio non modo Æquationes bis quatuor seu 8, sed quater quatuor seu 16 dimensionum resolvuntur, &c: plane ut hinc appareat, Cartesium ejusdem, quod ipse perstringit, vitii reum esse, dum ad constructionem Problematum superiorum graduum præter necessitatem adhibere docet curvas magis compositas, quam eorundem natura deposcit. Quod enim circa Sectiones Conicas recte sentiat, earum nempe ope non posse construi altiores Æquationes quam Cubicas & Biquadraticas, videtur potius ex accidenti illi contigisse, ex eo quia coincidunt duplum & quadratum binarii, qui est numerus dimensionum, quibus constant Æquationes naturam Conicarum Sectionum exprimentes.

Sed ne quicquam gratis asseruisse videar, proponamus construendam hanc Æquationem 9 dimensionum: $y^{9***} - 3py^{6***} + 3ppy^{3*} - qy - r = o$, quæ quamvis incompleta sit, determinationemque includat, quatenus requirit quantitatem cognitam septimi termini æqualem trienti quadrati quantitatis cognitæ quarti; attamen non reducibilis est ad pauciores dimensiones; ac proinde, si credendum Cartesio, aliter construi non poterit, nisi adhibendo curvam duobus tribusve gradibus altiorem, quam sunt Sectiones Conicæ. Dico, *duobus vel tribus gradibus*; quoniam animadverto, ipsum Cartesium sibi non constare in distinguendis per certa genera curvis; quemadmodum sub finem libri primi ex resolutione quæstionis Pappi colligere est; ubi ad quæsitorum punctorum inventionem adhibendam esse dicit curvam Sectionibus Conicis

uno

uno gradu altiorem, cum quæstio proposita est in 10, 11, 12, aut 13 lineis: & cum in 14, 15, 16 vel 17 lineis, requiri tum aliam curvam, quæ uno adhuc gradu supra præcedentem sit composita. Atqui vero cum quæstio proponitur in 10, 11, 12 aut 13 lineis, effici potest (ipso monente Cartesio) ut Æquatio Problemati respondens non ultra Quadrato—cubum assurgat: & cum in 14, 15, 16, 17 proponitur, fieri etiam potest, ut Æquatio Biquadrato—quadratum non excedat; quarum quidem Æquationum illa juxta Auctoris methodum resolvitur ope curvæ, cujus natura exprimitur per Æquationem Cubicam, hæc vero per aliam curvam, cujus natura exprimitur per Æquationem Biquadraticam: Unde omnino colligi deberet, Auctori propositum fuisse, curvas istas ad duo diversa genera vel duos differentes gradus referre; & tamen ipsemet in paragrapho statim subsequenti non obscure, imo libro secundo passim disertis verbis ambas sub eodem constituit gradu; sicut etiam illas curvas, quarum æquationes vel ad surdesolidum, vel ad quadrato—cubum adscendunt, promiscue sub eodem curvarum genere complectitur.

Quicquid igitur sit de distinctione hac curvarum, certum est, Æquationem supra allatam ex sententia Cartesii construi non posse, nisi ope curvæ, quæ sectiones conicas ad minimum duobus gradibus excedit: cum tamen eandem construam facile adminiculo solius curvæ Paraboloidicæ cubicalis, quæ sectiones conicas uno duntaxat gradu superat. Constructio talis: Descripto fig. I vulgari Paraboloide cubicali AG, cujus latus rectum AB seu I, vertex A, & axis AF, sumatur in hoc axe AE = p, & ex puncto E excitetur perpendicularis $EC = \frac{p^3 - r}{q}$, circa quam ut axem, vertice C, & latere recto $CD = \sqrt{q}$, describatur aliud Paraboloides cubicale CG, intersecans alterum in puncto G, e quo si demittatur in axem AE perpendicularis GF, erit hæc radix Æquationis propositæ. *Demonstr:* Etenim si linea GF sic inventa vocetur y, erit ex natura Paraboloideos, $AF = y^3$, ac proinde $HG = EF = AE - AF = p - y^3$, & $HGc = p^3 - 3ppy^3 + 3py^6 - y^9$ = (propter Paraboloides CG) DCq: in CH = DCq: in $\overline{CE - GF}$ = (per constr:) q in $\frac{\overline{p^3 - r}}{q} - y = p^3 - r - qy$; hoc est, Æquatione

Tab. VI. Fig. 1.




Fig: 4.




Fig: 5.




Fig: 1.




Fig: 3.





Fig: 2.



tione ordinata, $y^{9}{}^{**} - 3py^{6}{}^{**} + 3ppy^{3}{}^{*} - qy - r = o$, quæ eadem est cum proposita: unde liquet, inventam lineam GF, quæ nominata fuit y, Æquationis hujus esse radicem. Q. E. D.

Potest vero etiam ipsa hæc Æquatio adhuc aliter construi, ope unius ejusdemque Paraboloideos cubicalis, id est, duorum eandem parametrum habentium, hoc modo: Ductis (ead. fig. I) EA, EC perpendicularibus indefinitis, abscissaque $EC = \frac{p^3 - r}{q}$ ut antea, fiat $EA = \frac{p}{\sqrt{\sqrt{q}}}$, & describantur circa axes AE, CE, sumtis verticibus A & C, ac communi Parametro AB vel $CD = \sqrt{\sqrt{\sqrt{q}}}$, duo Paraboloidea cubicalia AG, CG, sese intersecantia in puncto G; demissa enim in AE perpendicularis GF iterum Æquationis propositæ radicem designabit. Dem: $\frac{p^3 - 3ppy^3 + 3py^6 - y}{\sqrt{\sqrt{q^3}}} = \text{Cub} : \frac{p - y^3}{\sqrt{\sqrt{q}}}$ $= \text{Cub} : EA - \frac{GFc :}{ABq :} = \text{Cub} : \overline{EA - FA} = HGc :: DCq : \text{in } CH = DCq : \text{in } \overline{CE - GF} = \sqrt{\sqrt{q}}$ in $\frac{p^3 - r}{q} - y = \frac{p^3 - r - qy}{q}\sqrt{\sqrt{q}}$; factaque multiplicatione per $\sqrt{\sqrt{q^3}}$, habetur ut supra, $p^3 - 3ppy^3 + 3py^6 - y^9 = p^3 - r - qy$, sive, $y^{9}{}^{**} - 3py^{6}{}^{**} + 3ppy^{3}{}^{*} - qy - r = o$; quare constat rursum, GF Æquationis hujus radicem fore. Q. E. D.

Dixi, solam GF fore Æquationis radicem, non LM, vel IN, vel OP, utpote quæ radices sunt differentium Æquationum: nam LM est radix vera hujus Æquationis, $y^{9}{}^{**} - 3py^{6}{}^{**} + 3ppy^{3}{}^{*} + qy - 2p^3 + r = o$: IN radix falsa istius, $y^{9}{}^{**} + 3py^{6}{}^{**} + 3ppy^{3}{}^{*} + qy + r = o$: & OP falsa hujus, $y^{9}{}^{**} + 3py^{6}{}^{**} + 3ppy^{3}{}^{*} - qy + 2p^3 - r = o$: quod cum primo animadvertissem, suspicari simul cœpi, curvas AN & CL non easdem esse cum AG & CG, neque ulterius perpensa mox verum deprehendi, quod curva AG infra axem AE non continuetur sinistrorsum per AN, sed potius dextrorsum per AQ, & similiter curva CG ultra axem CE non inflectatur deorsum versus L, sed sursum versus R: meminique postea, id ipsum etiam jam olim a Wallisio, sed alia occasione observatum esse, in Præfatione ejus ad

Tractatum contra Meibomium. Etenim intersectiones harum curvaum RCGN & LGAQ, dicta ratione inflexarum supra axem AP, determinabunt omnes radices veras Æquationis nostræ, & reliquæ infra axem omnes falsas: possunt autem se intersecare supra axem AP ad summũ in tribus punctis, & infra in duobus, si ultimus Æquationis terminus habeat signum —, quod fit, si ES ◁ EA; at si habeat signum ✢, id est, si ES ▷ EA, possunt se intersecare supra axem in 4 punctis, & infra in uno solo; sicut illo casu Æquatio tres admittere possit veras radices, & duas falsas; hoc vero 4 veras, & unam duntaxat falsam: reliquæ enim quatuor semper hic imaginariæ sunt.

Quemadmodum vero Æquatio ista incompleta novem dimensionum constructa est adminiculo curvæ, quæ uno tantum gradu supra sectiones conicas est composita: ita ex eodem curvarum genere seligi omnino posse puto tales, per quas omnes etiam completæ Æquationes totidem dimensionum generaliter resolvi ac construi queant. Sed ut veritatem usumque eorum, quæ dixi, etiam in speciali aliquo Problemate eoque celebri admodum, circa inventionem nimirum mediarum quarundam proportionalium, palam faciam, proponantur inveniendæ sex mediæ proportionales inter duas datas a & q: ubi constat, quod si pro prima earum ponatur x, perveniatur ad Æquationem bissursolidam, $x^7 - a^6q = 0$; quæ, si Cartesio fides habenda, aliter construi nequit, nisi adhibendo curvam, cujus natura exprimitur per æquationem, in qua alterutra indeterminatarum ad Biquadratum assurgit: At ego illam construo facillime ope duarum curvarum, quarum natura intra limites Æquationis Cubicæ coercetur. Ductis enim (fig. II) normalibus rectis AD, AC, si circa illas ut axes, communi vertice A, parametris AB = a, & AF = q, describantur duæ Paraboliformes curvæ AGL & AGM, se se intersecantes in puncto G, quarumque illa sit vulgaris Paraboloidica cubicalis, hæc vero alia Paraboloidica ejus naturæ, ut solidum ex ductu lateris recti in quadratum segmenti axis sit æquale cubo ordinatim — applicatæ; erit perpendicularis GE, ex puncto intersectionis G in axem AE demissa, radix æquationis inventæ, id est, prima sex mediarum proportionaliũ, quarum tertia est AE. *Dem:* $aay = ABq$: in AE = (ex natura Paraboloidis AGL) $EGc := x^3$, hinc $y = \frac{x^3}{aa}$, & $y^3 = \frac{x^9}{a^6}$: Rursus $qxx = AF$ in AHq: = (ex natura Parab. AGM)

Tab. VI. Fig. 2.

AGM) $HGc := y^3 = \frac{x^9}{a^6}$, unde $x^9 = a^6qxx$, factaque divisione per xx, $x^7 - a^6q = 0$, quæ quia cum superiore convenit, patet propositum. Notandum hac occasione: Quia Æquatio, ad quam primo pervenitur, dividi potest per xx, sequitur illam præter rectam GE adhuc duas alias habere æquales radices, quarum singulæ sint æquales nihilo, adeoque duas curvas in communi vertice A se se tangere debere: quo indicio denuo cognovi, ad quas partes inflectantur curvæ ultra verticem, deprehendique non continuari per AP & AO, cum absurdum foret, curvas LAP, MAO sic inflexas se in A contingere: sed priorem (quod cum Wallisio jam annotavi) continuari per AQ, posteriorem vero (quod a nemine hucusq; observatum legi) per AS: hac enim ratione contactus utriusque curvæ manifestus est.

Haud absimili operatione invenientur 10, 12, 16, pluresque mediæ proportionales: nam si curva AGL sit Paraboliformis Biquadratica expressa per $a^3y = x^4$; & curva AGM Paraboliformis Cubica denotata per $aqx = y^3$, erit GE prima decem proportionalium inter a & q, & AE quarta: sin & hæc sit Biquadratica indicata per $qx^3 = y^4$, erit GE prima duodecim proportionalium, & AE quarta, &c. Quales quidem juxta Cartesium inveniri non possent, nisi ope curvarum multis adhuc gradibus supra Paraboliformes istas compositarum.

Præterea sciendum, etiam quatuor medias proportionales inveniri posse ope Parabolæ & vulgaris Paraboloidicæ cubicalis, quæ tametsi sit generis ejusdem cum illa, qua utitur Cartesius, tamen & constructionem multoties expeditiorem & demonstrationem planiorem efficit. Si enim in eadem fig. AGL fingatur esse vulgare Paraboloides cubicale, cujus latus rectum AB = a, & AGM Parabola, cujus latus rectum AF = q, erit GE prima 4 proportionalium inter a & q, & AE tertia. Quæ constructio conferri potest cum prolixissima illa Cartesiana, quæ habetur sub finem libri tertii.

Quibus omnibus rite perpensis, nihil prorsus video, quid Cartesium hoc in passu ab ἀγεωμετρησίας vitio, quod ipsemet perstringit sæpius, liberare queat; præterquam quod dici forte possit, ea propter Geometram hunc coactum fuisse, in construendis Æquationibus

tionibus Quadrato-cubum excedentibus adhibere curvam noſtra altiorem, quia alteram curvarum, quarum interſectione determinari debent radices, perpetuo in omnibus ſuis conſtructionibus voluerit eſſe Circularem, quæ ſimplicitate ſua viciſſim compenſet, quicquid altera nimium habet compoſiti. At ſiculneum hoc eſſe præſidium, ipſe ſi reviviſceret, Carteſius haud gravate agnoſceret: quippe nemini, puto, condonaret, qui Problemata Plana, quæ duorum circulorum interſectione reſolvi poſſunt, conſtruere mallet ope ſectionis alicujus conicæ & lineæ rectæ, ſub prætextu, quod ſicut Sectio Conica circulo magis eſt compoſita, ita linea recta viciſſim eodem ſit ſimplicior: neque etiam magis ab eo veniam impetraret, qui in conſtructionibus Æquationum Cubicarum Circulo & Paraboleæ præferret lineam rectam & Paraboloidicam cubicalem, quarum una magis, altera minus illis eſt compoſita, ut maxime omnes Æquationes Cubicæ lineæ rectæ & unius ejusdemq; Paraboloidis ope, non minus ac circuli & Parabolæ adminiculo, ſcite & expedite conſtrui poſſint hoc modo: Deſcripto (fig. III) vulgari Paraboloide cubicali FEA, continuato, ut ſupra monui, per AH, cujus axis ſit CAL, vertex A, & latus rectum AB=1, abſcindatur in axe (ſiniſtrorſum, ſi ſit $z^3 = * - pz + q$; dextrorſum vero, ſi habeatur $z^3 = * + pz + q$, aut, $z^3 = * + pz - q$) AM=p, & AI=q, junctaque BM ducatur per I huic parallela IE, tangens vel ſecans curvam in puncto vel punctis, a quibus demiſſæ ad axem perpendiculares denotabunt omnes Æquationis radices; nempe ED radicem veram primæ formulæ: LH veram, & FG, ED falſas ſecundæ: ſicut illa falſam, hæ veras tertiæ. Cum itaque Conſtructiones iſtæ tam elegantes tamque faciles nihilominus e Geometria eliminentur a Carteſio, perſpicuum utique eſt, etiam modum, quem præſcribit pro conſtruendis Æquationibus Quadrato-cubum excedentibus, repudiandum potius eſſe hoc nomine, quia curvam adhibere docet, utraque noſtra magis compoſitam; quam excuſandum, quod pro altera aſſumat circulum, qui iisdem ſimplicior exiſtit.

TAB. VI. Fig. 3.

Ut taceam de eo, quod ne quidem ſemper opus ſit, in noſtra methodo quærere radices per interſectionem duarum diverſarum curvarum, ſed quod ſæpe una ſola ſufficiat, prout oſtendi in conſtructione poſteriore Æquationis ſupra allatæ novem dimenſionum, quam

quam abſolvi ope unius ejusdemque Paraboloidis, diverſimode tantum poſiti: cum ſecundum Carteſium ſemper deſcribendæ ſint duæ diverſæ curvæ, quarum interſectionibus radices optatæ Æquationum inveniantur.

EXCERPTA E LITERIS Dn. BOISOTI, ABBATIS S. Vincentii, ſcriptis ad Dn. Nicaſium Abbatem & Canonicum S. Capellæ Divionenſis: de virgine quadam ſine omni alimento vitam ducente.

Translata ex Ephem. Erud. Pariſiens. d. 15 Martii, 1688.

Amicorum meorum quidam Medicus his diebus rem valde extraordinariam ad me perſcripſit. Narrat, ante quatuor circiter annos *Palleti*, quæ villa exigua eſt prope *Pontarlerium*, virginem quandam viginti ſex aut triginta circiter annos natam, cui nomen *Jaqueline Nicolet*, ab equis currum fœno onuſtum trahentibus proſtratam fuiſſe. Et equi quidem per caput & collum ejus ſine noxa tranſierunt. At currus ſuper dorſum transvectus livorem inflxit ei regioni, quæ undecimæ vertebræ reſpondet. Puella mox multum cruoris vomuit, idque per plures dies facere continuavit, modo tamen diverſo. Quandoque vomitu ſanguinem ejecit purum, alia vice coagulatum, ac ſemel iterumque materiam quandam carni minutim conciſæ ſimilem. Tempore lapſum proxime inſecuto aliquandiu in extremis fuit. Poſthæc febri correpta eſt inſignibus comitata doloribus, quique nihilo fere leviores abhinc facti ſunt, & quos hodienum per totum corpus ſentit, ſpeciatim tamen circa ſtomachum, dorſum & verticem capitis, adeo ut nequeant ipſam loco movere, aut in cubiculo ſtrepitum ciere greſſibusve rudioribus incedere, quin dolor ſummus in omnibus illis partibus renovetur. Siniſtrũ ejus brachium imperfecta paralyſi affectum ſemper, ex quo caſus iſte contigit, permanſit. Appetitu ciborum omnino deſtituitur, & ſi maxime ejus quid haberet, vix poſſibile ei foret quidquam deglutire, dum ingens obſtaculum ſentit in orificio œſophagi. Quin & pater ejus refert, quod primis illius invaletudinis diebus ipſe ei evulſerit ac reſecuerit e faucibus partem quandam carnis mollioris,

unius pedis longitudine. Cumque hæc caro noviter recreviſſet, inde iterum poſthæc abſcidit. Præter hæc incommoda & illud habet, quod nunquam fere dormit. Majori admiratione dignum eſt, quod inde a quatuor annis non comederit ad ſummum plus quam ſesquilibram panis aliusve cibi, cum pauxillo ſacchari, quo obducta fuerant 15 aut 20 grana aniſi, magnitudine nucis conditæ; quodque non biberit niſi duos circiter aquæ cyathos. Id vero quod omnem ſuperat fidem hoc eſt, quod perhibentibus domeſticis, quorum teſtimonium nequaquam videtur ſuſpectum, a 35 abhinc ſeptimanis omnino nil quidquam nec bibit, nec manducavit. Cujus rei rumor cum in vicinia percrebuiſſet, medicus ille, qui ad me ſcripſit, curioſitate ductus eſt eam inviſendi. Offendit in ipſa febriculæ aliquid, pulſum inæqualem, debilem & frequentem, colorem ſat bonum & naturalem, linguam nec ſiccam, nec humidam, carnes ſatis ſolidas, molles ac pingues; inquirens in alias circumſtantias comperit, eam nulla omnino excrementa ejicere, nec per alvum, nec per viam urinæ; cæterum ſæpius leves ſudores experiri; ac deniq; ab initio ægritudinis in hunc usq; diem curſum ordinatum menſtruarum purgationum nec per inediã, nec per ſomni defectum, nec per febrẽ fuiſſe interruptum. En ea, quæ ab oculato teſte ad me ſcripta ſunt. Multum hæc res negotii faceſſere poterit Philoſophis atq; Medicis. Non deerunt, qui de facti veritate ambigent: at ſi qui de ea dubitabunt, ipſimet hac de re certiores ſe facere poterunt. Puella enim in vivis eſt, nec ita propere adhuc videtur moritura. Haud ignoro, ſæpius relationes eſſe factas de certis perſonis, ſine aſſumto cibo vivere creditis, at inquiſitione profundiori a peritis inſtituta non niſi fraudes & mendacia plerumq; detecta fuiſſe. Nil vero horum hic ſuſpicari datur. Miſera illa puella per dolores quos patitur continuos, tam parum vitæ commodis fruitur, ut indifferens admodum ei ſit, credaturne quid comedere nec ne. Nil etiam ad patrem ejus redundat ex fama invaletudinis hujuſce, nec apparet, quid mentiri hic domeſticos juvaret. Supereſt itaque conjicere, quo pacto virgo hæc ſubſiſtere queat ſine aſſumtione ullius alimenti. Credo vel peritiſſimos hoc in negotio hæſitaturos mortemque ægrotæ expectandam fore, ad inveſtigandum diſſectione mediante, quænam ſtupendis adeo effectibus cauſa eſſe potuerit. Res tam inſolita-

ſolita eſt, ut viri curioſioris in ipſo loco præſentis obſervatione forte non indigna ſit, &c.

JOH. BURCHARDI ROSLERI, CONSILIARII Aul. & Regim. Saxo-Coburgiaci Præfecti, Diatribe Juris Publici De Protectoriis Cæſareis.

Francofurti ad Mœnum, impenſis Joh. Dav. zunneri, 1688, in 4.

DOctrinam de Protectoriis Cæſareis, inter materias Juris Publici Germaniæ haud poſtremam, peculiari hac Tractatione proponere vel ideo placuit Nobiliſſimo Autori, quod a nemine hactenus ex profeſſo diſcuſſam reperiret; perhibetque ſe ad id ſuſcipiendum imprimis inductum ante hoc triennium fuiſſe amicis precibus Domini *Joh. Jac. Aviani*, Conſiliarii antehac intimi Coburgici, nunc Aſſeſſoris Cameræ Spirenſis, qui & ipſe inter plures Juris noſtri materias adhucdum indiſcuſſas hanc etiam recenſere fuerit ſolitus. Ab ovo itaque rem repetiturus noſter, Literas illas Protectitias, (ſeu privilegia, vi quorum impetrans in peculiarem Cæſaris & Imperii tutelam recipitur contra omnem violentiam, indicta lædentibus certa & gravi pœna,) quoad originem ad antiquam magis conſuetudinem, quam jus ſcriptum refert, dum in nulla fere publica Imperii noſtri lege, excepto §. 8. *Noviſſimæ Capitulationis*, earum mentio injiciatur. Ortas autem tum maxime putat, cum diffidationes, nondum ſancita Pace publica paſſim per Germaniam graſſarentur. Porro jus Protectoria talia, quorum a mandatis de non offendendo differentiam pluribus oſtendit *p. 106. ſeq.* per Imperium concedendi, reſervatis Cæſaris accenſet: utut non inficietur, Statibus ſimile quid intra cujusque territorii ambitum competere. Literas vero tales omnibus promiſcue dari poſſe probat, quotquot iisdem indigeant easve ex juſta cauſa expetant, ſive ſeculares ſint, ſive eccleſiaſtici, nobiles, ignobiles, integræ etiam familiæ & univerſitates. Domui tamen Auſtriacæ vi privilegii indultum eſſe, ne ejus ſubditi Protectoria ab Imperatore impetrare valeant: quamvis hoc non ita indiſtincte intellectum velit Autor. Cæterum nec extraneis beneficium literarum talium denegari docet, ipſisque Judæis

Judæis plus vice ſimplici indultum: qua occaſione narrat ex Franciſco Marinio, quod Cracoviæ circa feſtum Aſcenſionis Chriſti, Judæi a Studioſis, vi jactati cujusdam veteris privilegii, & impune trucidati & bonis exuti fuerint quandoque. Ulterius edocet, Protectoria vel in genere ſaltem concipi contra omnes, a quibus vis aut moleſtia inferri ullo modo poſſet: vel in ſpecie nonnunquam adverſus Perſonam nominatim expreſſam, a cujus violentia impetrans peculiariter ſibi metuit; itemque alia protectoria non niſi Imperialem protectionem ſpondere, alia viciſſim curam talismodi protectionis ſpeciatim demandare uni alterive Statui, addito hunc in finem ſeparato Diplomate, quod Conſervatorii nomine venire ſolet. Qualia diplomata cum antehac ad exteros quoque magnates non raro directa fuerint, ad protegendos ita nonnullos e ſubditis Imperii immediatos aut mediatos, Civitates imprimis: cautum in *Capit. Leop. §. 8.* fuit, ne quid ejusmodi poſthac fieret, aut exteris ea ratione occaſio ſuppeditaretur membra Imperii ad ſe rapiendi. Denique oſtendit noſter, quomodo ii coerceantur, qui Literis Protectitiis contravenire auſi fuerint: & quidem ſi absque malo propoſito quid contra eas admiſſum ſit, interdictum ſaltem retinendæ poſſeſſionis locum habere; ſi doloſa fuerit violatio, non criminali tantum pœnæ, per proceſſum accuſatorium vel inquiſitorium, prout Cæſari placuerit, irrogandæ locum dari; ſed vel maxime agi ad pœnam civilem diplomati inſertam, tot nempe marcas auri puri (quarum ſingulæ 96. Imperiales efficiunt) quot ibi expreſſæ ſint: cujus mulctæ dimidium fiſco Cæſareo competat; quo nomine Fiſcalis ex officio, pendente inter lædentem & læſum proceſſu intervenire ſoleat. Inſtituitur vero ad pœnam hanc exigendam actio violati protectorii, ſeu, ut frequentius audit, Proceſſus citationis ad videndum ſe incidiſſe in pœnam Protectorio inſertam, idque vel coram Cæſaris Judicio Aulico, vel coram Camera Spirenſi: cujus actionis naturam & requiſita Autor pluribus perſequitur; integrum etiam Protocollum actitati ejusmodi Proceſſus ſimul in adjunctis communicans. Nimirum non contentus in tractatu ipſo theorice hanc Protectoriorum doctrinam expoſuiſſe, ad majorem lucem dandam ſubjunxit varii generis ſcripturas atque diplomata ad materiam hanc ſpectantia, prout reipſa in ſummis illis Imperii dicaſteriis

caſteriis concepta fuere. Videre ibi eſt pluſcula Protectoriorum exempla non ſaltem recentiora, uti v. g. Literas Academiæ Jenenſi anno 1674, itemque Duci Holſatiæ Chriſtiano Alberto anno 1684 conceſſas: ſed & antiquiora, quorum nonnulla Latino, nonnulla Teutonico, valde tamen obſoleto ſtylo concepta comparent: e quibus obſervare licet, Diplomata talia Protectoria priſcorum temporum generalibus fere terminis conſtare, nec mulctam determinatam, ut quidem hodie fit, in illis exprimi. Alia quoque ſcripta ad hoc negotium facientia, præſertim proceſſum concernentia, inſuper adjiciuntur, inter quæ etiam reperitur Protectorium Mahometis IV, anno 1665 menſe Decembri Jeſuitis aliisque clericis Latinis conceſſum per ditiones Turcicas, vi cujus ſimul iisdem immunitas a vectigalibus aliisque exactionibus tribuitur. De cætero in Tractatione hujus thematis ita verſatus eſt Autor, ut univerſam materiam undiquaque ſtudioſe conquiſitam & in decem capita diviſam ſuccinctis theſibus includeret, easdem ſubjectis notis, prolixiusculis aliquando, illuſtraret aut potius amplificaret, facta in affines Juris publici privatique materias excurſione; cum alioquin ob thematis ipſius ſterilitatem intra paucarum forte paginarum cancellos ſubſiſtendum fuiſſet.

TOBIÆ PFANNERI DE CATECHUMENIS antiquæ Eccleſiæ liber.

Francof. & Gothæ, apud Aug. Boetium in 12.

IN procœmio celeberrimus Auctor de ritibus priſcæ Eccleſiæ in genere agit, eorumque paucitatem & ſimplicitatem laudat, exquiritque rationem traditionis Apoſtolicæ, ex qua Tertullianus, Auguſtinus aliique eorum originem derivare conſueverunt. Ipſum opuſculum quinque capitibus abſolvit, quorum I°. denominationem Catechumenorum exponit, ac an Fidelium, Chriſtianorum, Fratumve nomine venerint, diſputat, & quæ ab Albaſpinæo, Arndioque hac de re tradita ſint, ediſſerit. II°. & loco & jure diſcretos a Fidelibus Catechumenos egiſſe obſervat. In porticum enim conjiciebantur, cui inde Catechumenii nomen erat. Nec ad aſpectum Euchariſtiæ (cui tamen analogũ quoddam Sacramentum habebant)

atque Baptismi, recitationemve Orationis Dominicæ, benedictionũ aut commemorationem post mortem admittebantur. III°. distinctas Catechumenorum classes pertractat, quarum quatuor secundum Albaspinæi ductum constituit, primam eorum, qui a Gentilismo adhuc rudes privatim instituebantur: secundam audientium, tertiam orantium & genuflectentium, quartam deniq; Competentium; & eos informandi, suscipiendi, Baptismumq; petenti modum explanat. IV°. varias Catechumenorũ in suscipiendo Baptismo tergiversationes & excusationes, & Doctorum Ecclesiæ ad eas diluendas argumenta recenset. Alii enim bono animo Baptismum distulerunt, alii malo, una plerumque caussa, licentius agendi proposito, moti: quibus Patres obviam ibant, baptismi præstantiam & utilitatem, mortis incertitudinem, diaboli fraudes & similia inculcantes. Dilaudat tamen Ecclesiæ benignitatem, in Baptismo casu necessitatis etiam ante expletum Catechumenatum, aut aliàs ejus hactenus incuriosis, dando, & de Clinicis, Baptismo mortuorum apud Paullum, exclusione a baptismo eorum, qui in Catechumenatu gravius deliquerant, donec vitæ prorogandæ spes decessisset, nonnulla subjicit. V°. Præparationem Competentium ad accipiendum baptismum persequitur, ostenditque eorum pœnitentiam, abstinentiam ab uxoribus, traditionem Symboli, scrutinia, exorcismos & similia, diversique spatii ad peragendum Catechumenatum dati commemoratione librum claudit. Duplices autem Additiones jungit; unam pag. 459. qua Guilielmi Cave opinionem de Sacramento Catechumenorum examinat, e recensione libri ejus de primitivo Christianismo in Actis nostris mense Martio anni 1686 exhibita petitam; reliquas post indicem, in quibus varia notatu digna occurrunt.

DIONYSII PAPINI, MATHEMATUM IN ACADEMIA Marpurgensi hoc tempore Professoris, Meletemata ad geminam Appendicem de Perpetuo Mobili Actis Eruditorum Lipsiensibus A. 1687 M. Jun. pag. 315 seqq. insertam.

PErvolvi paucis abhinc diebus Acta Eruditorum Mensis Junii A. 1687, ibique a pag. 315 usque ad pag. 324 observavi clarissimum virum

virum D. Bernoulli Mobile quoddam Perpetuum acriter quidem at frustra impugnare, quia circumstantia ex qua Machinæ defectum deducit, nequaquã est essentialis, sed facillimo negotio potest immutari, sicq; ipsius objectio tota subito corruet, salva interim remanente Machina, prout jamjam videbitur. Ibidem præterea perspicacissimum illum virum video etiamnum ambigere, utrum mea contra idem inventum exceptio sufficiens nec ne habenda sit: verisimile est itaque, quamplures alios itidem ea de re addubitaturos, metuendumque esse ne Publicum spe successus Perpetui Mobilis in posterum deludatur: operæ igitur pretium fore existimo, si ostenderim objectionem meam admodum esse peremptoriam, ipsumque controversiæ jugulum recta impetere.

Figura I Machinam exhibet inversam, ampliori nimirum parte deorsum, acumine vero sursum spectante, contra quam in priori Descriptione fuerat suppositа: ut jam disquirere liceat, an nova hæc dispositio feliciorem contra me successum sortitura sit: præterea, ut ipsam tuear a Bernoullianis telis, quæ sane in priori Descriptione metuenda erant, suppono jam follem ABCDE 40 digitos altum, Prismaticum potius quam Pyramidalem, esse ex illorum genere, quorum alæ non circa Axem quendam moventur, sed in dilatatione & contractione semper parallelæ remanent: e. g. quum ala ABC accedet ad DE, distantiæ AE, CD pariter decrescent sibique invicem perstabunt æquales: sic nulla amplius vectis ratio haberi poterit, ex qua tamen Machinæ defectum deducit Bernoullius: Supponendum est insuper follem Mercurio plenum esse, & vas H Mercurium etiam continens collocatum altius Axe motus F, qui medio Machinæ affixus supponitur. Sic sperat Inventor fore ut follis gravitate Aeris comprimatur, Mercuriumque suum per tubum AKH in vas H effundat, unde inferior pars BCD levior facta molem G superiori parti affixam æquiponderare amplius non valeat, deprimaturque pars superior AE: hæc autem, dum ad altitudinem Axis F devenerit (fig. 2) artificio aliquo poterit detineri, ne ulterius descendat, atque ita follis in situ horizontali remanebit: Jam quoniam vas H supra Axem positum est, poterit Mercurius ex dicto vase per tubum KA in follem defluere, donec pars latior BCD admisso Mercurio tantum pondus acquisierit, ut alteri parti AE moliq; ipsi

Tab. VI. Fig. 4.

Tab. VI. Fig. 5.

ipsi affixæ præponderet, proindeque depressa Machinam in pristinum statum restituat: hoc facto, ab externo Aere iterum comprimetur follis, motusque successione jam descripta, semper continuabitur. Sic, inquam, sperat Author; an merito? Jam dispiciam.

Supponamus vas H duobus digitis, v. g. supra axem F positum esse, sicut & in priori Descriptione illud duobus digitis inferius axe collocaverat Author: Sequitur jam (quum follis sit 40 digitos altus) perpendicularem altitudinem tubi HA (fig. 1) esse 18 digitorum, Mercuriumque in dicto tubo contentum ea altitudine Aeri externo contraniti: adeoque Atmosphæræ gravitas (quæ 27 Mercurii digitos æquare supponitur) debebit, per dictum tubum HA exerere in interiora follis pressionem 9 Mercurii digitis æqualem: quia scilicet Mercurius HA 18 ex 27 detrahit. Jam ut pressionem a Mercurio in folle incluso factam indagemus, eadem methodo procedendum est, quam in Novellis Batavis Mensis Sept. A. 1686 ex Transact. Phil. Londinensibus desumptam legere est: observandum scilicet partes omnes alarum follis a dicto Mercurio inæqualiter premi, prout magis vel minus a summitate distant: sic enim partes infimæ a 40 Mercurii digitis comprimuntur: supremæ vero, quum nullum Mercurium supra se habeant, nullam possunt ab ipsius gravitate pressionem pati: partes in medio ad Axem sitæ 20 digitos in superiori parte stagnantes sustinent: ac sic de cæteris, pressio semper proportionaliter cum distantia a vertice, minuitur vel augetur: quum autem istud pressionis augmentum progressionem Arithmeticam sequatur, patet quod omnes illæ variæ pressiones simul sumptæ efficiunt idem quod pressio uniformis, quæ ubique 20 Mercurii digitos æquaret: addendo igitur 20 hos digitos 9 illis per tubum HA prementibus, de quibus supra: fient omnino 29 digiti qui in interiora follis pressionem exerant: extus vero Atmosphæræ pressio 27 digitos ubique æquare supponitur: ergo prævalebit interior pressio follisque dilatabitur; quum tamen ex Authoris sententia comprimi debuisset: atque ita nova hæc dispositio feliciorem superiori successum non sortietur.

Notandum hic quod, quemadmodum in Novellis Batavis supra citatis, nullam ad motum alarum circularem neque ad ipsarum inæqualem latitudinem attentionem feceram; sic iterum dictam alarum

alarum inæqualitatem negligendam hic arbitror: dum enim circumstantiæ ejusmodi mihi favent, non metuendum est ne Adversarius objectionem illam moveat, sic enim se ipsum jugulandum exponeret: mihi autem, quum istis minus essentialibus subsidiis non opus sit, multo satius est brevitati studere, atque ex sola liquorum altitudine (quæ genuina est gravitationis ipsorum mensura) argumentum desumere: quam fusiori discursu superfluas vocando suppetias, aliquam Antagonistæ excipiendi ansam præbere; unde fiat ut controversia multo difficilius ad finem perducatur.

Jam si quis quærat rationem, cur follis aperiri hic debeat; quum tamen in superioris descriptionis examinibus ipsum claudi debere demonstraretur. Respondeo vas H, prout infra vel supra axem collocatur, in causa esse, cur follis erectus aliquando comprimi debeat; aliquando etiam dilatari: in priori enim descriptione, quum vas H esset duobus digitis depressius quam axis machinæ, tubus HA æquabat 22 digitos, atq; ita Mercurius in eo contentus Aeri externo eo usq; resistebat, ut totalis in folle pressio esset solummodo 25 digitorũ, unde sequebatur follis ab exteriori Aere constrictio: in posteriori autem descriptione, quam hic exhibuimus, idem vas H supra axem collocandũ est, unde tubus HA brevior factus permittit, ut Atmosphæra fortiorem in interiora follis pressionem exerat follemq; aperiat, prout ex computo supra ostensum est. Si quæratur ulterius, cur vasis H positio sic immutanda sit? In promptu iterum responsio est: in priori scil. Machinæ descriptione follis ad horizontalem situm adductus Mercurium suum effundere debuit in vas H, quod proinde infra axem collocari oportuit; in posteriori autem descriptione idem follis, dum horizontalem positionem obtinet, Mercurio ex vase H defluente debet repleri: ac proinde dictum vas altius ponatur necesse est: res nimium facilis est, quid plura? Quoniam tamen (in secunda appendice pag. 323.) Cl. Bernoullius supponit, axem motus affigendum esse Machinæ e regione centri gravitatis; quum nos dictum axem in media inter utrumque extremum distantia collocemus metuendum, est ne quid negotii ejusmodi discrepantia Lectoribus faceſſat: proindeque illos hic monitos velim, Cl. Bernoullium præproperum hic etiam tulisse judicium, infidamque iterum Hypothesin assumpsisse: rem enim paulo attentius inspectanti faci-

ti facile patuisset, in Machina, de qua tractabat, axem motus & centrum gravitatis in eadem altitudine non posse collocari: posita namq; illa æqualitate altitudinis, quantumcunq; follis Mercurio repleretur, nunquam tamen basis præponderare posset: ac proinde optata rotationis vicissitudo frustra expectaretur: fatendum igitur axem motus ab inventore Machinæ recte fuisse medio infixum, meamq; contra dictum Automa objectionem Bernoullianis esse anteponendam.

Manum jam de tabula sumerem, quodque Cl. Bernoullius crassæ me in Geometricis inscitiæ insimulat (pag. 324, quasi Pyramidis ad Prisma ejusdem basis atq; altitudinis rationem subtriplam esse ignoraverim, omitterem libentissime: at Cl. Viri verba ea ratione hoc in loco conscripta sunt, ut plurimos lectores in errorem facile inducant: ille enim me culpat, quod vasis Pyramidalis capacitatem juste non æstimaverim, dum Mercurii in folle pressionē computavi, quasi nimirum liquidorum pressiones ab ipsorum quantitatibus aut vasorum capacitatibus penderent: necessarium igitur duxi tyrones hic monere, in computationibus ejusmodi nullam prorsus figuræ aut capacitatis vasorum rationem habendam: in ipso enim Hydrostatices principio demonstratur, liquidorum pressionem petendam esse solummodo ex extensione partis compressæ & perpendiculari altitudine comprimentis liquoris; nequaquam vero ex ipsius quantitate: ideoque in omnibus a me circa hoc argumentum scriptis, apprime cavi ne ullam aut capacitatis follis aut molis Hydrargyri rationem haberem: quodque contrarium astruere videatur Cl. Bernoullius, festinationi potius quam ignorantiæ adscribendum est.

PROPOSITIONES HYDROSTATICÆ AD ILLustrandum Aristarchi Samii Systema destinatæ, & quædam Phænomena naturæ generalia. Auctore Francisco Jessop, Armigero.

Londini, apud Sam. Smith & Henr. Faithorn, 1687. in 4.

MAgnum inter Philosophos antiquos nomen est *Aristarchus Samius*, qui auctor perhibetur illius systematis corporum mundanorum

danorum, quod Copernicanum vulgo dici consuevit. Ex hujus fonte cum emanasse videret nobilissimus Auctor, quidquid pulchrisani & sinceri admiramur in Philosophia hodierna, indignatus neminem, excepto Robervallo & Mersenno, repertum, qui gratias illi rependerit, cui revera debeantur omnia, constituit methodice digerere principia illa, quibus nititur Systema Aristarchicum, ut nempe pulcherrimum hoc corpus purgaret a nævis illis, quibus inquinari visum est a crebro illo recursu ad superfluum quoddam refugium attractionis cujusdam non intelligibilis. Hinc natæ illi præsentes propositiones hydrostaticæ, quas ita generales judicat, ut non solum hypothesibus inventis, sed etiam forsan olim inveniendis, inservire possint. Uti ergo maximam corporum naturalium partem ex globulis componi asseruerunt perspicacissimi viri Hoockius & Levvenhœck, & jam pridem anno 1671 Hypothesin physicam novam illustri Britannicæ Regiæ Societati obtulit Vir quidam celeberrimus G. G. L. L. in qua ex globi Solaris actione in ætherem circumstantem, & mediante hoc in globum terræ bullas quasdam ortas concipit, quas semina rerum, corporum bases & consistentiæ causam vocat, & ex quibus deinde corporum phænomena declarat: ita præsens schediasma *bullas* quoque & *guttas* (quarum differentia ex fluidi diversitate, in quo hærent, desumitur) tanquam corpuscula illa, in quæ materia, in partes diversæ densitatis divisa, primo omnium coaluit, contemplatur. Nam in *sex* prioribus propositionibus ortus bullarum a pressione fluidi circumstantis heterogenei derivatur; in *septima* & *octava* guttæ compressæ restitutio seu Elaterium ostenditur: in *nona* & *decima* ejusdem gravitas, pariter ac in *undecima* & *duodecima* ortus terrellæ, seu bullæ atmosphæra vestitæ, ex bulla turbida, ejusque locus in fluido declaratur: in *decima tertia* vero proponitur, quomodo ex congerie terrellarum Terra seu Planeta componatur. In *tribus sequentibus* origo soliditatis ex minimis bullis versus se invicem compressis deducitur. Tandem vero Nob. Auctor *quatuor lemmatibus* agit de iis, quæ locum Solis in suo fluido sphæroide, originem Vorticis circa solem, & ab hoc dependentem rotationem Solis circa axem concernunt; quæ etiam in epistola ad Franciscum Astonum prolixius explicantur, confutatis objectionibus, quæ contra Auctoris placita urgeri possent.

LIBRI

Les Trophées de Port Royal renverſez, ou Defenſe de la Foi des ſix premiers ſiecles de l'Egliſe, touchant la ſainte Euchariſtie, contre les Sophismes de Monſieur Arnaud contenus dans le premier Tome de la Diſcuſſion. A Amſterdam 1688, in 12.

Voyage en Moſcovie d'un Ambaſſadeur, envoyé par l'Empereur Leopold au Czar Alexis Michalovvics Grand Duc de Moſcovie. A Leide 1688, in 12.

Johannis Braunii Doctrina Fœderum, ſive Syſtema Theologiæ Didacticæ & Elencticæ. Amſtel. 1688. in 4.

Matthæi Larroquani Adverſariorum Sacrorum libri tres. Opus poſthumum. Acceſſit Diatriba de Legione Fulminatrice, authore Daniele Larroquano M. Filio. Lugd. Bat. 1688. in 8.

Joh. Caſp. Groenefeld Practica Medica. Francof. 1688. in 8.

Martinii Themidis Exercitationes Miſcellaneæ Sacræ & Profanæ. Amſtel. 1688, in 4.

Inſtitution au Droit Eccleſiaſtique par Mr. Claude Fleury. A Paris 1688, in 12.

Naukeurige Beſchryvinge der Eylanden in de Archipel der Middelantſche Zee, en omtrent dezelve gelegen: door O. Dapper. Amſterdam 1688. fol.

Remarques d'un Theologien ſur le Traité Hiſtorique de l'Etabliſſement & prerogatives de l'Egliſe de Rome & de ſes Evéques, compoſé par Mr. Maimbourg. A Cologne 1688. in 12.

La vie du Pere Pierre Cotton de la Comp. de Jeſus, Confeſſeur des Rois Henry IV & Louis XIII: par le P. Pierre Joſeph d'Orleans de la méme Compagnie. A Paris 1688, in 4.

De pace inter Proteſtantes ineunda Conſultatio. Ultrajecti 1688, in 8.

Hiſtoire d'une Dame Chrétienne de la Chine, ou par occaſion les uſages de ces peuples & les exercices de pieté des nouveaux Chretiens ſont expliquez. A Paris 1688, in 12.

Schediaſmata Sacra ſeu Exercitationum ſingularium Liber, auctore Johanne Fechtio. Francofurti & Spiræ 1688, in 8.

Joh. Schotani Analyſis Exegetica in ſex Meditationes D. R. Carteſii de Prima Philoſophia. Franeckeræ 1688, in 4.

Johannis Mayeri Uxor Chriſtiana, ſive de Conjugio inter duos, deque Inceſtu & divortiis Diſſertationes tres. Amſtelod. 1688, in 4.

Diſſertatio Phyſico-Medica de Febribus. Lugd. Bat. 1688. in 12.

Les Operations de Chirurgie avec deux Traitez &c. A Paris 1688.

Georgii VVolffgangi VVedelii Phyſiologia Reformata. Jenæ, 1688, in 4.

Connoiſſance & Culture parfaite des Tulipes, des Oeillets &c. A Paris, 1688. in 12.

Cornelii Bontekoe Fundamenta Medica, ſive de alcali & acidi effectibus &c. Amſtelod. 1688. in 8.

Guilielmi Saldeni de libris varioque eorum uſu & abuſu Libri duo. Amſtelod. 1688.

P. ab Eyndhoven De Inani Actione propter inopiam Diſſertatio ad L. VI. Pandect. d. Dolo Malo. Trajecti ad Rhenum. 1688, in 8.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Julii Anni M DC LXXXVIII.

JOHANNIS PEARSONII S. T. P. CESTRIENſis nuper Epiſcopi Opera poſthuma. Edenda curavit, & Diſſertationes novis Additionibus auxit H. Dodvvellus *A. M. Dublinienſis, cujus etiam acceſſit de ſucceſſione primorum Romæ epiſcoporum usque ad annales Cl. Ceſtrienſis Cyprianicos diſſertatio ſingularis.*

Londini, typis S. Roycroft LL. orientalium Typographi Regis, impenſis R. Clavell in cœmeterio D. Pauli 1688 in 4.

Lucubrationes hoc volumine contentas duobus Autoribus debemus, quorum alterum vivis non amplius intereſſe omnes merito dolent, quotquot antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudio tenentur. Eſt is *Johannes Pearſon* Ceſtrienſis epiſcopus, vindiciis Ignatianis, annalibus Cyprianicis aliisque egregiis monumentis immortalem nominis ſui famam conſecutus.

In poſthumis Viri celeberrimi, quæ nunc prodierunt, opuſculis primo loco occurrunt *annales Paulini* ab anno æræ vulgaris 34, quo Paulus nondum Chriſti apoſtolus, ſed acerrimus Chriſtiani nominis perſecutor, Stephani lapidatione gaviſus eſt, usque ad annum 68, quo juxta *Sylvii* calendarium VIII. Kal. Mart. curſum ſuum conſummavit, perſpicuo ordine ſic digeſti, ut non ſolum Pauli geſta & ſcripta, ſed alia quoque, quæ intra hoc temporis intervallum contigerunt, memorabilia ad certos æræ vulgaris & Imperatorum annos referantur.

Succedunt *lectiones quinque in priora quædam actorum apoſtolicorum*

licorum capita, in quibus Autor a Pentecostes epocha exorsus, indeque ad Pauli usque conversionem progressus, primas ecclesiæ Christianæ origines explicat. Et in prima quidem lectione occasione τῦ ὑπερῴε, in quo Apostoli post Domini ascensionem commorati sunt, Cyrilli Hierosolymitani, Bedæ, Epiphanii & Nicephori traditiones de templo ibi exstructo memorat, & privata Judæorum ὑπερῶα semper sacris usibus destinata fuisse, Danielis & Saræ ἐν τοῖς ὑπερῴοις orantium exemplo comprobat, & quod eam ipsam ob causam Judæi Sapientes suos בני עליה seu filios cœnaculi appellaverint, observat. Postea qualis forma & imago primitivæ ecclesiæ ab Apostolis congregatæ fuerit exponit, & Hierosolymitanam reliquarum omnium matrem fuisse, nonnullis veterum testimoniis confirmat.

In secunda lectione inter alia nonam orationis horam, circa quam Petrus & Johannes se in templum contulerunt, ad horas canonicas nihil facere demonstrat, asserens Petrum & Johannē hora nona templū petiisse, cum eo tempore Judæi sacrificio jugi vespertino preces adjungere solerent; eam autem traditionem, quæ tres orationis horas ab Apostolis observatas & ecclesiæ commendatas statuit, nullo fundamento niti, nec usquam legi, quod illæ horæ a primævis Christianis observatæ fuerint. Primum certarum horarum meminisse *Tertullianum* adultum jam Montanistam, post Tertullianum *Cyprianum* quidem horæ tertiæ, sextæ & nonæ mentionem facere, sed a Daniele hoc arcessere, non ab Apostolis hoc mandatum tradere; postea *Basilium* M. *Hieronymum*, *Cassianum* aliosque Patres monasticæ vitæ addictos, omnia Scripturæ loca collegisse, ut quamplurimas orationis horas constituerent. In *Barnabæ epistola* nihil apparere affirmat, quod eam ætatem non ferat, etsi neque Græca neque Latina integra esse agnoscat. Notat insuper *Baronium*, qui ex ægris Petri umbra sanatis, & imaginum cultum & potestatem Romani Pontificis deducit, & duplici imprimis artificio famosum illum annalium conditorem uti animadvertit, cum rebus novitiis & ultima ætate in ecclesiam introductis antiquitatis speciem conciliare satagit: uno quidem, cum ad eos Autores confugit, qui præter pseudepigraphos titulos nihil antiquitatis continent; altero vero, cum novitia dogmata, quæ ne impostoribus quidem illis cognita fuerunt, e Sacra Scriptura eruere conatur. In

In tertia lectione Gamalielem, qui Apostolos dimittendos suasit, animo Christianum fuisse negat, quod veteres quidam tradiderunt, & *Baronius* perperam credidit. Circa controversiam chronologicam de Theuda, cujus in oratione sua Gamaliel meminit, varias eruditorum, Josephum cum Luca conciliantium, sententias breviter exponit. Agit præterea de actis Pilati genuinis pariter & confictis, nec non de Hellenistis & Diaconatus officio ab Apostolis instituto, quo nulla inferiora ministeria illis temporibus fuisse, contra *Baronium* evincit.

In quarta lectione Jacobum episcopum Hierosolymitanum, qui vulgo Justus & Frater Domini cognominatur, non alium a Jacobo Apostolo, qui ad Apostoli cognominis differentiam Jacobus Alphæi appellari solet, fuisse statuit. Nugas de corpore Stephani, quod vehiculo Gamalielis in Caphargamalam, 20 milliaribus ab Hierosolyma dissitam, deportatum & planctu 70 dierum celebratum *Lucianus* quidam retulit, falsi arguit, & miratur *Baronium* ex ficta hac traditione pompas funebres, preces pro defunctis & purgatorium elicere. Rationem, cur discipulis sæviente persecutione dispersis, soli Apostoli Hierosolymis permanserint, ex antiqua traditione accersit, siquidem *Apollonius*, qui secundo seculo contra Montanum scripsit, apud *Eusebium* memorat, Apostolis a Christo mandatum fuisse, ne ante annos duodecim Hierosolymis discederent. Aggreditur deinde *Tanaquillum Fabrum*, qui in epistolis suis historiam de Christi apotheosi a Tiberio ad Senatum relata dubiam, & Tertulliani, qui primus eam narravit, fidem suspectam reddidit.

In quinta vero & ultima lectione, ex historia Samaritanorū, qui ministerio χειροθεσίας apostolicæ Spiritum Sanctum acceperunt, ritum confirmationis in Anglicana ecclesia retentum, & invitis Presbyterianis soli Apostolorum functioni reservatum emanasse censet, ut cæteras lectionis hujus observationes silentio involvamus.

Imprimis vero hic memoranda venit *gemina Autoris dissertatio de serie & successione primorum Romæ episcoporum*, quarum prior de origine, veritate & utilitate hujus successionis, & de incertitudine temporum, quæ prioribus Romæ episcopis, vel a Græcis vel a Latinis assignata sunt; posterior de annis eorundem episcoporum ex vetustis historiæ ecclesiasticæ monumentis & recepta Arabum chro-

nologia rectius disponendis sigillatim agit. In utraque hunc præcipue scopum sibi præfixum habuit, ut Vindicias suas Ignatianas tueretur. Nimirum adversus γνησιότητα epistolarum Ignatii objectum fuerat, quod hæreticorum aliquot vel expresse vel tacite meminerint, qui post Ignatii demum tempora sint exorti. Ad quod argumentum etsi in Vindiciis suis Ignatianis prolixe responderit, ut tamen eo felicius sententiam suam propugnare possit, Pontifices Romanos, quorum annis hæreticorum illorum tempora respondent, in vulgaribus chronologiis justo serius collocari, probandum suscipit. Quod dum aggreditur, chronologiam Pontificum Romanorum hactenus valde perturbatam fuisse ait, neque huic malo *Scaligerum* & *Calvisium* temporum emendatores remedium adhibuisse, tantoque magis *Bucherium*, *Petavium*, *Labbeum*, *Acciolium* aliosque e Pontificiis chronologos, ab hoc ulcere manum abstinuisse, ne forte, si anni Romanorum Pontificum emendarentur, autoritas omnium fere tabularum ecclesiasticarum & martyrologiorum periclitari videretur. Addit, *Heinschenium* quidem in diatriba prælimi-nari ad catalogos veteres Romanorum Pontificum, quæ actis Sanctorum Aprilis præfixa legitur, hanc chronologiæ partem satis copiose explicasse, & Baronii errores haud raro castigasse, sed Romanis tabulis, etiam ubi vitiosissimæ sunt, defendendis intentum, aut parum aut nihil ad eruendam veritatem peregisse; quamobrem aliam sibi viam tentandam statuit.

Dum autem receptas Pontificum Romanorum chronologias emendare satagit, ut ipsa, quibus nituntur, fundamenta convellat, veteres Pontificum Romanorum catalogos, Græcos pariter & Latinos, variis erroribus obnoxios ostendit. Initium facit ab *Eusebio*, & cum *Valesius* ex libr. 5. c. 12. hist. eccles. Eusebianæ probare conetur, nobiles ecclesias præsertim ab Apostolis constitutas, episcoporum suorum successiones in archivis reconditas diligentissime servasse, eorum nomina & diem obitus ex diptychis perscribentes, eosque libros Eusebium accurate excussisse, & præcipuarum sedium episcopos non aliunde, quam ex hujusmodi tabulis digessisse, hæc omnia Autor noster gratis dici, & neque ex Eusebio nec aliunde probari posse putat. Non negat, successiones episcoporum in ecclesiis apostolicis a veteribus observatas, & subinde hæreticorum novitati

novitati oppositas fuisse, quod *Irenæi* aliorumque Patrum exemplo confirmat; at catalogos illos nullam temporis mentionem facere, & præter nomina ac ordinem nihil amplius continere observat. Quod de die obitus episcoporum consignato suspicatus est Valesius, eo nomine veritati minus congruum esse censet, quod ante Fabiani tempora, nulla talium rerum publica & constans consignatio facta, & depositio martyrum, quam *Bucherius* edidit, non ante annum 360 scripta, & sententia de prioribus Romanis episcopis, quod plerique martyres fuerint, erronea videatur. Neque Valesio concedit, ecclesias præcipuas statim ab initio de ejusmodi archivis & reconditoriis, in quibus episcoporum suorum successiones conservaverint, cogitasse. Verisimilius ipsi videtur, secundo demum seculo, cum hæretici nonnulli traditionis apostolicæ successionem jactarent, & Basilides ac Valentinus, ille Glauciam Petri interpretem, hic Theodadem Pauli discipulum pro magistris suis venditarent, occasionem tabulis hujusmodi conficiendis subministratam fuisse. *Hegesippum* vero vel primum, vel inter primos ejusmodi tabulas collegisse, ex his Hegesippi verbis probat: γενόμενος δὲ ἐν Ρώμῃ, διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου &c. quæ quidem Valesius apud Euseb. lib. 4. c. 22 ita reddidit: *Romæ vero cum essem, mansi ibi apud Anicetum.* At noster verba Hegesippi ita vertenda censet: *Romæ vero cum essem, successionem composui usque ad Anicetum* &c.

Hac quæstione de prima origine tabularum episcopalium finita, in ipsam successionis Romanæ originem inquirit, & observat, Græcos *Irenæum*, *Eusebium* & *Epiphanium* primam successionis Romanæ radicem in Petro & Paulo constituere; ubi iterum *Valesium* notat falso asserentem, quod Eusebius & Epiphanius Paulum quidem cum Petro Romanæ ecclesiæ fundatorem, non autem æque episcopum agnoscant. Cum autem Latini, & *Cajus* Græcus quidem Scriptor, sed ecclesiæ tamen Romanæ Presbyter, a solius Petri ordinatione successionis originem arcessant, nec desint viri docti, qui Petrum unquam Romæ fuisse, nedum cathedram aliquam episcopalem ibi fundasse negent, hanc controversiam non prætermittendam existimavit. Et e Scriptura quidem, quod Petrus aliquando Romæ fuerit, probari non posse largitur, cum Babylonis nomine, cujus Petrus 1. Pet. V, 13, mentionem facit, non Romam, sed veram Ba-

bylonem, eamque non Assyriacam, sed Ægyptiacam intelligendam censeat; at contra etiam negat, quod ex Scriptura probari possit, Petrum Romæ non fuisse; & cum ab ipsis ferme ecclesiæ primordiis traditum sit, Petrum Romæ evangelium prædicasse ibique passumfuisse, quod Ignatii, Papiæ aliorumque veterum testimoniis demonstrat, de eo minime dubitandum judicat, & *Salmasii* objectionibus respondet.

Postea & hanc *Salmasii* sententiam refellere conatur, quæ nullos apostolorum successores in ecclesiis concedit. Ubi magnam quidem differentiam inter orbem & urbem, inter Apostolos & Episcopos agnoscit, eatenus tamen Episcopos Apostolorum successores dici posse arbitratur, quatenus illis certarum ecclesiarum in urbibus constitutarum regimen, cum autoritate & potestate super omnes presbyteros, ab ipsis apostolis demandatum fuerit. Apostolos enim cum ecclesias fundarent, in eaque Presbyteros constituerent, summam ecclesiarum curam & regimen sibi quamdiu visum est, reservasse, postea vero vel ob absentiam diuturnam, vel ob mortem appropinquantem, singulares episcopos ecclesiis a se fundatis cum jurisdictione supra Presbyteros præposuisse ait. Quod ut eo facilius e Pauli ad Titum & priore ad Timotheum epistola probare possit, eas longe serius, quam Salmasius existimavit, scriptas esse contendit.

His ita constitutis redit ad *Eusebium*, eumque temporum intervalla, quæ Romanis episcopis assignavit, e Romanæ ecclesiæ archivis aliisque indubitatis monumentis hausisse negat, hac ratione utens, quod sæpe Episcopis Romanis alios in chronico, alios in historia ecclesiastica annos tribuat, & ne posteriorum quidem & suæ ætati proximorum Pontificum ætatem accurate perspectam habuerit, sed in Xysti & sequentium Pontificum annis graviter errasse deprehendatur.

Ab Eusebio transit ad libellum de Romanis Pontificibus, quem nonnulli quoad priorem partem *Damaso*, quoad posteriorem *Anastasio*, alii integrum Anastasio tribuerunt. Cestrienſis noster autorem ejus libri Damasum esse negat, cum tanta sit styli barbaries & rerum in hoc pontificali novitas, ut nulli quarti seculi Scriptori, quamvis rudi & inerudito, nedum Damaso, qui ingenii elegantia

gantia claruit, sine magna injuria tribui possit. Æque minus librum istum Anastasio assignari posse censet, cum ante Anastasium *Walafridus Strabo*, *Amalarius*, *Rabanus Maurus*, *Beda* aliique sub gestorum Pontificalium nomine opus hoc laudaverint, & ante hos *Pseudo-Isidorus* ad gesta illa Pontificalia decretales suas efformaverit, & ex iisdem epistolarum suarum materiam excogitaverit, & ex eodem fonte consulum notas hauserit, quibus fictitias illas Pontificum Romanorum epistolas obsignavit. Verisimillimum igitur Autori nostro videtur, librum hunc Pontificalem origines suas debere scripto de vitis Pontificum, quod e bibliotheca Reginæ Sueciæ exhibuit *Heinschenius*, & secundum catalogum appellat. Secundum hunc Heinschenii catalogum usque ad Felicem IV & Justiniani tempora deductum, Pearsonius sub finem seculi sexti scriptum, posteaque ab aliis continuatum & interpolatum opinatur, tandemque concludit, libro pontificali fœdis erroribus scatenti fictisque narrationibus pleno, & quoad chronologiam Pontificum Romanorum admodum confuso & perturbato, nullam fidem adhibendam esse; quicquid autem boni de priorum Pontificum annis habeat, id ex vetustiori quodam Scriptore haustum, & vetustiorem illum Autorem non alium videri, quam autorem veteris catalogi a Cuspiniano primum commentariis suis sparsim inserti, & postea ex integriori codice a Bucherio in commentario ad Victorii canonem Paschalem, & tandem ab Heinschenio in actis sanctorum Aprilis editi, quem etsi magni pretii esse fateatur, & si integer aliquando & incorruptus prodeat, majoris faciendum, non temere tamen sequendum arbitratur, cum anni Pontificum, sub quibus Cyprianus floruit, male digesti, & ante Callisti Pontificatum codex mutilus appareat, nec si vel maxime suppleatur, ulla certitudo sperari inde queat. Cum vero Heinschenius priorem primi hujus catalogi partem ab *Antero* scriptam suspicetur, sententiam hanc examini subjicit, & rationes ab Heinschenio adductas nullius esse ponderis evincit.

Cum igitur ex Græcis & Latinis Pontificum Romanorum catalogis, certam eorundem chronologiam constitui non posse animadverteret, & observationibus suis, quas ex historiæ monumentis magno labore deduxerat, *Eutychium Alexandrinum* conspirantem in plerisque deprehenderet, ejus vestigia in reformatione pontificiæ

ciæ chronologiæ premenda cenſuit. Quamvis enim Eutychius decimi ſeculi ſcriptor, cum Euſebio aliisque priorum ſeculorum Scriptoribus non conferendus videatur, non dubitat tamen, quin in chronologia vetuſtiorem aliquem autorem ſecutus fuerit.

Hoc fundamento conſtituto, tres primorum Pontificum Romanorum quaterniones ſigillatim recenſet, & quot cuique anni aſſignari debeant, inquirit. Primus Pontificum Romanorum a Petro quaternio juxta *Baronium*, *Petavium*, *Labbeum* & alios, Linum, Cletum, Clementem & Anacletum complectitur, quorum tempora vulgo ad annum usque 110 vel 111 extendi ſolent, at juxta Pearſonum non ultra annum primi ſeculi 83 procedunt. Unam erroris cauſam inde emanaſſe aſſerit, quod Cletus intruderetur, quem ex Pontificum Romanorum numero expungit, nec ab Anencleto vel Anacleto diverſum agnoſcit, *Irenæi* potius & aliorum probatorum autorum, quam *Pſeudo-Damaſi*, *Pſeudo-Tertulliani* & martyrologiorum fidem ſequendam ratus: alteram vero, quod initium Pontificatus Lini eo anno conſtituatur, quo finis conſtitui debuerat, cum Linus vivente Petro cathedram Romanam rexerit, & ante Petrum vivis exceſſerit, unde etiam Lini de paſſione Petri & Pauli librum fictitium arguit. Ex quaternione igitur ternionem facit, cujus annos ita numerat, ut Linum ab anno 55 ad 67, Anencletum ab anno 67 ad 69, & Clementem, cujus diuturnum exilium & martyrium ſub Trajano pro putida fabula agnoſcit, ab anno 69 usque ad annum 83 Romanæ eccleſiæ præfuiſſe dicat. Quod autem Linus & Cletus, vel etiam Linus, Cletus & Clemens ſimul Romanam eccleſiam rexerint, id ex fictitia Clementis ad Jacobum epiſtola a recentioribus Latinis excogitatum, epiſcopalis regiminis unitati nihil præjudicare ſtatuit.

Secundum quaternionem Romanorum Pontificum faciunt Evariſtus, Alexander, Xyſtus & Telesphorus, quorum primum A. 91, alterum A. 101, tertium A. 111, & quartum A. 122 obiiſſe tradit. Ad confirmandam hanc chronotaxin, actis Alexandri tantam neque ſinceritatem, neque antiquitatem competere demonſtrat, quanta illis ab *Heinſchenio* tributa fuerat. Refutat inſuper *Baluzium*, qui in nova conciliorum collectione anno 125 concilium aliquod Siculum, ſub Alexandri Pontificatu contra Heracleonem habitum, ex Autore Prædeſtinati memorat. *Labbeum* autem cæterosque chronologos, qui Teleſphorum anno 152 mortuum referunt, ex eo falſi arguit, quod ex indubitatis hiſtoriarum monumentis conſtet, ſub Hygino Teleſphori ſucceſſore Valentinum & poſtea Cerdonem Romam veniſſe, & poſt Hygini obitum Marcionem nondum hæreticum ſe in eandem urbem contuliſſe. Ex quo concludit, neceſſe eſſe, ut Valentinus, ſi ante annum 153 Romæ non fuit, ab inferis excitatus eo venerit, cum jamdiu ante iſtum annum *Juſtinus* contra Valentinianos Valentini jam mortui diſcipulos ſcripſerit, multoque magis pro monſtro habendum, Marcionem tam ſero hæreſi infectum fuiſſe, quem Polycarpus ut hæreſiarcham viderat, & contra quem Juſtinus tot libros ſcripſerat. Juſtinum autem non ſub Marco Antonino, ſed ſub Antonino Pio martyrii palmam adeptum, Autor noſter ſe in vita Juſtini prolixius probaſſe meminit. Poſtea antequam ad tertium quaternionem progrediatur, cum *Petavio* de ortu Cataphrygum diſputat, & *Blondelli* ſententiam ad examen vocat, qui ſeniorum primatum ſub Hygino in electitios Præpoſitos translatum dixerat.

In tertio quaternione occurrunt Hyginus, Pius, Anicetus & Soter. Quamvis enim Pio Anicetum Latini præponere ſoleant, Græcorum tamen ordinem ſe rectius habere demonſtrat, & ex eodem fonte duas Pii ad Juſtum Viennenſem epiſtolas, in quibus ſe Aniceti ſucceſſorem fingit, non cum *Baronio* aureas, ſed plumbeas eſſe cenſet. Et Hyginus quidem juxta Autoris noſtri calculum, ab A. 122 ad 126 Romanam cathedram tenuit, cujus poſt vacationem annuam ſucceſſor Pius ad annum usque 142 Romanam eccleſiam gubernavit. Nam quæ de Hygino ſub Antonini perſecutione mortem paſſo, martyrologium Romanum d. 11 Januarii retulit, æque fabuloſa eſſe putat, ac quadriennem Hygini carcerem, & duplicem Pii vicariatum ab *Heinſchenio* confictum, aut vacationis quadriennium, quod inter Hygini & Pii Pontificatum interceſſiſſe *Blondellus* aſſerit. Anicetum autem, quem *Baronius* anno 167, & *Labbeus* anno 165 Pontificalem dignitatem adeptum ſtatuunt, Pearſonius pluribus quam viginti annis maturius, nempe anno 142 cathedram Romanam occupaſſe, cum Eutychio ſuo ſcribit. Et cum Aniceti chronologia ex ætate Polycarpi, qui juxta Irenæum

ſub Aniceto Romam venit, optime dijudicari poſſit, de Polycarpi tempore prolixe diſputat, & ſtatuit Polycarpum non ſolum ſub Antonino Pio Romam veniſſe, verum etiam ſub ejusdem imperio martyrii agonem conſummaſſe. Adducit pro hac ſententia chronographum veterem MS. a Cl. *Voſſio* mutuo acceptum, & annos 86 quibus ſe Chriſto ſerviiſſe Polycarpus teſtatus eſt, non de annis Chriſtianæ profeſſionis, cum Polycarpum antea gentilem fuiſſe probari non poſſit, aut miniſterii eccleſiaſtici, ſed de univerſis vitæ annis intelligit; cumque Polycarpus in actis martyrii animam ſuam Chriſto reddidiſſe referatur ſub Proconſulatu Statii Quadrati menſis Xanthici (qui tunc a 25 Martii incepit) die ſecundo, VII Cal. Aprilis (ita enim cum chronico Alexandrino, non Maji aut Martii legendum eſſe cenſet) ſabbatho magno, ex his characteribus colligit, Polycarpi martyrium in annũ 147 incidiſſe. Quamvis autem circa initium Pontificatus Aniceti cum Eutychio conſentiat, finem tamen longius extendit. Eutychius enim Aniceto undecim tantũ annos, Ceſtrienſis autem octodecim tribuit, unde etiã circa auſpicia Pontificatus Soteris ab Eutychio non diſſentire non poteſt, exiſtimans Soterem ab a. 161, quo Anicetum mortuum ſtatuit, usque ad annum 170 Romanum epiſcopum fuiſſe, & *Baronium* refellens, qui quatuor tantum annos Soteri tribuit; ubi ſimul obſervat, in gratiam Cardinalis Romana breviaria correcta, ſeu potius corrupta fuiſſe. Nam cum Pius V. ex Tridentini concilii decreto Romanum breviarium reſtitui curaret, omnes libri anno 1569 editi teſte Halloixio, d. 22 Aprilis hæc de Sotere verba habuerunt: *ſedit in Pontificatu annos 9, menſes 3*; quæ verba etiam in editionibus, Pariſienſi 1583, Antverpienſi 1588, Salmanticenſi 1589 & aliis leguntur. Verum poſt annales Baronii ita nunc in breviario legitur: *ſedit in pontificatu annos tres, menſes undecim.*

Hæc ſumma eſt diſſertationum Pearſonii. Magnæ autem gratiæ debentur *H. Dodwello*, qui lucubrationes illas non ſolum publicæ luci expoſuit, verum etiam nonnullis additionibus hinc inde ſupplevit & illuſtravit, & diſſertationem ſingularem de Pontificum Romanorum primæva ſucceſſione inſuper adjecit. Additio prima, quæ p. 11 legitur, ætatem Theophili Autoris librorum ad Autolycum ſpectat, quem a Theophilo ſexto Antiochenæ eccleſiæ epiſcopo diſtinguendum cenſet, ſecus ac Ceſtrienſi viſum fuerat. P. 86 ubi altera additio legitur, locum *Hieronymi* de ἰσοτιμία Presbyterorum & Epiſcoporum explicat, aliaque a Salmaſio pro Presbyterianis objecta examini ſubjicit. Additio tertia, quæ p. 110 habetur, *Euſebium* tangit, quem res occidentalis imperii parum cognitas, nec in hiſtoria majora quam in chronico ſubſidia habuiſſe probat. Quarta agit de anno obitus Agrippæ junioris & Johannis Evangeliſtæ. Quinta fabuloſam eſſe demonſtrat narrationem de virgine Domitilla a Clemente Romano velata; ubi ſimul obſervat, matrimonium a primis Chriſtianis magno in honore habitum, ac etſi illis temporibus etiam virginitas in honore eſſe cœperit, Clementis tamen ætate nondũ fuiſſe virgines virginitatem publice profeſſas, ſed Trajano demum imperante virgines, quæ ſexagenariis non minores eſſent, absque ulla voti obligatione, in viduarum collegio ad virginitatis profeſſionem admiſſas fuiſſe. In eadem additione Clementem R. martyrem fuiſſe negat, ejusque epiſtolam ad Corinthios non ſub Domitiano, ſed ſub Nerone ſcriptam eſſe probat. Quinta additio locum Tertulliani ex libr. 1. adv. Marc. c. 19 alio ſenſu explicat, quam a Ceſtrienſi explicatus fuerat.

In diſſertatione ſingulari primum quid de Euſebio & catalogis Latinorum & Eutychio ſentiat, exponit, poſtea vero primorum Romæ Pontificum annos ita diſponit, ut Petro nullum inter Romanos Pontifices locum concedat, cum Apoſtoli certis eccleſiis affixi non fuerint, & epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores eam tantum ob rationem dicantur, quod poteſtatem regendæ eccleſiæ apoſtolis acceptam referrent, & doctrinam apoſtolicam illibatam cuſtodirent. Lini Pontificatus initium anno 64 collocat, eique & ſucceſſori Anencleto breviſſimum tempus aſſignat. Clementem ab anno 64 vel 65 ad 81, Evariſtum ab anno 81 ad 90, Alexandrum ab anno 90 ad 102, Xiſtum ab 102 ad 112, Telesphorum ab 112 ad 123, Hyginum ab anno 123 ad 127, Pium ab anno 127 ad 142, Anicetum ab anno 142 ad 153, Soterem ab a. 153 ad 162. Romanam cathedram tenuiſſe putat. Ex quo apparet, nullibi in primorũ iſtorum Pontificum chronologia Dodvvellũ cum Pearſonio conſentire, unde haud mirum, quod etiam in aliis, quas attingit, controverſiis chronologicis aliter ſentiat. Dixerat Pearſonius, unicam Synodum, non duas, adverſus Paulum

Samoſatenum habitam fuiſſe; at Dodvvellus non duas modo, ſed tres agnoſcendas exiſtimat, unam, cui interfuere Firmilianus & Gregorius Thaumaturgus cum fratre Athenodoro, alteram, cui iterum Firmilianus adfuit, quem bis Antiochiam veniſſe, tertiæ Synodi Antiochenæ Patres teſtantur, cui Firmilianus morte impeditus adeſſe non potuit. Dixerat Pearſonius, Pontificem Romanũ, quem Tertullianus a Praxea contra Montaniſtas excitatum refert, fuiſſe Eleutherum; at Dodvvellus hæc Tertulliani verba non Eleuthero, ſed Zephyrino competere arbitratur. Verum hæc ſufficiant, ne a præfixo nobis brevitatis ſcopo nimis aberrare videamur.

IDEA FEBRIS PETECHIALIS.

ſeu

Tractatus de morbo puncticulari, auctore Laur. Donckers, Med. D. Pract. Colon.

Lugduni Batavorum, apud Petr. van der Aa, 1686, in 8.

IN aprico eſt, quod oppido multis hac tempeſtate perplaceat illa philoſophandi ratio, quam a coryphæo ſuo, Renato de Cartes, Carteſianæ nomine celebrant. Et ſane amatores illa in Medicorum ſcholis haud paucos reperit, qui ſtabili ipſam connubio ſibi jungere, nec artem ſuam niſi cum ipſa profiteri vel facere volunt. Hos inter merito referendus eſt præſentis libri clariſſimus Auctor, qui tantam inde ſcientiæ perfectionem ſe indeptum fatetur, ut praxin Medicam exercens vel ſemper ſanaverit ægros, vel ſi ipſemet hoc præſtare apud aliquos nequiverit, ab alio ſeu medico, ſeu chymico, aut alio quantumvis famoſo empirico præſtitum non viderit. Hinc jactantiam quidem deprecans, methodi tamen ſuæ (principiis a ſolo rationis lumine deſumptis innixæ) claritatem probaturus, allegat permulta ac honoranda nomina eorum, qui medelæ ſuæ commiſſi ſanitatem feliciter recuperarint omnes. Quo autem intelligi facilius ſcribentis animus, imprimis a tyronibus queat, principia ſua in præfatione evidenter declarare annititur. Et primo damnat, quæ a Philoſophorum vulgo proponuntur rerum omnium primordia, utpote inſtabilibus ſenſuum perceptionibus ſuperſtructa.

Ipſe

Ipſe autem ſolo rationis ductu, ad mentem Carteſii in originem mundi probabilem fuſius inquirit. Hinc duo particularum ad rerum omnium conſtitutionem concurrentium ſumma genera, ipſi pro primis mundi hujus elementis habita, curate tradere allaborat. Denique tertium quoque, peculiari ratione ex primi elementi minutiis oriundum adducens, omnia in univerſum corpora ex his tribus conſtare aſſerit. Sicque unum poſt aliud deducendo, de cœlorum ſtellarumq; forma & natura: de generali orbis terreſtris compoſitione: de materiæ cœleſtis in hunc perpetua actione ſummatim agit. Mox omnium in aere, aquis & terris effectuum, generationum omnium & corruptionum, viciſſitudinum ac diverſitatum, omniumque quæ circa nos occurrunt, phænomenorum cauſam remotam ponit in mundi hujus viſibilis conſtructione: antecedentem vero in ipſius corporis Solaris circa proprium axem concitatiſſima gyratione: proximam denique in cœleſti materia, quæ poros cunctos angulosque in particulis, ex quibus aer, aqua & terra, cunctaque in ipſis contenta mixta componuntur, obſervabiles impleat, aſſidueque percurrat agitetq;. Hinc rationem ſubdit, cur motum, magnitudinem, figuram, quietem & ſitum pro primis rerum omnium materialium principiis habeat. Nam Chymiam, ad cognoſcendas rerum cauſas veraque principia, ineptam æque artem ac quamvis aliam exiſtimat. Ab illa enim corpora tantum diſſolvi in particulas ſenſibiles, ſpirituoſas, ſulphureas, ſalinas &c: ſed vero harum nullum genus eſſe principium primo activum, ſeu quod in motu & actione conſiſtat. Neque ullam ab ipſis operationem proficiſci, niſi vel Solis, vel ignis, vel fermenti cujusdam beneficio in motum concitentur. Itaque cultores Chymiæ, ſi diverſos effectus naturales & phænomena, ſecundum cauſas primas a ſenſibus noſtris remotas debeant explicare, recurrere ſemper ad principia iſthæc, motum ſcilicet, figuras & magnitudines. Hiſce expoſitis demonſtrat variis argumentis, dari revera ejusmodi materiam ſubtilem, quæ ſenſu non percipiatur, effectu tamen ſe prodat, quæque ipſa principia Spagyrica omnis actionis per ſe expertia, ad agendum diſponat ac veluti vivificet. Refutat poſtmodum illos fuſius, qui conceptus hoſce Phyſicos ideo minus reales & veros judicent, quod multum ſint occupati circa corpuſcula ſenſu nullo percipienda. Illud au-

tem in peculiari proœmio indubitate asserit fore, ut ope horum principiorum clarior in morborum per primas suas causas cognitione, lux ac infallibilis veritas posthac oriatur; unde per remedia antiquis jam probata & facile ubivis comparabilia, cura proveniat felicissima. Neque enim credendum esse, quod DEUS T. O. M. in veteri jam Testamento Medicum honorandum esse præcipiens, remediis eum, quorum ope se isthoc honore dignum faceret, destituerit, eaque pro hodiernis Spagyricis tamdiu reservarit abscondita. De cætero Tractatum ipsum in 13 capita sectum, horumque aliqua in quædam adhuc membra subdivisa deprehendimus. Primo omnium historia morbi cum invadendi modo, progressu, symptomatibus cum communibus, tum singularibus, varia itidem solutione traditur. Hinc cap. II. affectus ipse describitur, quod scilicet fuerit febris petechialis, sive maligna, contagiosa & epidemica in sanguine fermentatio, quæ præter insolitam effervescentiam magnam quoque ipsius induxerit perturbationem, quam insecuta fuerit inexplebilis sitis, subitanea virium prostratio, capitis dolor, delirium aliaque symptomata. Cap. autem III clarius hæc explicaturus, partim veram sanguinis compositionem, partim illius juxta leges naturæ fermentantis & effervescentis ideam ob oculos ponit. Quoad prius probat, sanguinem componi ex particulis insensibilibus in figura, quantitate & motus sui determinationibus indefinite diversis & inæqualibus. Has spirituum, sulphuris, aquæ, salis, acidi, pituitæ & terrestrium nomine posse indigitari. Sed vero ad unicum tantum summumque genus terrestre, tertium videlicet elementum, eas esse referendas. Varias quoque ipsarum dari species, & in hisce indefinitam subdivisionem & inæqualitatem. Nec esse tamen sponte naturæ activas, sed in motum concitari omnes a materia cœlesti, intercurrentibus particulis pure æthereis. Certum quoque in motu ordinem observari, ita ut secundum tenuitatis gradus, una post alteram moveatur. Sic primo spirituosas, hinc sulphureas sive oleosas, inde aqueas, post salinas, mox acidas, porro pituitosas, ac denique terrestres veluti in choream a subtili materia duci. Quoad posterius, cum sanguis ex stomachi penuario accipere alimentum, & sic conservari debeat, præmittit fermentationis in ventriculo descriptionem, quam esse resolutionem dicit particularum insensibilium in

um in alimentis a materia subtili excitatam. Hanc exemplo fœni, antequam siccum sit, inclusi sponte sua incalescentis, declarare annititur, notata tamen differentia inter utrumque observabili. Necessario autem probat fieri oportere, ut alimentorum particulæ ad simplicitatis ac parvitatis eum gradum resolvantur, in quo ad sanguinis oeconomiam ingrediendum, novumque mixtum constituendum aptæ existant. Sicut vero in ventriculo motus iste resolutivus (ut loquitur) contingat in massa crassiori, impura, cruda, tota fermentanda: ita illum, qui in cordis ventriculis arteriisque peragitur, & fermentationis in sanguine nomen sortitur, accidere in particulis omnino multum defecatis, ac liquido, raro, & effervescenti subjecto (sanguini sc.) insperſis. Modum fermentationis hunc tradit: chymum & sanguinem crudiorem ad cor delatos constare ex particulis, quæ vel in originali aut formali sui compositione, vel inter mutuos implexus tales habeant meatus, quos spiritus vel particulæ fermentantes sanguini insitæ subire nequeant, nisi sola cinctæ materia subtili. Hinc fieri, ut hæ subtili materiæ totæ innatantes, fluxumque ejus per meatus istos celerrimum sequentes, passim in horum parietes irruant, particulasque a se mutuo disjungant seu resolvant. Hoc ipso simul eas invehi in vicinas & circumfluas, quas fortius concutiendo & impellendo motum illum seu agitationem sanguinis intestinam resolutivam, ut vocant, sive effervescentiam excitent, atque eandem per novum ex ventriculi penuario acceptum alimentum perpetim conservent. Hinc de usu & necessitate ejus, de materiæ subtilis perpetuo per corpus nostrum transfluxu, quo particularum sanguinis ordinationem & temperiem producat, cruorem vivificet, ventilet, sensibilemque in eo calorem excitet, munus alituræ peragat, fusius discurrit. Imprimis vero id memoria tenendum jubet, in quo temperamentum sanguinis genericum, sive universalis & legitima ipsius particularum mixtio & temperatio posita sit. Scilicet omnes ejus particulas, unamquamque secundum particulares suas mensuras & figuras, tali disponi ordine, ut earundem subtilior series gradatim semper crassiorem (hanc scilicet præterlabendo, vel ramulorum in ipsius particulis interstitia & meatus percurrendo) antevertat. Atque hoc imprimis ita fieri, ut materia subtilis cum particulis æthereis & spiritibus, quos secum

deve-

devehit, cujusvis particularum seriei poros irradiare possit fluxu uniformi, moderato, continuo. In hoc cardine omnem sanitatis rationem verti: in eo etiam a contagio præservationem, imo ipsius, si invaserit, expulsionem, sive curationem consistere. Jam sicut ex dictis supponitur, quod in fermentatione sive effervescentia naturali, particulæ sanguinis per motum intestinum minutiarum fermentantium non resolvantur ultra terminum illum, qui alimento ultimo conveniens est: ita in fermentatione præternaturali dicta, & quidem contagiosa, adeo dissolvi illas asseritur, ut nullius amplius corporis partis, sive fluidæ sive solidæ, formam induere, h. e. ipsi formaliter uniri, aliquandiu in hærere, atque ita corpus firmiter nutrire vitamque conservare queant. Econtrario potius propter nimiam sui resolutionem, rapiditatem ac volatilisationem, ut vocat, illas multo quam alitura requirit, altius & concitatius, & longe alia motus determinatione in poros partium nutriendarum invehi. Atque sic fieri, ut hæ illarum inimico impulsu penitissime dissolvantur, funditusque a se invicem disjungantur, earundem compages destruatur, vitaque pessundetur. Jam quo illæ particulæ magis vel minus sint subtiles, per humorem magis vel minus fluidum & resolvi aptum, & magis vel minus late extensum celerius vel tardius rapiantur, eo etiam morbum generari magis vel minus malignum, citiusque inde vel tardius animalia enecari. Hæc autem omnia exactissima explicatione stabilire Auctor contendit, ubi simul prolixe de contagio & peste ipsa agens, permultas quæstiones eo spectantes curate dilucidat. Inde cap. IV progreditur ad differentiam, ostenditq; febrim hanc petechialem ab aliis epidemiis non specie & formaliter, materialiter tamen & gradibus notabiliter discrepasse. Mox cap. V. causas & processum generationis prosecuturus, variis positionibus evincit, pestem ipsam neq; immediate a DEO immitti, neq; semina illius ab astris auræ inspirari, quin potius merũ hoc & falsum esse infantiæ sensuumq; præjudicium. Porro cap. VI rationes juxta principia tradita subdit, cur hæc vel illa symptomata, & cur citius vel tardius affectui supervenerint. Sic cur morbi seminium delitescere aliquandiu inter crassiores sanguinis particulas potuerit? cur paulo post obscurum febris indicium ediderit? cur pedetentim increscens appetitus dejectionem, capitis vertiginem, artuum lassitudinem,

tudinem; tandem magnam pulsus alterationem, præcordiorum anxietates &c. induxerit? cur frigus & horror insequenti febrili calore accesserint? fuse satis perquirit, hunc ultimum imprimis insolitæ & auxiliari spirituum animalium a glandula pineali missioni attribuens. Reliqua de pulsu parvo, celeri, debili, de siti inextinguibili, de diarrhœa, flatibus, alvo adstricta, dolore hypochondriorum, capitis, oculorum, de visus caligine, aurium tinnitu, gravitate auditus, vigiliis &c. omnia juxta hypothesin suam explicata sicco pede præterimus, ne ultra compendii mensuram excrescat relatio. Duo autem præ reliquis omnibus symptomata, delirium & maculas, accuratiori examini subjiciens, de glandulæ pinealis, in qua præcipue resideat mens humana, nobilitate, usu & officio prolixe discurrit. Mox de excussione materiæ morbificæ non tantum per maculas, sed & per urinas & sudores, idque ordinarie circa septimum diem, nec non de varia criseos ratione ita disseritur, ut asseverare Cl. Auctor non vereatur, se nullum omisisse phænomenon, quod ex traditorum speculatione non sit facile intellectu. Cæterum quamvis natura ordinis jam requirat, ut tam de præservatione quam curatione affectus agatur, necessario tamen præsciendum esse arbitratur, ecquod sit ingenium alexipharmacorum? quis operandi modus? cum utrumque horum hactenus in occulto latuisse constet. Itaque caput VII. de antidotorum natura intima operandique ratione subnectit. Existimat autem illorum præcipuam, imo unicam fere virtutem esse fermentandi & calefaciendi. Nam ab illorum usu effervescentiam sanguinis & totius corporis calorem adeo augeri, ut etiam sudor expellatur. Et hanc illorum vim abunde sufficere ad præcavendos & depellendos morbos contagiosos, ut opus non sit aliam in alexiteriis virtutem supponere. Quo vero processu id operentur, satis describitur, annexa demonstratione, quod vulgatissima antidota, etiam incompte composita, aliis non sint inferiora. Hinc theriacam, mithridatium, diascordium & similia, omnibus arcanis & mysteriis Chymicorum multis parasangis præcellere. Illa enim omnibus naturis, temperamentis, ac variis eorundem accidentibus se accommodare. Cur vero in certis quibusdam casibus non juvent, triplex redditur ratio. Et allegat tandem propriam Noster fidem, ab usitatissimis alexipharmacis

se exoptatos vidisse effectus, & edoctum simul esse, certissimum in cura arcanum esse, morbos eorumque remedia exacte cognoscere, nec ignorare, quomodo notis antidotis utendum sit. His ita præmissis, VIII. capite præservationem exponit, quam in solius efferveſcentiæ & caloris naturalis corroboratione consistere putat. Hanc duplici ratione ait fieri: (1) frequenti novi alimenti ingestione, quo pertineant ordinarie cibi, extraordinarie omnia medicamenta confortantia sive cardiaca dicta (2) remotione istius, quod liberam efferveſcentiam & expansionem radiorum spirituum per omnes corporis partes impedire possit; quo spectet sanguinis emissio, & primæ regionis debita expurgatio. Ad utramque requiri exactam diætam, quam proinde fusius describit, animum metu vacuum simul extollens. Imo totam Præservationis institutionem tandem asserit quatuor regulis absolvi: (1) bona diæta (2) blanda frequentique primæ regionis expurgatione (3) sanguinis rarefactione, crassum & densum diminuendo (4) efferveſcentiæ & caloris naturalis per legitimum alexipharmacorum usum confirmatione & corroboratione. Triplicem vero horum classem constituit, quarum *prima* contineat medicamenta particulis fermentativis omnis generis subtilioribus, cumprimis spirituosis & salinis volatilibus valde turgentia. Eo refert theriacam, mithridatium, diascordium, antidotum Matthioli, quæ tanquam basis sint reliquorum omnium, & in quibus extrema posita sit cum præservationis tum curationis anchora. *Secunda* complectatur crassiora & acida vel acido-salina: *Tertia* cordialia frigida, qualia sint sirupus, conserva vel aqua rosarum, violarum, borraginis aut prunellæ, sirupus papaveris erratici, julapium rosatum &c. Ex his pro temperamentorum varietate varia componi medicamenta posse, quorum aliquot exempla exhibentur. Quod si vero eadem aliquis neglexerit, mature dispiciendum, an morbo isthoc jam contaminatus sit; id quod capite IX de diagnosi traditur, & evincitur, urinam naturali similem tempore epidemiæ, si pulsus concitatior, minor & debilior, capitis itidem dolor, præcordiorum anxietas, appetitus dejectio, sitisque intensior accedat, præsentissimi contagii suspicionem ingerere, & in petechiali febre Colonienſi indubitatum fuisse argumentum. Quis autem exitus ejus forte sperandus, X capite pro-

ponitur, ubi semper quidem in dubio & periculo ægros esse versatos ostenditur, magis tamen, si vel angina, vel pleuritis, vel alicujus viscеris inflammatio supervenerit, vel ægrotans fuerit cacochymicus, valde obesus, plethoricus, aut athletici habitus. Hinc quoque error perstringitur eorum, qui cum increscente pulsus celeritate sanguinis totius calorem augeri arbitrantur. Porro de maculis parvis & nigris, de signis interitum vel tardam crisin indicantibus, de sanguinis per phlebotomiam emissi nigredine, de præsagiis mortis instantis, ut & bonæ criseos pluribus agitur. Hinc cap. XI Therapeiam aggreditur, eamque a primæ regionis expurgatione semper inchoandam esse edocet. Quod si tamen partis cujusdam aut viscеris inflammatio cum sanguinis sputo, acutissimo dolore, aut metu præfocationis, ut in pleuritide vel angina, adfuerit, tunc præmisso clystere venæsectionem instituendam, imo pro re nata utrumque repetendum, vel purgationem interponendam, & efferveſcentiam naturalem convenienti medicamento ad defensionem sui hortandam esse. E tribus, quas subnectit, formulis, unicam apponemus:

℞. rasur. dent. apr.
C. C. Philosoph. pp.
oculi cancr. pp.
salis prunell. a. gr xxv.
diascord. Fracastor. ʒj
sir. papav. errat.
alb. a. ʒß.
▽ verben. hyssop.
veron. prunell. a. ʒß.
sp. ☉ gt. vj.
M.

Hanc æger eo tempore, quod intercedit inter duas venæsectiones, vel inter venæsectionem & purgationem, debet assumere. Si vero eodem die, quo vena aperta est, nullum purgationi tempus superſit, jubeatur tertia pars immediate a venæsectione assumi, altera quatuor aut quinque horis post, & tertia vesperi. Sequenti autem mane tunc demum purgans primum exhibeatur. Alias si multo mane venæsectio celebrata fuerit, expedit sub vespera, vel etiam in-

ſtante nocte cum bono regimine id ipſum dare. Si vero ab initio ordinaria methodo, ſicut ſupra dictum, progredi ſtatim liceat, tunc tale medicamentum propinandum Auctor ſuadet, quod præter lenem cruditatum impuritatumque eductionem ægro vires addat, ſimulque malignæ fermentationi plurimum reſiſtat. In hunc cenſum refert pulpam tamarindorum, extractum caſſiæ, cremorem tartari, hujusque ſalem vitriolatum, diagrydium, electuarium diaprunum ſolutivum, ſirupum roſarum laxativum, ſirupum diacnicu, de cichor. c. rhabarb. &c. adjectis oculis cancr. C. C. præp. ſale prunellæ, cardui benedicti, abſynthii, ſcordii, centaur. minor., acetoſellæ, cum ſp. vitrioli, ſulphuris, ſalis, nitri aut tartari, addito, pro ſcopo confortationis, ſaccharo perlato, confectione alkermes, cinamomo, &c. De calidioribus autem catharticis monet, quod vitanda ſint omnia: in naturis ſaltem frigidis admiſcenda prædictis eſſe carminativa; e. g. ſem. aniſ. fænic. carvi, it. crocum, electuarium caryocoſtinum, diaphœnicon, cum tartaro crudo, ejus cremore aut ſale. Formulas hic iterum varias pro varietate ſexus, temperamenti & morboſæ conſtitutionis proponit. Unicam tamen electuarii compoſitionem ſibi in calidis bilioſisque temperamentis, imo in omni ætate & ſexu familiariſſimam probatiſſimi uſus extollit, quam e reliquis huc transferre libet: Rp. diagryd. gr. xiij. crem. tartari, pulpæ tamarindorum, caſſiæ rec. extractæ, confectionis alkermes a. ʒß. ſir. roſar. ſolut., de cichor. c. rhabarb. vel diacnicu ʒj. ſp. ſalis, ſulphuris, vel vitrioli gt. iv. vel vj. M. F. Electuar. aſſumendum cum pauculo vini, vel cum juſculo aut alio conveniente liquore. Addit vero monitum; præſtare purgans partitis vicibus, quam integra doſi exhibere, cum in principio hujus febris ægri interdum in diarrhœam proclives ſint. Sicut vero purgationem methodo ordinaria præmittendam aſſerit: ita venæſectionem immediate poſt inſtituere jubet, in plethoricis ſcilicet, anginoſis, pleuriticis, ut & ſub certa lege cacochymicis inveteratis, ſcorbuticis, hypochondriacis, ſummatim in omnibus, in quibus ſanguinis perſpiratio impeditur. In extenuatis vero & exanguibus, nec non valde tenuem, & ſeroſum, ac pituitoſum, frigidumque ſanguinem habentibus nocivam eſſe. Quantum vero ſanguinis, & in qua corporis parte, ex quibus venis, juxta duplicem ſanguinis vorticem ſive circum-

circumvolutionem, ſuperiorem alteram, alterā inferiorem, educi expediat, pluribus tradit, methodo utendi poſtea alexipharmacis ſtatim ſubjuncta. Ubi iterum vulgatiſſima antidota, mithridatium, theriacam, diaſcordium idque genus ſimilia reliquis omnibus præfert, chymicis, eorumque arcanis, ut paſſim in Tractatu, ita & hic infenſus. Propinandi autem formam mixturæ commodiſſimam judicat, partim quia citius hoc modo per univerſum ſanguinem omniaque corporis vaſa diffundantur, partim quia ægris ſic commodius exhibeantur. Addit autem varia pro vehiculo, correctione, decumbentis ſexu, temperamento, ætate, conſuetudine vitæ, & ad gratiam palati. Transcribere hic formulas tali modo ad exemplum compoſitas, non patiuntur propoſiti compendii limites. Ne tamen plane aſymboli abeamus, duas tantummodo referre liceat. Sic pro illis, qui temperamento ſunt frigidi, pituitoſi & obeſi, ſanguinemque habent craſſum & perſpirationi ineptum, hac ratione præſcribitur:

R. diaſcord. Fracaſt. ʒj.
ſir. cort. ⊙.
papav. errat.
d. menth. ʒß.
El. ppr. gt. xv.
▽ prophyl. Sylv. ʒß
fl. cordial.
card. bened. a. ʒiß.
F. ♆. Ji.
M.

Pro ſanguineis autem & ſimpliciter calidis ita:

R. ocul. cancr. Sal. card. bened. a. gr. xv.
diaſcord. Fracaſt. ʒj. ſir. papav. err. ʒj.
laud. op. gr. j. ▽ verben. card. ben. a. ʒvj.
ſp. ſulphur. q. ſ.
M.

Nec poſſumus denique medicamentum ſicco præterire pede, quo cum pauperes plurimos, tum alios ſe, favente DEO, curaviſſe Auctor perhibet. Ita autem ſe habet:

R. ▽ card. ben. ʒiij. diaſcord. ʒij.

ſir. papav. ſ. ℥j. ſp. Vitriol. q. ſ.
M.

Hac ſola mixtura omnes reconvaluiſſe, qui in principio optime purgati, & ſuperfluo ſanguine liberati, a cibo abſtinentes tali ſint potu uſi ad libitum, qui mox docebitur. Nam de utroque peculiari capitis hujus membro agit, ac potum temperatum & largum commendat. Ipſe tale decoctum ſe in familiari uſu habere profitetur:

Rp. hord. integr. Mj. polypod. querc. ℥ß.
ſir. papav. err. p. j. raſur. C. C. ʒij.
Coqu. in ▽ communi ad crepatur. hord. poſt coctionem injiciatur pomum citreum in lamellas diſciſſum, vel, quod melius, tantum ejus cortex, & loco ipſius acidi, tertia aut quarta pars vini.

Nam hoc egregie convenire modice ſumptum, imprimis ſi frigida, inter quæ ſuccus citri referendus, præbeantur. Dum vero ſiente criſi ſudor erumpat, aquam hordei tam calidam, quam bibi poteſt, copioſe ingeſtam, vel ſolam, vel cum vino mixtam, ait optime profuiſſe. De cibo autem monet, quod is tenuiſſimus, i. e. nullus eſſe debeat, idque rationibus confirmat. Reconvaleſcentibus autem parcum eſſe concedendum, atque ex appetitu ægri potius, quam ex præſcripto Medici. Ad ultimum curationi colophonem jubet imponere cum alvi laxatione, ac proinde electuarium ex caſſia, tamarindis & confectione alkermes ſuperius a ſe deſcriptum laudat.

Methodum hactenus traditam, purgationi, venæſectioni, alexipharmacorum uſui, diætæ, ac ſub finem leni purgationi innixam cap. XII ſtabilit, ſimulque objectiones quasdam diluit, duplicem imprimis errorem mulierciarum, ut & quorundam Doctorum, qui juſculis & conſumatis ægros ſuſtentare ſuſtineant, & qui vini uſum prohibeant, plenius refutando. Tandem eandē methodum cap. XIII experientia & obſervationibus roborare nititur, adducendo LII caſus ægrotorum, qui febre petechiali cum diverſis ſymptomatibus laborarint, & juxta recenſitam medendi normam valetudinem priſtinam recuperarint omnes.

TRADITION DE L' EGLISE ROMAINE SUR la Predeſtination des Saints & ſur la Grace efficace, par M. Germain D. en Theolog. i. e.

Tradi-

Traditio Eccleſiæ Romanæ de Prædeſtinatione & Gratia efficaci. Tom. I. & II. Autore Dn. Germano Theologiæ Doctore.

Coloniæ, Anno 1687. in 12.

DE Autore, quis ſit, ubi vivat & ſcribat, cum neque ipſe aliquid commemoret, neque aliunde certa nobis innotuerint, (præterquam quod approbatio *Johannis le Beau* Theologi Leodienſis Tomo I præfixa eſt) malumus ex ipſo ejus opere judicium Lectoribus deferre, quam illos noſtro prævenire. Proponitur in eo ſententia D. Auguſtino tributa, & a viris magni nominis cum periculoſo eventu propugnata; inter quos ſibi facile primas vindicare poteſt D. Antonius Arnaldus, cujus haud paucos libros in Acta noſtra retulimus. Ejus ſtylum & copiam haud infeliciter repræſentat, quisquis eſt hic ſcriptor. Dedicavit *Tomum primum* Eccleſiæ Romanæ, cujus autoritatem magnifice in traditione dogmatum fidei extollit, maxime vero circa quæſtiones de prædeſtinatione & gratia, quas triginta Pontifices & multa Concilia ad mentem D. Pauli & Auguſtini (cujus maxima refert elogia) decidiſſe ſtatuit. Cum vero duobus his Tomis ſeptem partes contineantur, & prima analyſin Epiſtolæ ad Romanos exhibeat, in præſens non niſi hanc referemus, dilatis cæteris ad ſequentes menſes, tanto quidem brevius enarrandis, quia ex Arnaldi libris pleraque intelligi poſſunt.

Propoſitum D. Pauli in Epiſtola ad Romanos ſummatim ita concipit & explicat Autor, ut Apoſtolum id egiſſe dicat, ut diſſenſiones, quæ Romæ inter Judæos & gentiles, utrosque nempe Chriſtianiſmum profitentes, verſabantur, ſopiret. Judæi enim deſpiciebant converſos ex paganiſmo, & Evangelii doctrinam jure quodam ſuo, ob generis ſui & legis a Deo acceptæ prærogativam, ſibi arrogabant. Hunc faſtum, ut & perverſum zelum, quo gentiles per Judaiſmi ritus ad Chriſtianiſmum traducere volebant, ita judicante Autore, tribus Epiſtolis Paulus aggreſſus eſt, & ad Galatas quidem id potiſſimum egit, ut præpoſteram illam rituum veterum inculcationem deſtrueret: ad Hebræos, ut gloriam quam ex ſacrificiis Judæi adhuc quærebant, exinaniret: ad Romanos vero, ut omne,

propter

propter quod electos se & gentibus prælatos credebant Judæi, ex fundamento subrueret. Docet enim, omnes homines peccatores esse, & ex pura & mera misericordia Dei ad salutem vocari & eligi, nullo nec generis nec meriti habito respectu. Deprædicat autem Autor providentiam Dei, quod nato jam tum in ortu Ecclesiæ errori, de virium humanarum & meriti jactantia, quem post aliquot secula Pelagius & alii renovarunt, tanti Apostoli doctrina perpetuum antidotum pararetur, quo veritas Evangelica omni tempore conservari potuerit. His & similibus generatim præmissis, singulorum capitum exegesin magna cum diligentia & perspicuitate proponit, ex qua tamen non nisi specimina quædam exhibemus. Ad Cap. I. v. 17. ubi dicitur, *justitiam Dei revelari ex fide in fidem*, scribit: „a fide primorum fidelium usque ad ultimorum, a fide Vet. Test. usq; „ad fidem Nov. Test. nemo unquam justificatus est, nisi per fidem in Jesum Christum. Testatur hoc ipse Deus per Prophetam Habac. II, 3. 4. „per fidem enim ex qua justus vivit, non aliam intelligit, quam fidem „ad quam Jesus Christus in carnem adveniens omnes nationes vocaturus erat. Ex Cap. III quatuordecim observationes breviter quidem sed nervose concipit, quarum ultima ad v. 26 hæc est: Justificatio fit per sanguinem & merita Jesu Christi, & per fidem atque fiduciam in eum, unde patet quod justitia fidei tota veniat a Deo, & simul „magna Dei justitia & sanctitas apparet, tum odium adversus peccatum, quo factum est, ut Deus non potuerit illud remittere absque pœna, & quod ex immensa charitate pœnam hanc filio suo imposuerit. Ad Cap. IV, 4. 5 observat: Apostolum semper tria conjungere, promissionem, fidem, & gratiam, & hæc tribus aliis opponere, nempe legi, operibus & merito hominum. Si enim justitia veniret ex Lege (quod Judæi sibi persuadebant) tunc non esset ex promissione; si esset ex operibus, non esset ex fide; si esset ex meritis, non esset ex gratia. Ad v. 16 fidem sive justitiam fidei ideo dicit esse justitiam Dei, „quia homo cognoscens impotentiam & indignitatem suam, & in se „nihil quam mortem & sterilitatem deprehendens, omnem fiduciam „in Deum ponit, in eo quærit vires, quas in se ipso non habet, & acquiescit & nititur meritis Christi, pro se mortui & resuscitati; atque „sic non habet quod glorietur, quam in potentia Dei & meritis Jesu „Christi. Et postea: Deus non promittit ea, quæ homines facturi sunt,

sunt, sed quæ ipse facturus est. Etsi enim homines faciant bona opera a Deo mandata, ipse tamen efficit, ut ea faciant: ipsi vero efficere non possunt, ut Deus promissa sua impleat; alias implementum „ab hominibus, non vero a Deo penderet. Ad Cap. VI notari jubet quadruplicem statum hominis a Paulo considerati, nempe *ante legem*, *sub lege*, *sub gratia* & *sub pace*. In primo (ait) vivunt homines in tenebris ignorantiæ & secundum carnem. In secundo (*sub lege*) peccata quidem agnoscunt, sed nihilominus ab iis vincuntur, & captivi tenentur. In tertio *sub gratia*, cum Deus radios misericordiæ suæ in eos spargit, agnoscunt per fidem, se absque auxilio divino implere mandata non posse: incipiunt inde animari a Sancto Spiritu, & viribus amoris divini sibi inditis supra carnem eluctantur: verum restat in iis aliquid quod resistit, neque possunt ab infirmitate tota liberari; reguntur tamen fide, vivunt juste, & prava sua desideria amore boni superant. Succedit perseverantia, per quam in quartum statum, *pacis* nempe & *quietis* in Spiritu Sancto transferuntur, quæ hic inchoatur, sed in altera vita perficitur. Ad *dict. cap. VI.* v. ult. Apostolus (ait) sciens quam facile justi superbiant, & quam acri medio 2. Cor. XII, 7. ipse ab illo vitio retrahi debuerit, dignam sua vigilantia cautelam adhibuit. Cum ergo dixisset, *stipendium peccati mors* (de quo dubitari nequit, debetur enim ei ex merito) jam non, ut naturali modo sequi videbatur, subjungit, stipendium justitiæ *vita æterna*, sed *divina est gratia*: ne scilicet homo credat, se bona opera, quibus vitam æternam mereatur, ex suo habere peculio, & ne aliud medium ad vitam illam sibi fingat; addit igitur Apostolus: *in Christo Jesu Domino nostro*. Licet vero ea, quæ de operibus scribit Autor, ita capi possint, ut prævia gratia justi per opera vitam æternam mereantur; sensum tamen orthodoxum ex aliis verbis accipere posse videntur: sæpe enim thesin fundamentalem stabilit, quod salus nostra unice Jesu Christi meritis tribui debeat. Addenda sunt, quæ §. *30 ad cap. IX* commentatur, ubi scribit: *meritum fidei nostræ non impedit, quo minus donum gloriæ sit gratuitum. Ideo enim cum merito hujus generis gratiam suam Deus connectere voluit, ut sit gratia, & quidem infallibilis, fundata in omnipotentia Dei & merito Jesu Christi atque ex fide, ut sic ad servandam gratiam firma sit promissio seminis* Rom. IV. 16. *itaque non ut præmium debitum, sed ex*

pura misericordia, salutem accipiunt fideles. Addit, hoc ad solos electos pertinere; multos enim gratiam accipere, sed perseverantia carentes, nihilominus ad exemplum Israelitarum perire, qui in fœdus recepti, cadebant tamen in deserto. Ad *cap. VII, 17.* a multis suæ sectæ Doctoribus dissentit, & Augustini posteriori & constanti, ut refert, sententiæ (diversimode enim locum illum explicasse fatetur) adhæret, quod Apostolus, qui dicit, *peccatum in se habitare & operari*, non loquatur de statu suo *sub lege*, sed de statu *sub gratia*, idque evidentissime demonstrari ex verbis d. v. 17: *nunc autem* &c. Dein verba v. 24. cum dicit: *infelix ego homo &c.* ita explicat, ut sensus fit, infelicem esse ob luctam illam perpetuam cum inhabitante peccato, sed minime damnatum aut damnabilem; ideo enim Deo gratias agit v. 25. & cap. VIII. v. 1 concludit, non obstante illo malo (quod Paulus diserte peccatum, Romana Ecclesia fomitem vocat) propter gratiam tamen *nihil damnabile esse in iis, qui sunt in Christo Jesu.* Est igitur hæc apertissima veritas, nostris Theologis ab initio reformationis ad hæc usque tempora asserta. Videatur novissime *Summe Reverendus D. Spenerus* in paraphrasi hujus loci, concionibus anno 1677 Francofurti habitis inserta, & in opere excellentissimo adversus *Brevingium* Cap. III §. 26. 34. 35. Consentit Idem optime cum Autore in explicatione ejusdem versiculi, cum Paulus dicit, *se facere quod nolit.* Autor enim scribit: *vocabulum* facere *non significat voluntarie consentire peccato, sed motum concupiscentiæ involuntarium sentire.* Idem tradit D. Spenerus, allegans *Lutherum* in glossa marginali: facere *non significat mala perpetrare, sed concupiscentiæ motus sentire.* Taxat autem Autor quosdam e Reformatis, qui tertium quendam sensum verbis Pauli tribuunt, & ita ea explicant, ac si de peccatis a renatis & electis commissis Paulus loquatur, quæ putant cum fide consistere posse; quam interpretationem ut horrendam rejicit. Ad Cap. VIII, 28, ubi προθεσις sive propositum ab Apostolo allegatur, rejecta explicatione, qua quidam ad hominis convertendi intentionem vocabulum trahunt, electionem gratuitam & absolutã adstruit, adductis locis parallelis, quibus etiã accenset dictum Rom. IV, 5. ubi in vulgata adduntur verba: *secundum propositum gratiæ Dei.* Hic memor suæ professionis, vulgatam authenticam facit, sed addita ratione, quia a primis Ecclesiæ seculis in exemplaribus Latinis illa verba reperta fuerint, & in Græcis quibusdam MS. etiam hodie legantur. *Elegit nos Deus*, ait, *non quia sancti eramus, aut quod tales futuros nos esse prævidisset, sed ut tales fieremus, & quidem in Christo, ut membra ejus, aut adoptati in & cum Christo.* Item adducto loco Pauli Eph. I. ait: *sicut primum propositum Dei fuit, ut in Adamo monstraret, quid posset voluntas creaturæ cum gratia, ei veluti subdita: ita in secundo proposito sive opere suo, reparationis nempe, monstravit, quid posset gratia in voluntatem creaturæ, ut naturam hujus mutet, & divinæ voluntati absque læsione libertatis humanæ submittat.* Ad v. 29 dicti Cap. VIII, vocabulum *præscivit* explicat, ut propositum includat, & prædestinationi, quæ mox subjungitur, æquipolleat. Ad v. 36, quem electis applicat, de perseverantia agit, id est de dono illo Dei, absque quo cœlesti hæreditate nemo fruitur. Defendit autem *Tridentinum* decretum, quo anathema dicitur iis, qui aliter statuunt, & certitudinem salutis sibi promittunt, cum tamen certi non sint de dono perseverantiæ. Difficultates Capitis IX ita explicat, ut dicat, scopum Pauli esse, non ut agat de electione gentilium, aut reprobatione Judæorum, sed ut ostendat, neque Judæos neque Gentiles qua tales, electos aut reprobatos esse, sed eligi solum, ut credentes in Christum, i. e. spirituales Abrahami filios & fidei ejus imitatores. Hos vocat filios promissionis, & ab eorum electione omnia merita eorumque respectum excludit, & omnia Pauli in hoc capite allegata exempla & dicta eo applicat. De induratione Pharaonis agit §. 33, & Deum ab omni imputatione duritiei defendit, quod peccatorem illum pertinacem in sua malitia reliquerit, ejusque pœna ostenderit, nullam hostium potentiam & sævitiam electis suis ad adipiscendum finem obstare posse. Exemplum tamen illud neque ad electionem gentilium, neque ad reprobationem Judæorum trahi vult. Ad vers. ult. ubi dicitur: *omnis qui credit in eum &c.* vocem *omnis* explicat ex capite sequenti, ut intelligantur eligi tam ex Gentilibus, quam ex Judæis, & ita nullus sit nationum respectus. Eodem modo Cap. XI, 32 explicat verba: *ut omnium misereatur*, i. e. omnis generis hominum. Ad cap. X. hæc habet §. 35: *concludit Paulus Deum non esse causam perditionis reproborum, neque Judæorum neque Gentilium, & injuste a peccatoribus accusari: sibi enim ipsis imputare debere interitum suum, quia Evangelio Jesu Christi obedire noluerint*, & inde ex dictis Esaiæ

evidenter probatum a Paulo dicit, quod salus electorum tam Judæorum quam Gentilium a Deo veniat, perditio reproborum nullam aliam causam habeat, quam proprii cordis corruptionem & contemtum verbi & donorum Dei. Hæc ut verissima sunt, ita cum absoluto illo, quod Autor defendit, decreto reprobationis, sive particulari gratiæ oblatione, difficillime conciliari possunt. Ad Cap. XI prolixe refellit eos, qui ex hoc non nisi reprobationem Judæorũ & vocationẽ Gentilium asserunt; cum dicta Apostoli ad electionem omniũ prædestinatorum & derelictionem reliquorum, ut putat, pertineant. Scopum enim Pauli in capitibus IX. X. & XI (uti ad initium cap. IX §. 26 monuerat,) hunc format, ut opinionem meriti & prærogativæ Judæis quomodocunque consideratis, eximere voluerit. Sive enim (1) considerentur respectu Dei & in massa omnium hominum, nullam inter eos & reliquas nationes esse differentiam, sed a mera voluntate divina electionem eorum dependere. Si (2) considerentur ut Israelitæ, sive hæredes Isaaci & Jacobi, iterum apparere, gratuito electos esse; cum uterque Patriarcha, mero Dei beneplacito electus, & ille fratri Ismaeli, hic Esavo prælatus fuerit. Si (3) comparentur cum gentilibus, & ob Legem Moysis sibi concreditam superbiant, ne sic quidem habere, de quo glorientur, cum Lex ipsis occasio fuerit majoris peccati & incredulitatis, & secutæ vocationis gentium dudum eam ob causam prædictæ. Denique (4) si inter se comparentur, conversi nempe ex Judæis cum non conversis, hanc quoque differentiam ex gratia & misericordia Dei pendere, non ex operibus legis. In fine hæc habet: *Prædestinatio gratuita elucet ex tota Epistola, & in ea immotis fundamentis stabilitur. Inveniet illam ibi, quicunque in humilitate quærit, & suæ præsumtionis genio renunciat. Si quis autem supra mensuram fidei sese elevet, & conetur ad inaccessibile Lumen secretorum Dei appropinquare, is timeat, ne dum in altum eniti audet, præceps ruat & in profunditate scientiæ divinæ & abysso judiciorum ejus pereat. Hic est scopulus humani intellectus, quem Paulus sub finem dissertationis suæ de prædestinatione ostendit, & caveri jubet:* O altitudo divitiarum &c. Cap. XI 33. *Si igitur est vorago profunda, claudamus oculos curiositatis nostræ, & recedamus humiliter, ne in vertiginem rapiatur caput nostrum, si propius accesserimus. Caveat intellectus noster, ne capacem se credat divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei; caveat incom-*

incomprehensibilia judicia ejus, quæ æternam electorum & reproborum sortem constituunt: absit longe a nobis Theologia illa humana, quæ eorum comprehensionem tam facilem reddere & ad modulum rationis vult conformare. Si ininvestigabiles sunt viæ ejus, per quas Deus electos ad salutem æternam ducit, & ad illum scopum etiam voluntate corrupta reprobatorum uti novit, non restringamus eas ad gratiam, de qua voluntas hominis pro arbitrio suo disponat, & quæ alium usum & motum non habeat, quam qualem liberum arbitrium illi assignare velit, & quæ patiatur a creatura se determinari, cum ipsa debeat creaturam obligare, ut sequatur voluntatem Dei sui, & gubernari se sinat manu ejus suprema & omnipotenti. Recte utique omnia, quatenus Pelagianizantibus & curiosis frenum injiciunt, dummodo Autor doctissimus & facundissimus horridum absolutæ reprobationis decretum, & particularismum in offerendis mediis salutis inter arcana Dei non referret; cum aperte satis Sacra Scriptura propensionem ad media illa omnibus serio exhibenda declaraverit, & illam ipsam justitiæ *in vasa iræ* seu reprobatos demonstrationem, de qua Apostolus loquitur, non absolutæ determinationi Dei, sed hominum affectatæ renitentiæ imputet. Sed de hoc & de altero illo scrupulo, quomodo gratia non cogat, & tamen invincibiliter agat, disputandi hic non est locus. Reliqua Epistolæ capita, quibus cohortationes & consolationes potissimum continentur, brevius percurrit, & de fide salvifica egregie commentatur, ut de medio, quod Deus elegit, per quod nos membra corporis Christi faciat, in quo sanctificemur, & inter nos quoque mutuo nexu membra fiamus. Hoc est, ait, sacrificium corporum nostrorum, ut hostiæ viventis sanctæ & Deo placentis, quæ unienda est sacrificio corporis Jesu Christi, & in quo consistit cultus spiritualis & obsequium rationabile, quo separamur a corruptione universali, cui mundus immersus est, & vitam moresque nostros reformamus, *renovatione sensus nostri, probantes, quæ sit voluntas Dei bona & bene placens & perfecta.* Rom. XII. 2.

DISSERTATIO DE PLATONE, Dn. FLEURY TRACTATUI Gallico de selectu & methodo studiorum, qui præcedente mense pag. 317. seqq. enarratus fuit, annexa.

COnstat ex præfatione, hunc discursum de Platone jam anno 1670 compositum, & Parlamenti Regii Parisiensis Præsidis Primarii *Lamoignonii* filio inscriptum fuisse. Magnificis encomiis Platonem vulgo ornari & *divinum* vocari, satis notum esse ait Autor; miratur autem cur a paucis legatur, & a multis inutilis ejus lectio habeatur, causantibus, nil nisi allegorias & mysteria ab eo tradi, præterea & methodum negligi, dein ideas ejus & figmentum civitatis rideri potius, quam admirationi esse posse. Vix igitur aliquid nisi mysteria numerorum & intelligentiarum, aut harmoniam corporum cœlestium ex eo citari solere. Se vero, licet ab initio haut meliori opinione de illo imbutus fuisset, lectis ejus libris, solidissimũ & inprimis in doctrina morum excellentissimum deprehendisse asseverat. Nocuisse autem putat Platoni nomen Philosophi, quod plerique contemnant, & interpretes sensum ejus non assecutos. Fatetur se veteres Plotinum, Porphyriũ, Jamblichum & Proclum non legisse, notos autem sibi esse *Marsilium Ficinum* Italum, & *Johannem Serranum* Gallum; Versionem vero hujus, licet magis Latinam, minus putat fidelem esse, & ordinem librorum conturbatum ab eo tradit. Vitæ Platonis historiam ex *Diogene Laertio* & *Ficino* peti jubet, ipse tamen elegans ejus compendium exhibet. Doctrinam ad quatuor disciplinas reducit, *Logicam*, *Ethicam*, *Physicam & Metaphysicam*, & duas priores melius tractasse eum censet, Socratem magistrum feliciter secutum, qui teste Cicerone Lib. I. Quæstion. Academ. *primus Philosophiam a rebus occultis & ab ipsa natura involutis avocavit, & ad vitam communem adduxit.* Notat se lectis Platonis libris intellexisse, cur Dialecticæ nomen disciplinæ illi tribuatur, quæ veritatem per conversationes & colloquia familiaria indagandam docet; alia ratione quam in orationibus & declamationibus fieri solet, per quas mentibus & affectibus vincula quasi injiciantur. Logicam autem maxime disci posse ex dialogis Platonis qui *Theæteti*, *Sophistæ* & *Politici* epigraphen habent, dein & in *Euthydemo*, *Protagora*, *Hippia utroque*, quanquam & in iis qui *Menon*, *Laches*, & *Lysis* inscribuntur, & in aliis sparsim artis illius exercitia occurrant. Si vero cuidam nimius in his esse Plato videatur, eum cogitare debere, novam tum Logicæ disciplinam fuisse, & multa eguisse explicatione. Non negat tamen

tamen, videri posse, quod aliquando nugatus sit, & rebus inutilibus tradendis plus justo indulserit. Verum dubitat, an alii post eum, & nominatim Aristoteles, plus præstiterint; existimat potius Logicam Platonis efficaciorem & magis naturalem esse. Excelluisse autem eum tradit in morum doctrina. Neminem putat altius & solidius aut purius de integritate mentis, de contemtu opum, de amore erga alios & bonum publicum, docuisse; neminem constantius ad fugam voluptatum, ad contemnendos dolores & opiniones vulgi, & ex opposito, ad amorem veræ delectationis & supremæ pulchritudinis cohortari. Noviisse se, ait, quendam, qui lecto *Philebo* Platonis raptus veluti extra se fuerit, & tantummodo questus sit, quod hominum vires excedant quæ legerit, interim solidissimam esse ejus doctrinam confessus. Nullum juvenẽ tam ambitiosum & sui amantem esse posse, qui lecto primo dialogo, *qui Alcibiadis* nomen habet, non in se descendat; nec Poetam, qui viso tractatu de Republ. non multum sibi deesse deprehendat; neque Autorem, qui *Phædro* perlecto superbiam non deponat. Cæterum veram humilitatem, quatenus Christiana virtus est, illum latuisse, & quicquid summa cum eruditione & industria ipse & alii gentilium sapientes proponunt, longe infra Evangelii doctrinam esse, recte monet: accedere infamium amorum turpitudinem, cujus impudenti commemoratione justo Dei judicio in reprobum sensum dati libros etiam optimos contaminarunt. Excusat postea quædam Platonis paradoxa, v. g. de fœminarum communi, sed ad certũ tempus & leges restricto usu; cætera moribus populorum Lacædemoniorum inprimis accommodata, defendi posse putat. Moralia autem tractata ab eo esse notat in X Libris *de Repub.* XII de *Legibus*, in *Philebo*, in *Apologia Socratis*, in *Critone & Phædone*, duobus dialogis qui *Alcibiadis* nomen gerunt, item in *Gorgia* & in *Convivio*, aliisque quibusdam. *Menedemum* & *Phædrum* ab hac classe segregat, cum in illo nil nisi exagitatio parentationum reperiatur, in hoc vero de eloquentia agatur; ad Metaphysicam autem, quo eum Serranus retulit, minime pertinere. Ad Physicam refert *Timæum*, qui veluti appendix est librorum de Republica, & moralia principia ex cognitione naturæ adstruit, maxime ex doctrina de structura & sensatione corporis humani, item *Critiam*; censet tamen inter Platonis scripta minoris omnibus aliis æstimandam

mandam esse Physicam, quam nec a magistro suo Socrate didicerit, (hic enim eam neglexerat) sed Pythagoram secutus, mixtisque Socraticis ratiocinationibus ad moralium exemplum & convenientiam omnia reducere cupiens, magistri errorem incurrerit; ad causam supremam & Spiritum omnia gubernantem investigandum, supra captum humanum inani curiositate frustra enitens. Aristotelem tamen ob simile vitium reprehendi posse existimat. Interim præpostera hominum studia & judicia notat, qui Platonem, quem in moralibus sequi debuissent, in ea parte, qua minimum præstitit, in Physicis nempe sequi maluerint; id quod ex Philosophorum qui Platonici vocantur, opinionibus apparere contendit, qui Platoni, ut infallibili, sine judicio crediderint. Pessimos autem ex eo genere fuisse notat, qui in primis Christianismi seculis Platonicorum & Socraticorum nomen affectaverint. Ad Metaphysica progrediens, tradi illa a Platone memorat simul cum Logicis, maxime vero in Parmenide, quem tractatum minus utilem habet Autor, neque tamen deprehendisse se in eo aut ullo alio dicit *Ideas separatas a Deo*; putat autem illum ad originale illud, æternum & immateriale, a quo omnia producta sunt, respicere voluisse. Eloquentiam ad summum gradum ab eo perductam esse censet. De duabus methodis, *Geometrica*, quæ per propositiones & conclusiones nudam veritatem elicit, Aristoteli observata; & *Oratoria*, quæ persuadere vult, & huic affini *dialogistica* pulchre disserit. Postremam a Platone electam esse notat, ideoque fere semper Socratem introduci viva voce docentem (nihil enim scribere solebat) ita ut Platonis prope nulla fiat mentio, nec nisi ex traditione constet, libros hos ei deberi. Animadvertit etiam, non omnia ficta esse in dialogis, sed plurima revera ita dicta, quanquam libertate digressionum & verisimilitudinum aliquando utatur; qua tamen semper lectores vel instruat, vel delectet aut excitet. Interim Geometricam methodum exacte definiendi & probe dividendi, ipsi satis cognitam fuisse non dubitat, licet eam stylo oratorio sive dialogistico & dialectico involverit, & ornaverit. Observat postea, singulos tractatus sive dialogos per se absolvi, neque cum aliis connecti aut in unum corpus coalescere, quod Serranus frustra quæsiverit. *Timæum* tamen & *Critiam* cum libris de *Justitia* sive de *Republica* cohærere non negat; differre autem ab illis

illis, qui ideas civitatis, quæ nunquam fuit nec futura est, repræsentant, monet Libros de legibus, in quibus trium celeberrimarum urbium in Græcia cives colloquuntur; iisque accenseri posse eum qui dicitur Epinomis. *Theæteto*, *Sophistæ & Politico*, qui magnum tractatum Logicum constituere possunt, quartum aliquem accedere debuisse arbitratur, in quo Philosophus definiretur, sicut in prioribus Sophista & Politicus. Discursuum Platonicorum differentiam jam alii notarunt, quod alius sit μαιευτικὸς, in quo eliciantur auditorum sententiæ, quod obstetricari vocavit Socrates, ad matris suæ, quæ obstetrix fuit, artem alludens: alius πειραστικὸς, *examinatorius*, quem tamen parum a priori differre judicat Autor: alius ἐνδεικτικὸς, *demonstrativus*, ad exagitandos alios & ἀναιρετικὸς seu *destructivus* ad errores subvertendos. De stylo tandem Platonis paucis agit, eumque & elegantiam Isocratis, & vim Demosthenis, & decorem Poetarum continere ait, adeoque Græcis omnibus, licet styli magistris, præferendum esse. Addit quædam ad excusationem Platonis adversus censuras Patrum Ecclesiasticorum, v. g. Chrysostomi, qui eum in præfatione in Matthæum acriter taxat; sed *Florius* argumenta illa (utique non spernenda) non solum Platoni, sed omnibus Philosophis opponi posse observat, maxime etiam Aristoteli, qui melioribus principiis non utatur, nec in physicis, nec in moralibus; & de Deo minus bene, quam Plato sentiat: unde & illo relicto, quidam ex vetustioribus Ecclesiæ doctoribus Philosophiæ adhuc dediti, maluerint Platonem quam Aristotelem sequi. Cum vero pagani ejusdem Platonis sectatores, Christianos extreme odissent & infestarent, primis tribus aut quatuor Ecclesiæ seculis; mirandum non esse, quod Patres Ecclesiastici, ad refutandos illos, ipsum Platonem, veluti eorum principem aggressi fuerint. Nullum igitur defectum a Christianis doctoribus illi objectum a se defendi, cum communes sint cum omnibus profanis scriptoribus; interim autem insignes ejus dotes non esse dissimulandas, respectu tamen semper ad excellentiorem Christianorum Philosophiam sive Ethicam habito. Subjungit igitur per modum epilogi, quæ utilitas ex lectione Platonis percipi possit, in Eloquentiæ, itemque in Logicæ & Poeseos studio, & in doctrina morum maxime, ad commoda civium & Reip. formandorum: Physica ve-

ro & Astronomica saltem historiæ causa evolvi posse, ut de veterum opinionibus constet. Reperiri etiam aliqua valde notabilia ex antiquitate Græca, præsertim de religione & Theologia gentilium fabulosa, quæ aliquam umbram sacrarum historiarum referant, superstitione & errore populari corruptarum; ex quibus tamen aliquid ad intellectum historiæ sacræ sive Moysaicæ colligi posse existimat, sed explicationem hujus suæ observationis ad colloquia differt. Hæc sunt præcipua hujus dissertationis contenta, quæ lectoribus non ingrata futura esse speramus. Specimen, quod annectit, paucis pagellis constat, versio nempe alicujus partis ex Dialogo, qui *Theætetus* inscribitur, & colloquentes sistit *Socratem* Philosophum, & *Theodorum* hominem ex populo. Tractatur autem in particula excerpta de magna differentia morum Philosophi & hominis forensis.

EPITOME LITERARUM Dn. AMONTONS AD Dn. Regis scriptarum, de invento noviter Hygrometro quodam.

Translata ex Ephem. Erud. Parisiens. die 8. Martii 1688, pag. 245.

ECce novam methodum Hygrometrum construendi, quam anno proximo adinveni, quamq; mense Augusto exhibui Academiæ scientiarum Regiæ membris, a quibus comiter admodum suscepta est. Eandem Tibi communico rogans, ut vestris inseratur ephemeridibus. *Figura I* repræsentat Hygrometrum conformatum ad illius similitudinem, quod Academiæ transmisi: *II* idem sistit in statu ad
TAB. VII. Fig. I. quem postmodum illud reduxi, & in quo permanebit, quantum hactenus apparet. *AB* in *Fig. 1.* designat canalem vitreum, crassitiem duodecimæ pollicis partis intus habentem, & 34 prope pollices longum. Ab una ejus extremitate pyxis est vitrea *AG*, unum pollicem crassa, iis non absimilis, quales in barometris fieri solent. Ab altera parte sphæra est itidem ex vitro *B*, diametro 1 pollicis cum $\frac{1}{4}$ aut $\frac{1}{2}$, conveniens cum illis, quas Thermometra habent, nisi quod perforata sit in *C*. Hæc ipsa sphæra inclusa est alii largiori *CDEF*, quæ ope masticches firmiter adglutinata est ad canalem *AB*

circa

TAB. VII. ad A. 1688. pag. 374. seqq.

Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 4.




Fig. 6.





Fig. 5.



circa *E*. Fieri hæc posterior sphæra potest ex ligno fagino, ex cornu item aut corio. Cognovimus tamen experimentis mediantibus, quæ hac de re instituit *Dn. Hubinus*, operis encaustici artifex Regius, in universum ex corio eas commodius confici, quam ulla alia materia. Et corium quidem, quod huic fini aptissimum judicavi, sunt pelles vervecinæ, solito coriariis modo maceratæ & subactæ (*de la basane, qui a eté mise au tan*) eo quod hæ & moduli figuram facile assumunt, & congruam habent densitatem, humiditati quoque siccitatique suscipiendæ perquam accommodæ sunt, prout experientia nos edocuit. Tota hæc sphæra coriacea *CDEF* mercurio plena est, perinde ac pars alterius bullæ *B*. Reliquum hujus dimidium, ut & aliqua pars canalis *AB*, impletur liquore quodam macro & congelari nescio. Residuum canalis & dimidia pyxis *A*, plena sunt liquore pingui & leviori, quam prior ille. Spacium pyxidis reliquum non nisi simplicem continet aerem, cui communicatio cum aere extrinseco patet per foramen *G*, quod ad præcavendam nimiam evaporationem arctum satis fieri debet.

Hygrometrum hoc perinde ac sequens aptatur limbo ligneo, in gradus diviso, quales Thermometris applicari solent. Operatio ejus hæc est, ut indicet eo loco, ubi liquorum canalem *AB* replentium unus ab altero sejungitur, gradus siccitatis & humiditatis in aere obvios. Hæc ipsa enim separatio multo altius in tubulo contingit tempestate sicca, quam humida; & e diverso eo humiliore in loco fit, quo major est humiditas; id quod inde accidit, quia durante humiditate capacitas sphæræ *CDEF* grandior est, quam tempore sicco, eo quod corium illic semet expandit, hic autem constringit, quodque posteriori casu pars liquoris in bulla *B*. contenti inde exprimitur, ac rursus illuc subintrat, quando humiditas capacitatem sphæræ *CDEF* dilatari facit.

Quantum ad *Fig. 2*, *AB* exhibet canalem vitreum 35 aut 36 pollices longum, ejusdem crassitiei, qualis erat in figura prima. Apertus est in *A* & in *B*. Desinit in bullam vitream non exacte rotundam, sed quadantenus velut compressam, (*boule de verre écrasée*) duobus foraminibus introrsum porrectis *CD*, quæque nonnullam similitudinem habent cum atramentariis istis vitreis figura cylindrica, quorum bases versus interiora depressæ sunt. Diameter hujus bul- TAB. VII. Fig. 2.

læ est duorum circiter pollicum. Includitur hæc alii coriaceæ, quæ similis ei est, quam figura prima descripsit. Utraque harum bullarum plena est mercurio, nisi quod vitrea tantam una continet quantitatem liquoris ex aqua forti & aqua simplici compositi (*d'eau seconde,*) quanta opus est ad materiam canali suppeditandam tempore summæ siccitatis, ne alias mercurius istuc subintret.

Posterior hæc methodus suis gaudet commodis, quorum potissimum est, quod hygrometra sic fiunt portatilia, ita ut facile transmitti peregre valeant. Cæterum adeo sensibilia sunt talismodi hygrometra, ut vel sola halitus manusve humiditas notabiliter descendere faciat liquorem ad 1, 2, aut 3 pollices circiter, prout aer tunc magis minusve humidus est. Curiosi talia ad utrumque modum elaborata reperient apud celebrem *Dn. Hubinum*, qui omnem impendit operam recentioribus inventis secundandis.

CONTENTA EPISTOLÆ CUJUSDAM DOMINI Amontons, de constructione novi Tubi ad faciendum Vacuum in altitudine perpendiculari tam exigua, quam placuerit.

Translata ex Ephem. Erud. Paris. d. 10. Maji. 1688. pag. 394. seqq.

DOminus *Amontons* non ita pridem nobis largitus est novum hygrometrum, de quo dictum est in ephemeride diei 8 Martii præsentis anni; ulterius inde provecta ejusdem curiositate, constructionem adinvenit novi alicujus Tubi pro Vacuo producendo in altitudine perpendiculari quantulacunque, ope solius gravitatis Mercurii aliusve cujuscunque liquoris.

Videtur hæc propositio primo intuitu nonnihil paradoxa, & credet forte quispiam, ipsum in speculatione sua falli, aut destruere systema de pondere aeris. At vero neutrum facit. Experimentum quippe rei, quam proponit, exhibuit in præsentia Academiæ Scientiarum Regiæ; ac tantum abest, ut illud ipsum evertat systema ponderositatis atmosphæræ, ut potius isti systemati superstructum sit, prout ex progressu hujus discursus apparebit.

Dum

Dum Tubi illius figura variat pro diversitate liquoris & altitudinis datæ; ad faciendum ita Vacuum dividitur altitudo liquoris dati, cujus pondus æquale est gravitati totius atmosphæræ, per altitudinem perpendicularem datam ad producendum vacuum. Post- Tab. VII. ea tot assumuntur canalis rami, uti *CB*, quot unitates proveniunt Fig. 3. in quotiente post factam divisionem, qui inter se conjunguntur ope aliorum ramorum, qualis *CD*. Et priores quidem illi rami liquore dato replentur, alteri vero aere taliter rarefacto, ut elaster aeris in his ramis contenti & pondus columnarum liquoris præcedentium simul juncta, æquipolleant gravitati totius atmosphæræ.

Exempli causa, si altitudo proposita ad faciendum vacuum sit 14 pollicum, liquor vero datus mercurius; noster dum per experientiam novit, 28 mercurii pollices æquilibrium atmosphæræ facere, dividit 28 per 14. Quotiens emergit 2. Sumit itaque duos ramos, uti *BC*, nempe *BC*, *DE*, quorum uterque non nisi datam altitudinem 14 pollicum habet. Horum unum alteri connectit per alium ramum, velut *CD*. Hinc tubum hunc implet sic, ut extremitate *F* hermetice sigillata & extremitate *A* aperta, elaster aeris inclusi in ramo *CD*, computata simul gravitate columnæ mercurii *BC*, æquivaleat ponderi atmosphæræ.

Hoc supposito, Dominus *Amontons* ait, si altitudo perpendicularis sit 14 pollicum, extremitas *F* hermetice sigillata & extremitas *A* aperta, vacuum fieri debere in *FE*. Tum enim solum pondus duarum columnarum mercurialium *BC*, *DE* sufficit ad æquilibrium cum atmosphæra, quam repellunt in *A*, perinde ac si una super alteram staret; quo casu unicam formarent columnam mercurii 28 pollices altam; id quod satis est, teste experientia, ad vacuum efficiendum in tubis ordinariis, & per consequens in hoc etiam.

Si altitudo data foret 7 modo pollicum, quatuor rami caperentur, qualis *BC*, qui conjungendi essent invicem per tres alios, qualis *CD*. Quod si altitudo data non posset dividere altitudinem liquoris dati gravitati atmosphæræ æquivalentem, quin residuum quid maneret, tunc oporteret residuo huic æqualem facere primum ramum *BC*, reliquos vero ramos secundum altitudinem requisitam. Exempli loco, si proponatur, vacuum facere ope mercurii 8 pollices alti, noster dividit 28 per 8; quotiens erit 3 & residuum 4. Ra-

mum ergo *BC* 4 modo pollices altum efficit, cæteros vero ramos, uti *DE* 8 pollicum. Tubos hos commoditatis gratia vitreos esse oportet.

Dominus *Amontons* ex uno talismodi tuborum Barometrum construxit, quod non nisi 14 pollices in altitudine habet, implendo partem *DG* oleo tartari colorato, & partem *CG* oleo petrolei, uno alteroque horum prius purgato ab omni aere in Vacuo. Separatio utriusque horum liquorum ipsi indicat in tubo *CD* varias aeris mutationes, quoad ejus gravitatem.

EPISTOLÆ SAMARITANÆ SICHEMITARUM ad Jobum Ludolfum, S. Cæs. Majest. & Sereniss. Ducum Saxon. Consiliarium, cum ejusdem Latina Versione & Annotationibus. Accedit Versio Latina persimilium literarum, a Sichemitis haut ita pridem ad Anglos datarum.

Cizæ, apud Bielckium, 1688, in 4.

SAmaritanam gentem Judæis exosam, Christo æque caram ac cognatos Judæos fuisse, ex colloquio cum muliercula Samaritana, Evangelista autore, manifestum est. Exemplum Christi imitati omnibus seculis Christiani sunt, & Samaritanos adeo non contemserunt, ut privilegiis etiam aliquando, quod ex Codice Theodosiano constat, non indignos habuerint. Hoc Christi & veterum Christianorum institutum movit etiam nostra & patrum memoria cordatissimos viros, ut de literario cum Samaritanis commercio cogitarent, quo non modo cetera gentis, sed cumprimis etiam religio & sacra accuratius, quam vulgo novimus, ex illorum confessione cognoscerentur. Josephus Scaliger primus inter Europæos fuit, qui literis hoc hominum genus salutavit, eosque ita permovit, ut gemina eidem epistola responderent; quamvis in eo infelix fuit senex optimus, quod nunquam in ipsius manus hæ epistolæ venerunt, quas diu, nescimus quo fato, detentas longo tandem post obitum Scaligeri intervallo Aquensis Senator Peyrescius invenit, a quo illas Morinus, Congregationis Oratorii apud Parisienses Presbyter, accepit Latineque vertit, sed itidem iniquius fatum subituras. Authenticæ enim epistolæ in Regiam Bibliothecam delatæ, aut potius occultatæ dicuntur, unde identidem ad describendum requisitæ impetrari non potuerunt: Versio Latina mortuo Morino in scriniis Collegii, in quo vixerat, diu latuit, donec a studioso harum deliciarum reperta, una cum aliis quibusdam doctorum virorum de re Samaritana epistolis, quas idem Morinus reliquerat, in Anglia A. MDC LXXXII publicaretur, quem librum in Actis ejusdē anni mense Junio pag. 176 recensuimus. Verbosiorem epistolam a Sichemitis Angli non ita pridem impetrarunt, curante Roberto Huntingtonio, qui in Orientem profectus persuasit Samaritanis, ejusdem sectæ & religionis homines in Anglia versari; quod eo facilius homines ignari rerum Occidentis crediderunt, quo majori admiratione illum & scribere Samaritice & intelligere cognoverunt. Tertium commercium instituerunt iidem Samaritani cum summo viro Jobo Ludolfo, humaniter ab ipso ad hoc præstandum invitati. Cum enim Judæus Hebronensis, genere Lusitanus, anno Christi M DC LXXXIV in Germaniam venisset, stipem pro pauperibus suæ gentis Amstelodami & alibi petiturus; hic Polyhistor statum Orientalium & Samaritarum Sichemi degentium percontatus, non potuit ingenio suo, rerum harum cupidissimo temperare, quin schedulam Hebraica lingua, sed charactere Samaritano ad Sichemitas huic Judæo daret, qua ea perquireret, ad quæ binis literis eodem argumento, post triennium in Germaniam allatis, ex parte responsum fuit. Bis scripsisse eandem rem videntur, ut si forte una epistola in via periret, altera servata ad eum perferretur, cui utramque destinaverant. Earum non aliud fere argumentum est, quam quo usi sunt ad Scaligerum, & ex longo intervallo ad fratres suos, ut credebant, in Anglia commorantes. Profitentur se veros Israelitas esse ex posteris Josephi patriarchæ, ex tribubus Menasse & Ephraim, uti etiam ex filiis Levi: habere Pontificem ex posteris Aaronis, & quidem a Pinehaso nepote illius continua successione oriundum: Legem Mosaïcam majori cura, quam Judæos, in sabbatis & festis diebus, in circumcisione, in lotionibus & aliis partibus observare: nomen quoque Tetragrammaton aliter ac illos enunciare. Ceterum solam Legem Mosis agnoscere, rejectis ceteris libris, quos sacros habeant Judæi: montem Garizim ex prisca traditione venerari, ibi-

ri, ibidem sacra solenniora peragere, nec aliis locis precari, nisi facie ad hunc montem obversa. Gloriantur Patriarcharum, quæ possideant, sepulcris, & antiquissimo quodam Legis codice, quem ab Aaronis pronepote, anno tertio decimo ab Israelitarum in Palæstinam reversione conscriptum credunt. De Anglis queruntur, quod eleemosynam rogati nihil responderint, eandemque impensius in his ipsis epistolis rogant, modumque declarant, quo tuto ad se deferri possit. Has nactus epistolas vir de Orientis literatura meritissimus, typis Samaritanis cum Latina versione exscribendas dedit Christophoro Cellario, quem cumprimis in hoc literarum genere versatum esse ex Horis ejus Samaritanis, A. M DC LXXXII publicatis intellexerat, quibus non modo Excerpta Pentateuchi Samariticæ Versionis cum utilissimis Notis ac Glossario, sed novam etiam & longe uberiorem, quam vel Morini vel Castelli est, hujus linguæ Grammaticam dedit. Adjecit Epistolis ipse Ludolfus præter Versionem Latinam breves, sed eruditas Annotationes, quibus paucas quoque Cellarius, illo jubente, ita inseruit, ut tam charactere, quam addito nomine suo a Ludolfianis distinguat. Accedit Latina Versio Epistolæ ad Anglos Samariticæ adhuc inedita, cujus authentiam frustra Ludolfus requisivit, ut ex clarissimi Bernardi literis, præfationi subjunctis, manifestum est. Cum vero officinarum typi a manu scriptis literis non uno modo differant; inscriptiones Epistolarum eadem forma, qua in autographis visuntur, æri incisæ exhibentur, ut vera & genuina hodiernorum Samaritarum scriptura a quolibet dignosci, & cum aliis varie vulgatis conferri possit. Stylus Epistolarum ut plurimum Hebraicus est, sed ita, ut Chaldaismi & Arabismi immisceantur. Respondit his literis celeberrimus Ludolfus, cui eam felicitatem apprecamur, ut mutuas & longiores & totum statum ac religionem gentis explicantes, quemadmodum singula perquisivit, propediem recipiat, & cum Eruditis sua Versione ac Notis illustratas communicet.

CHRISTOPHORI CELLARII COLLECTANEA Historiæ Samaritanæ, quibus præter res Geographicas tam Politia hujus gentis, quam Religio & Res literaria explicantur.

Cizæ, sumtu Bielckii, 1688. in 4.

Cum

Cum Horas suas Samaritanas Autor clarissimus evulgaret, constituerat brevem quoque historiam gentis Samariticæ adjungere, a quo illum proposito cum alia adhuc negotia, tum inprimis rerum Samariticarum difficultas, utpote fere intactarum ab Historicis, revocaverunt. Posteaquam vero amplissimus Ludolfus tam insignes ab Sichemitis epistolas accepit, de novo Autor excitatus fuit ad persequendum illud, quod antea animo suo molitus fuerat. Sed nec tum expedite in hoc stadio decursum fuit, cum ubique hiatus invenirentur satis magni, & sterilitas Historiarum in rebus Samariticis negaret spem continuandi ordinis & narrationis nunquam interrumpendæ. Quæ causa fuit, ut sententiam mutaret Autor, nec amplius historiam connexa serie conscribere, sed Collectanea tantum sua Samaritanæ Historiæ in lucem edere apud animum constitueret, eo fine, ut & alii conferant, quæ hujus argumenti invenissent, & plenior vel tandem componi possit historia Samaritanorum. Hæc vero Collectanea sua in *quatuor capita* distribuit, quorum *primo* pertractat, quæ ad Geographicam hujus gentis notitiam pertinent, id est nomina, originem, ornamenta & incrementa, nec non duriora fata præcipuarum urbium Samaritanæ regionis, etiam originem Cuthæorum, & varias Samaritarum colonias. *Secundo* statum illorum Politicum recenset, qualis sub Assyriis, Persis, Græcis, Ægyptiis & Syriacis regibus, etiam sub Hasmonæis & Romanis fuerit, maxime sub Christianis Imperatoribus, quorum leges quoque de Samaritis latæ explanantur. *Tertio* agit de religione & sacris illorum, de Messia Ephraimi filio, quem ex Rabbinorum quoque testimoniis declarat; de idolis Cuthæorum, Succot Benot, Asima & ceteris: de templo montis Garizim, de schismate ipsorum Samaritarum & Dositheana secta, de odio Judæorum adversus Samaritanos, de hodierno illorum in monte Garizim cultu, & quæ similis his argumenti plura sunt. *Quarto* denique enarrantur, quæ de illorum re literaria, hoc est de literarū tum figura tum antiquitate, etiam de Linguæ genio & mixtura, uti etiam de libris, quos possident, vel ab ipsis tradita, vel aliunde ab eruditis observata diligentissimus Autor coquisivit, quo ipso non ingratam operam iis locatam esse confidimus, qui curiosius Epistolas Sichemitarum, modo recensitas & laudatas, intuebuntur atque perlegent.

HISTOIRE DES DEUX CONQUERANS TARTARES, qui ont ſubjugué la Chine: par le R. P. Pierre Joſeph d' Orleans de la Compagnie de Jeſus.

id eſt,

Petri Joſephi Aurelianenſis, Soc. Jeſu, Hiſtoria duorum victorioſorum Tartarorum, qui Chinam ſubjugarunt.

Pariſiis apud Claud. Barbin, 1688, in 8.

CUm ex relationibus *Miſſionariorum*, quos vocant, duo potiſſimum cognoſcantur, nempe vel res religionem concernentes, vel ad ſitum & naturam geſtaque nationum ſpectantes; priores ab illuſtri quodam Viro Eccleſiaſtico in Gallia, non ſine auſpiciis regiis curari indicat Autor; alteram vero rerum partem ſibi tractandam ſumſit, ejusque laboris ſui ſpecimen haud ſpernendum hoc tractatu exhibet, quem in duas partes diviſit. In *prima*, ex relationibus Jeſuitarum *Martinii*, *Rougemontii*, *Greslonii*, maxime vero *Adami Schallii* (poſthabitis quæ *Palafoxius* Hiſpanus ſcripſit,) hiſtoriam Tartaricæ expeditionis in Chinam ſive Sinam præmittit, qua oppreſſa regum indigenarum familia, quæ *Taimmingenſis* vocabatur, imperium Sinæ ad Tartaros pervenit. Auſus id eſt Tartarorum rex *Sunté*, a Sinenſibus quidem ipſis, inter ſe digladiantibus, in auxiliũ vocatus, ſed vix ingreſſus regnum obiit, relicto filio *Chunchi* ſex annorum puero. Altius hæc repetit Scriptor, & antiquam Tartarorum irruptionem, quæ anno 1281 accidit, & annos ſexaginta duravit, breviter exponit; ſed præcipua primæ partis materia eſt regnum illius *Chunchi*, quem A. 1644 *Amavanus* patruus & tutor in thronum Sinenſium evexit. Is defuncto patruo anno 1651, quatuordecim licet annos tantum natus, ſed jam maritus, vaſtiſſimi regni habenas magna virtute & ſapientia, quam vix ſatis laudare poſſunt ſcriptores, regendas accepit. Erat tunc in regia Sinarum Pequinenſi, is quem dixi *Schallius*, Jeſuita Germanus, Colonienſis, regibus indigenis jam ante ob Aſtronomiæ, quam gentes illæ magni faciunt, ſcientiam charus & honoratus; ſed a novo rege Tartaro augmentum

gmentum honoris renitens licet accepit, præſes mathematicorum conſtitutus. Illa dignitate, quæ inter primarias regni habetur, ad ſingulare Imperatoris juvenis commodum egregie uſus eſſe dicitur, ſalutaribus monitis eum inſtruens, & ſimul Chriſtianiſmum in provinciis illis promovens. Refertur inſigne Imperatoris cum *Schallio* de religione colloquium, ex quo haud levis ſpes concipi p. 118. ſqq. poſſe videbatur, convertendi aliquando ad fidem Chriſti Imperatoris. Verum non multo poſt ſubverſa illa fuit, fœminæ cujusdam, quam is deperibat, occaſione, tum ipſius paulo poſt ſecuto obitu ætatis anno 24, i. e. *anno Chriſti 1661*. Mortuo autem illo, Jeſuitæ & ſacerdotes atque miſſionarii omnes aut regno pulſi, aut in vincula conjecti fuerunt, in quibus etiam *Schallius* vitam finiit. Sequitur *Parte II* hiſtoria *Cambi*, quem pater *Chunchius* filium & ſucceſſorem reliquit octo annorum puerum. Hic quoque a magnis virtutibus & maxime ab humanitate & juſtitia laudatur, & utriusque memorabilia exempla afferuntur. Omnia vero Jeſuitarum elogia meruit, cum ad conſtituendum temporum calculum aſtronomicum (cujus magna cura in illis regionibus habetur) tres ex Societate, nempe *Ferdinandum Verbieſt* Flandrum, *Ludovicum Brulium* Siculum, & *Gabrielem Magellanum*, Luſitanum, in aulam accerſeret. Ex his *Verbieſtum* tanto affectu complexus eſt, ut ab eo rogatus Chriſtianorum ſacra reſtitueret, ſacerdotes ejectos revocaret, perſecutores puniret, & Schallii memoriam publico diplomate honoraret. Addiderat quidem edictum, quo prohibebat, ne quis poſthac Chriſtianus fieret, ſed id potius ad placandos idolorum ſacerdotes, & quæ illis adſtipulabantur fœminas regias, feciſſe viſus eſt, nec executio edicti ſequuta fuit, licet ſtatim eo quo publicatum fuit anno 1611, viginti hominum millia Chriſto nomen dediſſe perhibeantur. Narratur inde bellum a magnate quodam Sinenſi *Uſangueyo*, qui primus Tartaros in Sinam evocaverat, Imperatori anno 1672 illatum, & quomodo in maximis licet turbis & deſolationibus, nihilominus res Jeſuitarum *Verbieſti* interceſſione ſervatæ aut reſtitutæ fuerint; Imperator etiam omnium hoſtium victor denique evaſerit. Subjungitur relatio itineris ſumtuoſiſſimi & moleſtiſſimi, ab Imperatore in Tartariam Orientalem, avitum regnum, anno 1682 ſuſcepti, aſſumto in comitatum, qui 70 millia hominum continebat, & benigniſſime

gnissime tracta to *Verbiesto* & socio ejus *Grimaldo*. Iter hoc erat *milliarium mille & centum*, ad Tartariæ urbes *Kirin & Ullam*, quæ olim regni sedes fuerat. Venationis, qua Imperator toto itinere
pag. 227. utebatur, suetum regibus istis genus describitur, quo absque retibus & plagis, aliquot hominum millibus circuitum facientibus, feræ in arctum compulsæ tandem capiuntur. Successit aliud iter in Tarta-
pag. 246. sqq. riam occidentalem anno 1683 ab eodem Imperatore, & comite *Verbiesto* institutum. Conferantur, quæ de utroque illo itinere ex Verbiesti literis in Actis nostris A. 1686, mense Majo, pag. 259 memoravimus. Vastissima illa Tartariæ regio in 48 provincias distributa, & aliis Tartarorum gentibus & Moscovitis contermina esse memoratur, nullis urbibus aut vicis habitata. Incolæ enim licet numerosissimi, non nisi tentoriis utuntur, & neglecta agricultura, ex lacticiniis & carne animalium, quæ alunt aut venantur, vivere solent, multaque cum prudentia in obsequio continentur. Multa notat Autor de sacerdotibus Tartarorum, quos *Lamas* vocant, aliis a *Bonziis* Sinensium, & de eorum summo quodam Pontifice, qui in regno *Tibetano* habitat, ex relatione *Gruberi* Jesuitæ, qui diu in illis Asiæ partibus versatus est. Illum Pontificem Autor putat *Presbyterum Johannem* esse, quem olim scriptores imperiti in Æthiopia collocaverint. Ex *Lamarum* vero cœlibatu, jejuniis & ritibus monasticis colligit, Christianam quondam religionem in nationibus istis viguisse, sive primis Ecclesiæ seculis, sive a Nestorianis, ut *Thevenotus* conjicit, introductam. Differit inde de celebri illo muro, qui Tartaros & Sinenses disterminat, eumque septem illa decantata mundi miracula longe superare existimat. *Verbiestus* testis oculatus alicubi eum mensus, mille & triginta septem pedibus geometricis
pag. 256. supra horizontem exaltatum esse deprehendit, quod & per se admirandum est, & prodigii loco vel ideo haberi potest, quod aqua, lateres, calx, & omnis alia materia in regiones plane aridas & montosas incredibili labore subvehi debuerit. Tot præterea flexus pro situ montium habere dicitur, ut triplo longior sit, quam si recta linea duci potuisset. Montes etiam innumeros eosque altissimos in illo terrarum tractu invenit *Verbiestus*, & quendam ex iis emensus, altitudinem cum mari, qua Pequino Sinarum regiæ proximum est, collatam, trium millium passuum Geometricorum reperit. Non

pauca

pauca inde adduntur de propensione *Cambi*, Imperatoris hodie adhuc imperantis, ad Christianismum sive ad Jesuitas. Neque tamen sperari posse putat Autor, ut alio modo quam connivendo Christiana sacra stabiliat, aut edictum illud prohibitorium aboleat. Interim magna indulgentia Christianas ceremonias tolerari narrat, in exequiis potissimum, quæ prælata cruce & comitantibus aliquando bis mille hominibus cereos gerentibus celebrari soleant, & quod Imperator ex more gentis elogiis (quæ duobus tribusve verbis constant) defunctos Jesuitas honoret. Omni vero studio hi favorem regium ambiunt, non saltem operam in scientia mathematica præstantes, sed & aliis quibus possunt modis, v. g. cum tonsuram capillorum, quam Sinenses ut summam servitutis notam abominantur, jubentibus Tartaris lubentes admittunt, & adorationes, etiam in pompis Tartarorum funebribus aliisque non recusant, & si quid aliud ad demerendos barbaros conducere arbitrantur. Additur libello appendix *de obsidione & liberatione* celeberrimæ urbis *Goæ*, Lusitanorum in insula Indici littoris coloniæ. Novum enim dominatum in finibus regni Mogolitani *Sevagius* quidam, a Rege *Visapuritano* deficiens, constituerat, qui *Suratam*, notissimum Europæorum commercio emporium, haut ita pridem invasit & diripuit. Hujus filius non minoris audaciæ *Sambagius* A. 1683 Goam obsidione cinxit, & cepisset, nisi exercitus *Aurangzebi* Mogolorum Monarchæ, adversus *Sambagium* missus, urbi salutem peperisset. Refert ista Autor ex literis mense Januario 1685 *Goa* scriptis, & liberationem, ita judicante Gubernatore urbis, intercessioni Francisci Xaverii, qui ibi sepultus est, adscribendam censet.

HISTOIRE D' UNE DAME CHRETIENNE DE la Chine. i. e.

Historia fœminæ cujusdam Chinensis Christianæ; cujus occasione etiam de moribus gentis, de stabilimento religionis, de institutis Missionariorum, & de exercitiis pietatis novitiorum ejus regionis Christianorum tractatur.

Parisiis, apud St. Michallet, 1688. in 12.

LIbelli hujus, qui Historiam Tartarico-Sinensem haud incommode sequi posse videtur, auctorem *Philippum Couplet e Soc. Jesu* esse, cui inter alios Confucii Sinarum Philosophi editionem, in Actis nostris mense nupero Majo pag. 254. seqq. recensam debemus, verosimile est, & intrepide a clarissimo Basnagio in novis Eruditorum Ephemeridibus (*Histoire des Ouvrages des Sçavans*) quæ Roterodami ab aliquo tempore divulgantur, mense Febr. 1688. pag 127 affirmatur. Fœmina cujus in eo vita describitur, avum habuit *Paulum Siù* Christianum, qui sub initium hujus seculi in aula *Vanliei*, Sinici Imperatoris, primariæ dignitatis minister sive *Colaus* fuit, magnus Jesuitarũ & propagatæ ab iis religionis patronus. Hujus filio Jacobo genita Candidæ nomen in baptismo accepit, & a. ætatis XIV. viro nobili & opulento nomine *Hiù* sed pagano nupsit, octo liberorum mater ex eo facta. Illo post annos XVI mortuo, prius tamen ab uxore ad Christi fidem converso, vidua mansit & septuagenaria major A. M DC LXXX decessit. Magnifice deprædicatur pietas, zelus & liberalitas ejus in Jesuitas & Christianos. Inter alia obstetricibus præmia constituit, ut fœminarum paganarum infantes, qui morituri esse putarentur, secreto baptizarent, & cœcis, qui magno numero vagantes divinationibus vanis victum quæritant, ut Christiana dogmata populo insinuarent. Eadem vero, quod Autor ex sua secta vehementer laudat, cultui Deiparæ, Angelorum & Sanctorum, quorum multos, interque eos *S. Ursulam* cum sociis nominat, addictissima, & ab iis vicissim, ut refert, apparitionibus & visionibus honorata fuit. Magna munificentia ad pingendas, coemendas & distribuendas imagines sacras sumtus suppeditavit. Moris enim est, ut singulis mensibus tales fiant distributiones, speciatim imaginum sancti, quem mensi Patronum præficiunt. Cum Jesuita confessionarius ejus Romam iret, nummos illi dedit, quibus plusquam quadringentos libros Sinicos compararet, qui Bibliothecæ Vaticanæ illati sunt. Pauca hæc speciminis loco afferimus, cætera ex ipso libello satis brevi peti possunt. Lubet tamen alia quædam memoratu, ut videtur, haud indigna, quæ Autor occasione *Candidæ* hujus tradidit, recensere. Difficillimam esse ait fœminarum Chinensium ad Christianismum conversionem, quia secretæ a maribus habentur, adeoque non nisi maritorum opera aut per liberos instrui

instrui possunt. Etiam conversæ morem servant, raro in templa nec alio modo venientes, quam ut solum in iis sacerdotem uno puero comitatum inveniant. In confessione obducto velo a Presbytero separantur; alicubi nec concionatorem audiunt, nisi solæ & a tergo assidentes, illo faciem ad altare versam habente. Memorat Autor, primos qui Chinam ingressi sunt missionarios, Bonziorum (qui Sinensium sacerdotes sunt & ad fœminas accessum habent) habitum induisse, sed satius postmodum putasse, ut doctorum & literatorum nomen & insignia adsciscerent, ad accessum in aula & apud proceres parandum. Non negat Autor, quod alii tradiderunt, gratiam Regis & magnatum aucupandam fuisse Musicæ, Astronomiæ, Picturæ, aliarumque artium professione. Usus illa est *Adamus Schallius*, eoque adminiculo ad Mandarini dignitatem, permittentibus id Pontificibus Romanis adscendit. His artibus non spernenda populi pars Jesuitarum doctrinam suscepit, & plurima templa & sacella erecta sunt, auctusque Christianorum numerus, ut nunc singulis annis ad quindecim millia infantum in regno illo baptizentur. Curæ tamen fuit Missionariis, ne quid ex placitis ritibusque Romanis facile negligerent. Introduxerunt ergo in populo superstitioso, Sanctorum cultum frequentissimum, & operosum ceremoniarum apparatum. Instituerunt sodalitia ad colendam B. Virginem, & præfectos ex plebe delegerunt, quibus præeuntibus Litaniæ de Sanctis post Missas recitantur. Inventa etiam fuit a *Francisco Rougemontio* Jesuita Gallo, qui anno 1659 in Chinam venit, & anno 1676 decessit, quina inclinatio, qua ex more Sinensi caput terræ affligitur. Prioribus *tribus* fidem, spem & amorem in Deum populus profitetur, *quarta* peccata detestatur & deprecatur, *quinta* B. Virginis intercessionem implorat. Aliæ congregationes ad juvenes in arte concionandi & catechizandi instruendos ordinatæ sunt, *Lojolæ* & *Xaverio* dedicatæ. Translati sunt in linguam Chinensem libri non solum Evangelici, & Missales ac rituales, sed & triginta quinque *Thomæ Aquinatis* volumina, item vitæ Sanctorum & alia ejusmodi, imo & Officia Ciceronis & quædam Senecæ aliorumque Philosophorum. Accommodant itaque (ut Autor non dissimulat,) & proxime a nobis memoratus *Petrus Josephus* itidem fatetur, sese moribus gentis, idque haud gravatim indulgen-

tibus

tibus Pontificibus. Permittuntur non ſolum matrimonia inter Chriſtianos & paganos, ſed & ſolennitas, quam Tridentinum Concilium exigit, præſentia nempe ſacerdotis & teſtium, omittitur. In Litaniis, ubi preces pro Magiſtratibus fiunt, Imperator Sinicus Pontifici Romano præponitur. In extrema unctione fœminarum pectora & pedes non unguntur, & Autor exempla narrat periculi, quod rei Chriſtianæ in regionibus illis obortum eſt ex intempeſtivo zelo, ritus omnes rigide obſervantium. In cultu, qui certo tempore imaginibus *Confucii* aliorumque doctorum gentis præſtatur, Miſſionarii æque ut pagani indigenæ ſe proſternunt, civili ut putant adoratione. In ſacrificiis quibus natales Principum & procerum celebrantur, aſſiſtunt, idque excuſat Autor exemplo moris in coronatione Imperatoris Romani uſurpati, cum Francofurti bos aſſari ſolet. Plura afferri poſſent, maxime de Jeſuitarum celebriorum geſtis, inprimis de Schallio & Verbieſto. Hunc juſſu Imperatoris Tartaricam linguam didiciſſe refert Autor, & Grammaticam ejus Pariſiis editam eſſe; producit etiam literas ad eum Pontificis d. 3. Decembr. 1681 datas, plenas elogiis & gratiarum actionibus. Sed pleraque ex aliis ſcriptoribus innotuerunt. Unum ſubjungimus de tabula lapidea anno 1625 in China exruderibus eruta, in qua ſeptuaginta præconum Evangelicorum nomina inciſa leguntur, qui anno Chriſti 636 ex Palæſtina in Chinam venerint. Hujus figuram anno 1642 in Europam allatam *Kircherus* operi ſuo Sinenſi inſeruit, & deſcripſit, nec non ipſe Jeſuita *Semedo*, qui eam attulerat. Auctor autem illam a ſuſpicione ſuppoſitionis liberare vult, autoritate Abbatis *Renaudoti*, & *Thevenotii* Bibliothecarii regii, qui ex MSS. orientalibus & Arabicis reperiſſe dicuntur, quæ fidem tabulæ adſtruant.

D. PAULI FREHERI MED. NOR. THEATRUM Virorum eruditione clarorum.

Noribergæ, impenſis Joh. Hofmanni, 1688. fol.

QUi doctorum virorum & de bonis litteris præclare meritorum memoriã ad poſteros propagare niterentur, nullo non fuerunt tempo-

tempore. Et æquum utique erat, id ſtudii ac laboris honori illorum gloriæque impendi; Reipublicæ vero litterariæ optime conſultum videbatur, ſi illuſtria ſubinde præſtantiſſimorum virorum exempla, excitandæ aliorum induſtriæ & æmulationi, ob oculos ponerentur. Aſt diſſimulari nequit, plerosque vel certæ tantum gentis, aut ſeculi, aut profeſſionis etiam certæ viros doctos elogiis ſuis ornatos voluiſſe: paucos vero univerſalem eruditorum virorum Hiſtoriam fuiſſe molitos. Ac inter hos quidem commendandus merito eſt vaſti hujus operis autor diligentiſſimus *D. Paulus Freherus*, Medicus dum viveret Noribergenſis, collegiique Senior, qui duodecim annorum indefeſſo ſtudio, virorum doctorum cujuscunque generis ac ordinis, Theologorum, ICtorum, Medicorum & Philoſophorum, cujuscunque nationis item, Germanorum, Græcorum, Hiſpanorum, Italorum, Gallorum, Anglorum, Polonorum, Hungarorum, Bohemorum, Danorum, Suecorum &c. qui ab aliquot ſeculis ad hæc usque tempora floruerunt, vitas ex auctoribus quotquot comparare potuit, orationibus item & programmatibus funebribus, ac aliis quibuscunque etiam manuſcriptis monumentis congeſſit, unoq; ſed ſpiſſo volumine complexus eſt. Tametſi ultimam operi manum adhibere vir integerrimus non potuit, anno 1682 vivis ereptus; ſed abſolvendum illud ſuo ex fratre nepoti Carolo Joachimo Frehero, Medico item Practico Noribergenſi feliciſſimo reliquit. Quin vero gratum opus quamplurimis futurum ſit, quo tot clarorum virorum (ſupra 2800, inter quos 1312 ſunt, quorum effigies æri inciſæ exhibentur) geſta & ſcripta ſimul & ſuccincte enarrantur, quorum notitia colligenda alioquin ſparſim ex libris bene multis & ægre comparandis foret, non videtur dubitandum. Cæterum in quatuor partes diviſum illud eſt, quarum *prima* Theologos varios, Papas, Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Doctores &c: *ſecunda* Magnates, Jurisconſultos & Politicos: *tertia* Medicos, Chymicos, Botanicos, Anatomicos &c: *quarta* Philoſophos, Philologos, Hiſtoricos, Mathematicos, Poetas &c. & ſecundum annorum quidem emortualium ſeriem quosq; diſpoſitos, exhibet.

NOUVELLE MANIERE DE DEMONTRER LES principaux Theoremes des Elemens des Mechaniques &c. h. e.

Nova methodus principalia Theoremata Elementorum mechanicorum demonstrandi, ut sit vice appendicis ad Tractatum mechanicum R. P. Lamy, Presbyt. Oratorii.

Paris. apud Andr. Pralard. 1687, in 12.

Quamvis doctissimus Auctor jam anno 1679 ediderit tractatum, in quo potissimæ Propositiones Mechanicæ non ingrata brevitate traduntur, addito in fine libelli Problemate motum perpetuum concernente, cujus impossibilitatem nondum evictam autumat: non cessavit tamen ipsius diligentia in hac matheseos parte ulterius excolenda, atque hinc factum, ut in has inciderit cogitationes, quas nunc publici juris facit, ut sint appendicis instar ad librum modo commemoratum. Neque id immerito. Cum enim ibidem de corporibus super plana inclinata motis agens recesserit a communi sententia, refellendo etiam Stevini argumentum, quod Dechales cum aliis ut ingeniosissimum laudat; hac ipsa appendice in viam redire videtur, dum ex novis principiis, quibus simpliciora ne quidem expectanda censet, stabilit sententiam vulgatam: Pondera in planis inclinatis æquipollere, quando sunt ut plana, super quæ existunt. Supponit autem primo, corpus a duabus potentiis tractum moveri per neutrius directionis lineam, sed percurrere diagonalem parallelogrammi, cujus latera vires potentiarum exprimunt. Porro demonstrat, quod perpendiculares ex quocunque puncto lineæ, quæ corporis movendi viam designat, ductæ ad lineas directionis potentiarũ, semper sint inter se reciproce ut potentiæ; & contra, si perpendiculares sint in ea ratione, quod punctũ ex quo ducuntur sit in linea directionis seu via corporis movendi. Quod si ergo contingat, ut via illa ita sit impedita, ut corpus per illã descendere nequeat, manifestũ esse dicit, corpus necessario mansurum in quiete, adeoq; ad duas potentias ad æquilibriũ deducendas, nihil aliud opus esse, quam ut corpus, quod illæ trahunt, ita collocetur, ut via per quam ferri

ferri debet, occlusa sit. Subjicit hisce principiorum horum adplicationem ad machinas usitatas, atque, ut specimen tantum unicum demonstrationis exhibeamus, ita ostendit æquilibrium corporum in planis inclinatis. In Schemate Corpus X est ad Z, ut MN ad MP; Directio corporis X est AD, corporis Z, linea EA. Ex puncto C ducit perpendiculares CA, CD, easque ostendit ob triangula similia ACD, MNP esse ut MN ad MP, adeoque ut X ad Z, sicque punctum C esse in linea, per quam moveri debet corpus X. Sed cum per AC descendere non possit, quia in C plano incumbit, erit cum corpore Z in æquilibrio. Q. E. D. In fine hujus appendicis promittit auctor opus de templo Hierosolymitano, in quo præter Architectonicam ejus delineationem in multis accuratiorem quam est Villalpandi, omnia scripturæ loca, quæ templum illud, quacunque etiam ratione respiciunt, explicabuntur, speratque id propediem in lucem proditurum, si modo sumtus tanto molimini sufficientes suppeditentur. Tab. VII. Fig. 6.

TRAITEZ DES LIGNES DU PREMIER GENre: des lieux Geometriques: de la Construction des Equations: par M. Ozanam Professeur en Mathematique. h. e.

Tractatus de lineis primi generis: de locis Geometricis: de constructione æquationum: per Dn. Ozanam, Matheseos Professorem.

Parisiis, apud Stephan. Michallet, 1687, in 4.

Duo Problematum mathematicorum summa esse genera, notissimum est vel iis, qui leviter tincti sunt recentiorũ Analysi speciosa. Nonnulla enim perfecte *determinata* sunt, ita ut tot semper reperiri possint Æquationes, quot litteræ incognitæ assumtæ sunt: quædam vero non exhibent omnes conditiones, sed unam aut plures quantitates incognitas *indeterminatas* relinquunt, ut sic infinitæ quoque solutiones ejusdem Problematis haberi possint. Quando ergo Effectio Geometrica danda est Problematum indeterminatorum, lineæ, superficies & solida, quæ infinitas solutiones eorun-

dem exhibent, *Loci* a Geometris vocantur, ex quibus illi frequentius solent occurrere, qui vel sunt lineæ rectæ, vel *sectiones conicæ*, quæ & curvæ primi generis dicuntur: reliqua vero Problemata determinata pro variis dimensionum, ad quas ascendunt, gradibus, varias quoque *Constructiones* sortiuntur. De utroque Problematum genere in doctissimo suo Geometrico tractatu egit Nobilissimus *Cartesius*; sed ita tamen, ut in doctrina de *Locis* nec ipse sibi, quod alicubi fatetur, nec aliis satisfecerit: ac proinde Johannes *de Witt*, vir mitioribus fatis dignus, non parvam ab harum litterarum cultoribus iniverit gratiam, ob luculentiorem *Locorum* explicationem, quam Elementis curvarum a se conscriptis adjecit. Nec defuerunt etiam qui aliqua desiderarent in constructione Problematum determinatorum, prout eam Cartesius tradiderat. Nam non *Fermatius* solum Cartesio coævus, & scriptis quamplurimis celebris, in dissertatione quadam, de solutione Problematũ Geometricorum, simpliciorem dedit methodum construendi Æquationes sex dimensiones excedentes; sed etiam Dominus *de la Hire*, cujus doctissimum opus Conicum memoratum in Actis nostris A. 1685, p. 399, in libello de Sectionibus Conicis, Locis Geometricis, & Æquationum constructione, A. 1679 Parisiis edito, ostendit viam & Fermatiana & Cartesiana longe minus anfractuosam, utpote qua v. g. Æquationes, quas Cartesius per intersectionem Curvarum noni & primi generis construeret, resolvi possunt per Curvam quinti & primi generis. Consistit vero Methodus Dn. *de la Hire*, quam ex inquisitione earum constructionum, quas cum Mesolabo suo proposuerat Renatus Slusius, sibi innotuisse scribit, in eo, ut Æquatio Problematis constitutiva resolvatur in locos, quorum simplicissima deinde fieri debet combinatio, ut ex eorum intersectione radices Æquationis patefiant. Eandem viam nunc insistit Dominus *Ozanam* Vir analyseos speciosæ peritissimus, & cujus *Diophantum* ab aliquot jam annis expectamus, in tribus, quorum titulum exhibuimus, tractatibus. *Primus* Elementa sectionum conicarum concinna methodo explicat, ut iis rite perceptis doctrina de locis Geometricis planis & solidis, quæ in *secundo* exponitur, probe posit intelligi, atque sic Problematum indeterminatorum dari Effectio. *Tertius* vero Constructionem Problematum determinatorum docet per resolutionem Æqua-

Æquationum in locos suos, eorumque decentem combinationem. In quibus omnibus ita versatus est, ut doctrinæ subtilitatem cum perspicuitate ubique conjunxerit, convenientibus etiam exemplis in secundi & tertii tractatus initio adhibitis, ex quorum resolutione & constructione propositionibus sequentibus lux accenderetur. Atque ut Methodi laudatæ amplitudo & fertilitas pateseret, quatuor novos exhibuit modos Æquationes quadraticas affectas construendi, ex quibus cum simplicissimum laudet sequentem, eundem huc afferre non gravabimur. Scilicet ostendit tribus Lemmatibus, omnes possibiles Æquationes Quadraticas ad sequentes formulas posse reduci:

$$xx + ax = \frac{bb-aa}{2} \qquad xx - ax = \frac{bb-aa}{2} \qquad xx - ax = \frac{bb-aa}{2}$$

ponendo in duabus prioribus b majus quam a, in tertia vero minus. Unamquamque harum Æquationum resolvit in tres locos, quorum primus est ad lineam rectam, secundus ad circulum cujus radius b, tertius ad Hyperbolam inter asymptotas.

$x + a = y$	$x - a = y$	$a - x = y$
$bb - xx = yy$	$bb - xx = yy$	$bb - xx = yy$
$\frac{bb-aa}{2} = xy$	$\frac{bb-aa}{2} = xy$	$\frac{-bb+aa}{2} = xy$

Has vero ut construat, assumit duos priores locos & (fig. 4 & 5) describit circulum radio b ex centro A, & sumta AB = a, ducit lineam CE per punctum B ad angulos semirectos, & ex punctis C & E perpendiculares ad diametrum: ita enim (fig. 5.) CD veram, EF falsam radicem exhibet in prima formula; in secunda EF veram & CD falsam denotat; in tertia (fig. 6.) utraque vera radix per lineas EF & CD ostenditur. Ab his procedit ad Æquationum Cubicarum effectionem, non illarum solum, ex quibus terminus aliquis sublatus; sed etiam, quæ nullo carent termino: & peculiari tandem problemate monstrat, qua ratione quinque & sex dimensionum Æquationes non absimili ratione varie possint construi, propositis exemplis, quorum alia mediante Parabola solida & plana, alia ope Parabolæ solidæ & Hyperbolæ solidæ inter asymptotas, alia per hyperbolam inter asympotas & Cissoidem, alia tandem intersectione Parabolæ solidæ & circuli resolvuntur. TAB. VII. Fig. 5. Fig. 6.

Cæterum neque illud prætereundum nobis est, Doctissimum Auctorem primo tractatui appendicis instar adtexuisse aliquot Problemata, quorum tertium aperit, quomodo casus infiniti, quibus Problema solidum potest esse planum, cognosci possint; secundum novam methodum inveniendi maxima & minima innuit, uberius explicandam in peculiari opusculo, quod una cum lucubrationibus suis aliis, nempe de *Tangentibus*, de *Inventione Theorematum & demonstrationum*, nec non *magno suo tractatu Algebraico*, litterario pollicetur orbi auctor Clarissimus. Primum novam indicat rationem calculo reperiendi radices Æquationum duarum & trium dimensionum: quæ quidem in eo consistit, ut Æquationes, in quibus termini quantitate incognita affecti ex una regione & comparationis homogeneum ex altera consistunt, dividantur per quantitatem incognitam, ut v. g. pro $xx+ax=bb$ scribatur $x+a=\frac{bb}{x}$, & pro comparationis homogeneo ponatur differentia duorum quadratorum indeterminatorum, pro quantitate vero incognita differentia laterum. Sic enim loco Æquationis superius allatæ erit: $y+z+a=\frac{yy-zz}{y-z}$ hoc est, divisione & reductione peracta $z=\frac{a}{2}$, ex cujus valore cognito facile deinde valor quantitatum y & x invenitur.

L' USAGE DE COMPAS DE PROPORTION, expliqué & demonstré par Mr. Ozanam, h. e. Dn. Ozanam, Mathematum Professoris, usus circini proportionum, brevi facilique methodo demonstratus &c.

Parisiis, apud Stephanum Michallet, anno 1688, in 8.

INsignis circini sive regulæ proportionum in resolvendis variorum generum problematibus geometricis utilitas, quemadmodum inde a primo inventore suo, celeberrimo *Galileo a Galilæis*, multorum mathematicorum excitavit ingenia, ut proferendis eximii hujus instrumenti usibus animum adjicerent, idque publico commodo ornatius limatiusque darent; ita Clarissimo Autori sæpius jam in Actis nobis memorato, digna materies est visa, cui

cui præsentem scriptionem impenderet. In ea autem post explicatam constructionem ipsius circini, cujus unum latus, *partium æqualium*, *planorum & polygonorum*; alterum, *chordarum & solidorum lineas* (cæteras *tangentium*, *metallorum &c*, facile & pro lubitu cujusq; adjungendas, Autor hic omisit) exhibet, singularum linearum munia distincte per problemata & generalioris, & maxime necessarii usus, facillime brevissimeque demonstrata ita exponit, ut ad complurium aliorum solutionem lector sua sponte se parare possit, modo dictorum ab Autore accuratam teneat cognitionem.

Annexus est huic Libello tractatus de *divisione agrorum*, in qua Autor plana, triangula, quadrangula, polygona, in varias partes varie, quam commodissima ratione dividere docet; & praxeos fundamenta succincta demonstratione firmat. Promittit autem denuo propediem prolixum de Algebra tractatum, quem cum in hoc scientiæ genere versatissimus sit autor noster, famæ ejusdem expectationique Φιλομαθέντων parem fore persuasum omnino habemus.

MARTINII THEMIDIS EXERCITATIONES MISCELLANEÆ Sacræ & Profanæ.

Amstelodami, apud Joh. Wolters, 1688, in 4.

OBiter inspexeramus librum hunc, quando inter novos illum sub finem mensis præcedentis retulimus. Postquam vero licuit pervolvere eum curatius, deprehendimus facile, librum esse veterem, typis ante 25 jam annos excusum. Nimirum exhibentur eo non aliæ, quam *Martini Schoockii Exercitationes variæ de diversis materiis*, Trajecti ad Rhenum ex officina Gisberti a Zyll A. 1663 editæ: quarum cum superessent forte exempla compluscula, nec divendi possent, is adhibitus dolus est, ut pro novis non Martini quidem Schoockii, sed *Martinii Themidis* Exercitationibus venditarentur; dempta insuper, ne fraus detegi statim posset, utraque Schoockii præfatione. Adeo non vetus tantum pro novo, sed & pro integro mutilus emptori liber obtruditur; de quo admonendum Lectorem benevolum, ne imponi sibi patiatur, existimavimus. De ipso enim opere, quia tempus Actorum nostrorum longe antevertit, dudumque in manibus doctorum virorum versatur, non attinet quicquam memorari.

Memi-

* * *

Meminerit Benevolus Lector Actorum anno 1686 m. Nov. p. 565 Cometæ cujusdam menſe Sept. proxime prægreſſo hic Lipſiæ obſervati phænomena nos exhibuiſſe. Cum vero ex *Diariis Eruditorũ Parmenſibus* anni 1687, ſub num. 6, p. 98, nuper animadverterimus, menſe Auguſto anni 1686 in Braſilia prope civitatem Param, ſub lat. auſtr. 3°8, longitudine 336°54, Cometam apparuiſſe, per caput dorſumque Leporis, orbitam ſuam utrique Cani mediam, ad Leonem & veſtigia noſtro inſtita continuato curſu deſcribentem: Aſtrophilis id indicandum rati ſumus, ulteriori eorundem diſquiſitioni relinquentes, idemne cum noſtro reputandus, an diverſus. Nobis enim uti viarũ obſervata confinia aliquod unius ejusdemque Cometæ argumentum præbent; ſic diverſos fuiſſe diverſa utrobique ad ecliptica inclinatio conjecturam præbet: noſter enim a Borea ad Ecliptica Auſtrum verſus tendere deprehenſus eſt; Braſiliani vero orbita continuata, eundem ab Ecliptica in Boream extollit.

LIBRI NOVI.

Acta Sanctorum Maji, collecta, digeſta & illuſtrata a Godefrido Henſchenio, Daniele Papebrochio, Franciſco Baertio & Conrado Janningo, Societatis Jeſu Presbyteris. Tomus VI & VII Antverpiæ, 1688. fol.

L' Egeo Redivivo, ò ſia Chorographia dell' Arcipelago, della Grecia, Morea, di Candia e Cipri &c. di Franceſco Piacenza. In Modona, 1688, in 4.

Iſola di Rodi Geografica-ſtorica, Antica e Moderna, coll' altre adiacenti. Opera de Padri Maeſtri Coronelli e Pariſotti. In Venezia, 1688, in 8.

Rerum Anglicarum Scriptores veteres, ex vetuſtiſſimis MSS. plerique nunc primum in lucem editi. Volumen II. Oxoniæ 1688. in fol.

Controverſiarum adverſus Judæos Ternio, in ſpecimen operis jam affecti, quo R. Iſaaci Chizzuk Emouna confutatur. Auth. Jac. Gouſſet. Dordraci, 1688, in 8.

Johannis Raji Hiſtoria Plantarum. Tomus II. Londini 1688, in fol.

Opuſcula Mythologica, Phyſica & Ethica, Græce & Latine. Amſtelodami, apud Henr. VVetſtenium, 1688. in 8.

Les Oeuvres poſthumes de Mr. Claude. A Amſterdam, 1688. in 8.

Veritas Evangelii triumphans de erroribus quorumvis ſeculorum. Opus Hiſtorico-Theologicum in II Tomos diſtributum. Opera & ſtudio Melchioris Leydeckeri S. S. Theol. D. & Prof. Trajecti ad Rhenum, 1688. in 4.

Traité de l' Unité de l' Egliſe, & des points fondamentaux, contre Mr. Nicole par Mr. Jurieu. A Rotterdam, 1688, in 8.

Lettres choiſies de S. Cyprien aux Confeſſeurs & aux Martyrs; avec des Remarques Hiſtoriques & Morales. A Amſterdam, 1688, in 12.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti Anni M DC LXXXVIII.

SEBASTIANI SCHMIDII RESOLUTIO BREVIS cum paraphraſi verborum ac notis Pſalmorum Propheticorum de Chriſto.

Argentorati impreſſa, proſtat Francofurti apud Joh. Davidem Zunnerum, 1688, in 4.

QUam bene Venerandum Argentoratenſium Præſulem de Eccleſia Chriſti, editis ſuis in aliquot Scripturæ Sacræ libros commentariis, meritum eſſe arbitremur, aliquoties in his, quæ colligimus, Eruditorum Actis innuimus. Videantur modo, quæ anno ſuperiori, ipſo menſe *Auguſto*, dixiſſe nos meminimus, cum commentarios in *Priorem Librum Samuelis*, *Hoſeam* & *Priorem Johannis Epiſtolam* recenſeremus. Dignus erat totus Pſalmorum liber, cui eadem opera ab Exegeta hoc feliciſſimo impenderetur. Maluit tamen hac vice pſalmos Propheticos ſeligere, in quibus fidelibus V. T. Chriſtologiam univerſam ſolide expoſuerat Hieropſaltes.

Opus autem hoc bipertitum priori parte *diſputationes* ſedecim complectitur, quibus Pſalmi 2, 8, 19, 23, 29, 31, 35, 40, 41, 45, 47, 48, 50, 67, 68, 69, 70, 72, 78, 87, 88, 89, 93, 95, 96, 97, 98, 99, 100, 102, 109, 110, 117, 118, 126 explicantur; poſteriori parte, quæ *Appendicis* nomine, a diſputationibus diſtinguitur, decem omnino Pſalmi elucidantur, decimus tertius nempe, 14, 53, 16, 18, 20, 21, 22, 24, 132. Univerſi hi Pſalmi eadem methodo eodemque ſtudio pertractantur. Ubivis enim deprehendas primo *Textum* Hebræum cum *verſione* literali; dein accuratam *Analyſin*; hinc *Paraphraſin* perſpicuam; denique,

(quibus Paraphrasis superinstruitur,) *Annotationes*, in quibus difficiliora Psalmi loca curatius expenduntur, Interpretum opinionibus recensitis, & pro re nata aut rejectis, aut probatis, aut correctis. Obiter in proœmiis disputationum quarundam de Psalmorum aliorum, (quos itidem in Propheticorum classem nonnulli retulerant,) vero scopo & sensu disquiritur. Sic enim de Psalmo XLVI & XCIV agitur, antequam ad Ps. XLVII & XCV procedat Autor.

Nobis non est integrum, totas *Analyses* aut *Paraphrases* exscribere, quas suo loco evolvere ac reperire, cuivis facile erit. Neque opus est, ex *annotationibus* illas huc referre, in quibus Brentius, Calovius, aliique facem Schmidio prætulere. Observationes potius aliquot conjecturasque excerpemus, quas primus omnium in medium protulisse videtur Commentator noster.

Ad Psal. XIX, 5. (ubi dicitur: בכל הארץ יצא קום *In universum orbem exiit Linea eorum,*) contendit ille, per *Lineam* intelligendum esse funem mensorium Geometrarū, quo unicuiq; portio terræ assignatur, uti accipitur *Jes. XXXIV, 17.* Sensum igitur esse: Ecclesiæ hujusq; doctoribus non admensam ac assignatā esse angustā Palæstinæ portionē, sed totum orbem, ut ecclesia in eo habitaret, doctoresque Evangelium prædicarent. Congruere vocem יצא *exiit*, quæ de divisione portionum terræ per sortem usurpatur *Jos. XV, 3. 4.* &c. itemque, quod partem orbis, in qua prædicare debebat Evangelium, κατὰ τὸ μέτρον τ῀ κανόνος datam sibi Apostolus asserat *2. Cor. X, 13.* Quin & sibi favere ejusdem interpretationem *Rom. X, 18: In omnem terram exivit SONUS eorum.* Hac enim *linea* definitum esse, quousque *sonus* eorum exire debebat; Complementum igitur heic haberi promissionis: *Pete a me & dabo gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ*, Psal. II, 7.

Cum *Psalmo XXXV, 13.* preces Christi *super sinum* ejus *reversæ* dicantur, id factum esse putat Noster, dum, (præsertim in oliveti monte,) lachrymæ sudorque sanguineus inter precandum in sinum ejus ipsamque in terram defluxerunt. Duriusculum videtur, quod Christus *Psal. XLI, 10.* in Juda Ischariote *confisum se* fatetur, cum tamen se ab ipso proditum iri, ab initio præsciverit, *Joh. VI, 64.* Schmidius distinguit inter id, quod ex prævisione & præscientia prudenter fit, & inter id, ad quod faciendum lex ordinaria obligat. Illuc

Illuc refert, quod Jesus hac fini Judam inter Apostolos adlegit, ut impleretur hæc scriptura. Huc, quod ei confisus est, quamdiu fraus illius nondum omnibus patuit, quemadmodum Petrus aliusve Apostolus juxta legem divinam ordinariam ei fidere tenebatur; unde & cœnæ ultimæ admovere eum non dubitarit.

Psalmus XLV. inscribitur משכיל (Maskil) hoc est, Schmidio interprete, *carmen didascalicum.* Eodemque modo verti hanc vocem cupit Ps. XLVII, 8. *Psallite Maskil.* Multum negotii interpretibus facessit vox על־מות *Psalm. XLVIII, 15.* Cum autem עַלָמוֹת & עַלְמוֹת alias notet instrumentum musicum, quod lætum esse videtur, quia a *Juvenibus* nomen habet, reddi locum mavult Schmidius: *Ille ducet nos cum Almuth*, gaudio & tripudio, gratias ipsi agentes. *Ps. LXIX, 5.* dicitur: אשר לא גזלתי אז אשיב *Quod non rapui, tunc restituam.* Schmidius intelligit gloriam DEI, quam rapuerant homines, suæ gloriæ cupidi; quæsivit autem & restituit Christus, dum voluntatem patris fecit eaque peregit, quæ homines debuerant, quo pacto effecit, *ut Deus sit justus*, &c. Rom. III, 26. Confer phrasin Joh. VII, 18.

Psalmo eodem, versu 27. duas interpretationes habet, quarum prior, a Tarnovio suppeditata, in versione retinetur: כי אתה אשר הכית רדפו ואל מכאוב חלליך יספרו *Quia, quem tu percussisti, illi persecuti sunt; & super dolore confossorum tuorum* (h. e. martyrum) [confabulantur, seu] *nugantur.* In annotationibus autem hæc habet: *Si verum fatendum sit*, aliud *est*, *quod* magis placeret, *si sanis judiciis probaretur. Verbum* ספר *in Piel non tantum* narrare, enarrare, *sed* numerare *etiam significat. Unde si in persona Christi, quod videtur optimum, manserimus, hic poterit totius versus nexus & sensus esse*: Nam quem tu percussisti (*me scilicet,*) persequuntur (*sine omni causa, ex mero & injustissimo odio*): & (*hanc persecutionem mei*) ad dolorem (*plagam*) confossorum tuorum, (*quos tu justissimo tuo judicio confossioni & morti tradis,*) connumerant (*seu referunt, quasi nimirum ego etiam ejusmodi sim, quem tu velis ab ipsis e medio & vita sublatum*). *Ita res convenit cum eo, quod* Jes. LIII, 4. *prædictum est*: Et nos reputavimus eum percussum a Deo & afflictum. *Et ibid. v. ult:* Inter prævaricatores numeratus est.

Psal. LXXVIII, 10. respici censet ad *Jud. XII, 2.* unde constat,

Ephraimitas,(utut arcu alias potentes,) Jephthæ auxilia ſua negaſſe tempore belli cum Ammonitis geſti,quin ipſi Jephthæ poſtea bellum moviſſe, quapropter Deus ſtrage eos ingenti mulctaverit. Non minus ſingulare eſt, quod Pſalmo toto LXXXIX Chriſtum loquentem ſiſti,& duabus quidem partibus pſalmum hunc abſolvi autumat. Prior continet *Precum Meſſiæ fundamentum*,quod eſt Promiſſio DEI Davidi facta, ubi obſervetur א) *Exordium*, in quo habetur α) *Propoſitio* Chriſti, quid acturus ſit, v. 1, 2. β) *propoſitionis ratio*, quæ eſt fides in promiſſionem divinam v. 3. 4. 5. γ) *finis & effectus*, celebratio gloriæ divinæ v. 6—19. ב) *Promiſſionis* Davidi factæ *expoſitio* v. 20—38. Altera pars complectitur ipſas Chriſti in paſſione preces, in quibus (α) *conqueritur* v. 39—46. (β) *deprecatur* v. 47—52. (γ) pro exauditione indubitata *gratias agit* v.53. Hæc ſumma eſt Analyſeos Schmidianæ. Poſito igitur Chriſtum loqui verſ. 51, [quod ante Schmidium nemo forſan dixit,] quæritur, quis verborum ſenſus ſit: *Memento, Domine, opprobrii ſervorum tuorum; portare me in ſinu meo omnes magnos populos.* Schmidius iſtha c ita παφράζει· *Memento inſuper, o Domine, ignominiæ & opprobrii omnium piorum ſervorum tuorum, Patriarcharum, Davidis & omnium reliquorum fidelium, in quos omnes mea ignominia & opprobrium recidit: ſi namque ego in ignominia & opprobrio vincar ab hoſtibus meis, & auxilio tuo deſtitutus periero; certe illi omnes, qui in me crediderunt, mecum cum opprobrio perituri ſunt. Nonne enim ego omnes populos, qui adeo multi & magni ſunt, in ſinu meo porto, ut pro illis omnibus ſtem ego ſatisfaciamq3, ut mecum vel vincant & vivant, vel moriantur & pereant?*

Pſal. CII, 2. queritur populus DEI ימי כצל נטוי *Dies mei* (ſunt) *ſicut umbra inclinata*; Schmidio *inclinata umbra* eſt ea, quæ *in ſolario* ocyſime *inclinatur* & nullo momento in eodem loco conſiſtit.

Pſalmo CIX. diræ in Judam Iſchariotem effunduntur. Hoc a Chriſto fieri potuiſſe, mirantur multi, & tantum non negant, qui eum pro hoſtibus ſuis deprecationes, non imprecationes in cruce protuliſſe norunt. At Schmidius obſervat, Chriſtum h. l. non loqui, ut mediatorem, ſed ut judicem, cui *Pater dedit poteſtatem judicium faciendi, quia filius hominis eſt*, Joh. V, 27. At judex etiam benedicendo & maledicendo judicat, unde olim judicandis dicet: *Venite benedicti*, &c. *Abite maledicti*, &c. Scilicet Chriſtus exinanitus poteſtatem judicandi ſibi factam nondum plene exercebat; hinc tantum imprecando invocat Patrem, ut ipſe exerceat, quamvis non niſi per ipſummet Chriſtum exaltatum. Nec diras has atrocius quicquam continere urget Noſter, quod non in eo *VÆ* lateat a Servatore prolato: *Væ homini, per quem filius hominis proditur. Melius ei eſſet, nunquam natum eſſe*, Matth. XXVI, 24. Ad minimum preces has injuſtas eſſe non potuiſſe, cum a Patre exauditæ & impletæ fuerint.

Conjectura denique Schmidii, unde Pſalmi Graduum,(e quibus etiam eſt Pſ. CXXVI,) nomen ſuum traxerint, obſervatu digna videtur. *Dixerim*, (inquit,) *Pſalmos hos quindecim cantatos in deportatione Arcæ fœderis in urbem Davidis, juxta quindecim ſtationes portantium illam; ſicut dicitur*: Et factum eſt, quando inceſſerunt portantes arcam Jehovæ ſex gradus, ſacrificavit bovem & ovem. *Nam dum ſacrificia hæc oblata ſunt, procul dubio pſalmos cecinerunt Muſici breves.*

Hæc ex Diſputationibus. In *Appendice* primum locum obtinet *Pſalmus XIII*, quem inter propheticos de Chriſto *ſenſu literali* agentes nemo ante Noſtrum retulit, *Pſalmoque XXII* plane parallelum eſſe aſſeruit. Phraſin *ponere aliquem humerum*, Pſal. XXI, ult. exiſtimat e re bellica ſumptam, *ubi ſagittarii, qui fugientes hoſtes perſequuntur, eos inter humeros feriunt, ut per cor tela penetrent, moribundique concidant.*

Jehovam *initio* Pſal. XXIV, 1. laudatum, eſſe Deum filium Meſſiam, probat Autor ſumme reverendus ex 1. Cor. X, 25. 26. *Omne, quod in macello venditur, comedite, nihil dijudicantes propter conſcientiam: Domini enim eſt terra & plenitudo ejus.* Et v. 28. *Si quis vero vobis dixerit: Hoc Idolothytum eſt; ne comedite propter eum, qui indicavit, & conſcientiam. Domini quippe eſt terra & plenitudo ejus.* Si enim locũ Pſalmi de univerſali Dei in res creatas dominio, (ut ab Interpretibus fieri ſolet,) exponeres, Judæus vero exciperet, Domini Dei equidem eſſe terram, at prohibuiſſe illum ipſum per Moſen, ne omnia indiſcriminatim comedamus: nihil tunc fore putat Noſter, quod regeratur. Quod ſi contra Chriſtum Dominum intelligas, cui omnis poteſtas data in cœlis & in terra; excipi poterit contra Judæum, Chriſtum in N. T. ex jure ſuo in univerſum orbem

abrogaſſe diſcrimen illud ciborum, in V. T. obſervatu neceſſarium. Libere igitur illis nos uti poſſe, modo ſine ſcandalo proximi infirmi fiat; hoc enim caſu propter ipſum Chriſtum, cujus omnia ſunt, ne perdatur, pro quo ipſe mortuus eſt, ab adiaphoris abſtinendum eſſe.

TRADITION DE L' EGLISE ROMAINE SUR la Predeſtination des Saints &c. h. e.

Traditio Eccleſiæ Romanæ de Prædeſtinatione & Gratia. Tomi I. Pars II & III. & Tomi II. Partes IV.

Coloniæ, 1687, in 8.

REcenſuimus primam operis hujus partem proximo menſe Julio pag. 363. Nunc promiſſi memores, reliqua quam breviſſime enarrabimus. Proponit vero Autor *Parte II Tomi I* doctrinam de Prædeſtinatione & Gratia, qualem ab Apoſtolis traditam ad Auguſtini & Pelagii tempora usque viguiſſe contendit, refellitque eos, qui Auguſtinum a traditione veteri receſſiſſe opinantur. Diſſerendum autem ſibi prius de traditionibus eſſe exiſtimavit. Harum aliquas *divinas* dici poſſe ſcribit, ab ipſo Chriſto profectas, licet in ſcripturam non relatas. Tales eſſe ſtatuit, quæ ad eſſentiam Sacramentorum pertinent, (Miſſæ fortaſſe:) alias *Apoſtolicas*, ad quas refert baptiſmum infantum; tertiam denique ſpeciem conſtituit *Eccleſiaſticarum*, de quibus Eccleſia & inprimis Romana teſtetur, ab Apoſtolis propagatas eſſe; v. g. canonem librorum Scripturæ. Regulas deinde ad dignoſcendas genuinas traditiones format, ad ductum Vincentii Lirinenſis, licet eum Pelagianum fuiſſe non ignoret. Judicari jubet de dogmatibus ex ritibus antiquis, e. g. ex precibus pro defunctis de purgatorio, & ſic ex iisdem de prædeſtinatione gratuita & de præſentia reali corporis Chriſti in Sacramento. Sed regulas has magna ex parte a judicio populi, qui per multa ſecula in ſumma ignorantia religionis, etiam linguæ, qua ſacra celebrabantur, detentus eſt, pendentes Theologorum examini relinquimus. Probabilior eſt obſervatio, quod traditio Eccleſiæ in controverſiis fidei quærenda non ſit facile in libris ante ortum diſputationum ſcriptis,

ſcriptis, ſed iis potius, qui poſtea compoſiti ſunt, poſtquam doctores ad evitandas hæreticorum cavillationes accuratius omnia expendere & enunciare didicerint. Hinc facilius reſponderi poſſe viſum eſt, ad objecta ex Origene, Chryſoſtomo, Hilario & aliis.

Parte III præmittitur argumentum de prædeſtinatione gratuita, ab humana natura in Chriſto deſumtum, quam divinæ unitam absque prævio merito fuiſſe non dubitat. Affert etiam quædam de origine Pelagianiſmi ex Arii, Theodori Mopſueſteni & Neſtorii hæreſi & negata corruptione hominis per lapſum. Tria inde ſyſtemata de gratia & prædeſtinatione proponit: unum *Auguſtini*, ſive, quod idem eſſe putat, Eccleſiæ orthodoxæ, *quod omnia Deo tribuit*; alterum *Pelagii*, quod *omnia homini*; tertium *Semi-Pelagianorum*, quod partitionem inter Deum & hominem facit, ita tamen, ut huic plus quam Deo aſſignet, cum principium converſionis in homine ponit. Ab his difficulter ſeparari poſſe putat Jeſuitas, & ſi qui alii Molinæ dogma ſequuntur. Ut vero quod ſibi in *parte* hac III propoſuit, demonſtret, videlicet, quod Auguſtini & Eccleſiæ ſententia ad concilii Tridentini tempora usque continuata fuerit, hiſtoriam actorum inter Auguſtinum & Pelagium breviter exponit, deinde Pontificum & doctorum Eccleſiaſticorum teſtimonia per omnia ſecula diligenter conquiſita adducit. In ſeculo tamen XV, quia infinitum aſſentientium numerum eſſe putat, paucitatem diſſentientium obſervat, inter quos nominat *Petrum de Riva* Lovanienſem, a Sixto IV damnatum; laudat Pariſienſem Academiam ob perpetuam Auguſtiniani dogmatis conſervationem. Ex ſeculo XVI & XVII dicta *Ludovici Granatenſis* & Cardinalium *Berulli* & *Richelii*, tum Jeſuitarum *Bellarmini*, *Petavii*, *Poſſevini* & theſes Romæ in eorum collegio anno 1562 & 1563 publicatas allegat, & quædam Hieronymi, quæ ante diſputationem inter Auguſtinum & Pelagium ſcripſit, & a recentioribus opponi ſolent, commoda interpretatione lenienda eſſe monet.

Tomus II in *Partes IV.* diſpeſcitur, præmiſſa excuſatione quadam de ordine in Tomis hiſce obſervato, & adductis aliis Jeſuitarum theſibus, Romæ anno 1589 propoſitis. Primæ autem hujus tomi partis, ſive quartæ operis, intentio & labor eſt, ut appareat, eandem, quæ in prioribus adſtruitur, doctrinam etiam in decretis con-

cilii Tridentini si non diserte expressam, præsuppositam tamen fuisse, illique inniti condemnationem *Lutheri* & *Calvini* in hoc articulo. Trahit eo verba concilii, nec obstare putat, quæ de meritis operum alicubi immiscentur, quia eorum respectus aut merces ex promissione Dei dependeat, & Deus in iis sua coronet dona. Ubi vero concilium agit de gratia *excitante & adjuvante*, vel de *præveniente*, id Autor de *sufficiente* proprie sic dicta sive *efficaci per se*, accipit, & ex Actis Congregationis, item ex Synodis anno 1546 & 1549. *Coloniæ* & *Moguntiæ* habitis aliisque autoritatibus confirmat. Ostendit porro, quomodo gratia illa efficax ejusque irresistibilitas cum libertate hominis consistat. Rejicit Lainesii Jesuitæ in concilio Tridentino asserta a Pallavicino Lib. VIII. hist. Conc. Trid. cap. XIII. §. 9. relata, & hunc refellit, quod lectoribus persuadere voluerit, ac si Jesuitarum sententia potiori concilii parti placuerit. Allegat & explicat dictum Rom. VIII, 14. ubi filii Dei spiritu Dei agi dicuntur & quidē ad analogiam, ut existimat, animæ Christi, novamq; opinionem Malebranchii, (quem tamen non nominat,) paucis taxat. Concludit cum Thoma, *quod præparatio hominis ad gratiam sit a Deo, ut a movente, a libero arbitrio vero, ut a moto:* item; *totum est ex Deo operante, totum ex voluntate, in qua Deus operatur.* Adducit similia fere Bernhardi verba, eadem nempe, quæ anno 1519 inter *Eccium* & *Carolostadium* Lipsiæ ventilata sunt, ita quidem, ut Eccio & qui cum eo sentiunt, minime videatur assentire: addit tamen quædam adversus Protestantes, quæ hi non agnoscent, aut dudum refutarunt. Fatetur altioris mysterii esse invincibilitatem gratiæ ejusque conciliationem cum libero arbitrio, quam ut humana sapientia assequi eam & explicare possit. Acquiescit iterum effato *Thomæ: Sicut Deus naturalibus causis, movendo eas, non aufert, quin actiones eorum sint naturales; ita movendo causas voluntarias, non aufert, quominus actiones earum sint voluntariæ; operatur enim in unoquoque secundum suam proprietatem.* Ad placita vero Tridentina, in quibus dici videtur, hominem posse dissentire, si velit, respondet, conditionaliter intelligi debere, nempe ut dissentire possit homo, nisi gratia efficiat, ne velit; habere quidem vim resistendi in se, sed eam non exercere, adjutum a gratia; hac subtilitate a *Calvini* dogmate suam & *Jansenii* sententiam discriminari posse, censet. Additamen-

tamentum hujus partis est, relatio de *Johanne Grimano Patriarcha Aquileiensi*, qui ob hanc controversiam Tridenti accusatus & absolutus fuit anno 1562, qua de re legi potest Pallavicinus Lib. XXII cap. XI.

Pars II hujus Tomi exhibet Historiam congregationis de auxiliis gratiæ sub Clemente VIII & Paulo V habitæ, paulo prolixiorem quam quæ antehac ab eodem, ut videtur, Autore edita, & a nobis in Actis anno 1687 pag. 353 relata est; quapropter superfluum ducimus, hic multa de illa commemorare. Non pauca Jesuitis non solum quoad hanc controversiam, sed & quoad alia illorum instituta objiciuntur, quorum enarratione opus esse non putavimus; nec deerit illis fortasse, quod respondeant. Adjungitur parte III Narratio de Actis congregationis Latina *Georgii Coronelli*, eodem loco a nobis recensita. Accessit tamen ex Coronelli autographo Allocutio Clementis VIII ad Jesuitas, in qua illis Pelagianismum objicere videtur; deinde ejusdem Pontificis scriptum eruditum, de materia illius congregationis, cui versio Gallica in margine adjecta est.

Pars secundi hujus Tomi IV paucis pagellis constat, quæ canones concilii Carthaginensis anno 418 contra Pelagium habiti, item capitula de libero arbitrio, quæ Cælestino Papæ tribuuntur, tum decreta concilii Arausicani anno 528 continent.

BOHUSLAI BALBINI S. I. MISCELLANEA REgni Bohemiæ. Decadis I. Liber VIII Epistolaris.

Volumen I, continens Literas publicas de Bohemia.

Vetero-Pragæ, 1688. in fol.

MEnse Januario nuper laudavimus Genealogias Bohemicas, quibus inchoare celeberrimus hic Scriptor voluit alterā Miscellaneorū Decadem. Et his quidem Genealogiis hactenus addidit Libri II Partem III & IV, multasque Comitum, Baronum, Nobilium familias more suo sic persequitur, ut ad lucem rebus Bohemicis necessariam non parum accessisse videatur. Legimus enim Parte III, præter

cognationem Domus Habſpurgico-Auſtriacæ cum S. Leopoldo, item cum Familia Polonorum Jagellonica, *Pernklovios, Comites Milleſimo, Dominos de Leskovetz, Harantios, Starzimskios, Zacavecios, Widerspergerios, Equites Audrczky, Salhauſios, Bieſſinios, Wiezniskios, Kaplirzios, Rodowskios, Sedleckios, Bozkoviczios, Lomnicios, Dietrichſteinios, Wartenbergios, Sternbergios, Berkas, Pernſteinios, Mladotas, Kapaunios, Harrachios, Comites de Bubna, Cunſtatios, Strachovskios, Kunoviczios, Smirziczios, Dominos de Rozmital, Dohalskios, Comites de Kohorzovva, de Klenovva & Janovicz*, multos denique Proceres, qui maternum ſanguinem ad S. Ludmillam referre poſſint. Parte IV habemus itidem nova, vel priſtinis addita *de Waldſteiniis, Pernſteiniis, Svambergiis, Dominis de Lippa, de Wartenberg, de Hazmburg, de Auſti*; porro *de Pavvlovvskiis, Krakovvskiis, Czerninis, Lobkovviziis, Przehorzovvskiis, Hodiegovvskiis, Comitibus de Rozdrazovv, Sternbergiis, Kluſakiis, Dominis de Svvarova, Przichovvskiis, Gendorfiis, Dominis de Zerotin, Equitibus de Reich, Dominis de Piſnicz, Pruskovskiis, Jankovvskiis, Kochrickiis, Dominis de Wiezkova*; tandem de familiis *Czeikarum, Oderskiorum, Kautskiorum, Pietipeskiorum.* Cum etiam ad Genealogiarum ſplendorem pertinere videantur officia Regni hæreditaria, inſperſus legitur tractatus *de ſupremis Mareſcallis, Pincernis, Dapiferis, Præciſoribus & Præguſtatoribus.*

Sed veniendum nunc eſt ad librum, quem nominavimus, præſentem: ubi non niſi Litteras Regni publicas, temporis potius quam rerum ordine congeſtas deprehendimus, ut, quod in titulo non diſſimulatur, confici exinde poſſit Hiſtoria Bohemiæ Epiſtolaris, h. e. e Litterarum & Tabularum fide potius, quam ex aliorum teſtimonio dependens. Singularum vero auctoritatem, allegatis tum ſcriptoribus, tum manuſcriptis ingenue probat: maxime ſecutus Tomos Conciliorum, Raynaldum, Goldaſtum, quem ab Aula Cæſarea univerſa probatum fatetur; poſtea MSS. Privilegiorum Regni, MSS. Codices Capitularis Eccleſiæ Pragenſis, ac ipſas Regni Tabulas.

In ſex autem partes Volumen hoc diſpeſcitur. Pars I Epiſtolas ipſius Regni Bohemiæ publicas numero CXX habet: in quibus eminent, 1. aliquæ Pontificum ad Bohemos, aliæ viciſſim Bohemorum

rum ad Pontificem, varii argumenti. 2. Imperatorum, quæ ad jura, infeudationes, inveſtituras, prærogativas, quin & ad ceſſiones, permutationes, renunciationes pertinent. 3. Regum Conſtitutiones e.g. abrogatio Codicis Carolini ſeu novorum ſtatutorum 1355. Ejusdem de re monetaria 1378. Wenceslai de creatione Juſtitiariorum 1402. Ferdinandi Aurea Bulla, quam vocant, Jeſuitarum 1561. Pax Religioſa 1609. Reverſales Matthiæ. Tandem Edicta Ferdinandi 1627, tum de renovatione privilegiorum, tum de una Religione in regno ſervanda, & pellendis aliter credentibus. 4. Pacta & Fœdera Regũ nobiliora. e.g. Ottogari cum Stephano Hungariæ R. A. 1272. Recognitio Caſimiri Poloni, quod nullum jus habeat in Sileſiam 1339. Fœdus Caroli IV cum Johanne Francorum R. 1355 & 1356. Pactio Sigismundi cum Bohemis 1435. Confœderatio Friderici III Imp. cum Georgio Rege 1459. Renovatio Fœderis Francici 1464. Concordia Regum Hungariæ & Bohemiæ 1478. Pacta matrimonialia Ludovici & Mariæ, Ferdinandi & Annæ 1515. Sigismundi Poloni Tutela Ludovici 1517. Confœderatio Auſtriaca de ſucceſſione Matthiæ 1606 ac conſenſus Rudolphi Imp. 1608. Ferdinandi II Pactum cum Rege Hiſp. de ſucceſſione Hungariæ & Bohemiæ 1617.

Pars II concernit Moraviam, ac inter alia pleraque repetit, quæ inter Carolum IV fratremque ejus Johannem Marchionem fuerunt tractata.

Pars III res Sileſiacas attingit, ac præter Auream Bullam de incorporatione & inviſceratione Ducatuum Sileſiæ cum Regno Bohemiæ, ſingulorum Ducatuum aliqua teſtimonia profert, in quibus dominium Bohemicum agnoverint. Ducatus vero nominat, non eos modo, qui nunc recenſeri communiter ſolent, ſed alios etiam, qui Ducem aliquando, ferente ſic hæreditatis diviſione habuerunt, velut *Steinavienſem, Mazovienſem, Coslenſem, Falckenbergenſem, Osvicenſem*.

Pars IV Civitatem Egranam attinet, ac XIII epiſtolis obligationem & civitatis & territorii exponit.

Pars V Luſatiæ pauca profert, inprimis quid ejus Marchiæ venditum a Theodorico fuerit Burchardo Magdeburgenſi 1301; quid Carolus IV redemerit ac Coronæ Bohemicæ conjunxerit 1370; quibus juribus renunciaverint Duces Jaurenſes.

Pars VI. Misnensia quædam habet, præcipue Friderici admorsi cum Wenceslao Rege transactionem, ac alia nonnulla ad propiorem Misniæ & Bohemiæ conjunctionem spectantia.

Sunt autem singula hujus generis, ut qui volumen hoc inspexerit, facile desideraturus sit ulteriorem epistolarum editionem.

GEORGII HORNII HISTORIA ECCLESIASTICA illustrata notis & observationibus, quibus fontes historiæ antiquitatis aperiuntur. Accedit L. Cappelli Historiæ Judaicæ compendium, & continuatio ad annum usque 1687. M. Leydecker edidit.

Lugd. Batav. apud Jord. Luchtmans, 1687, in 8.

HOrnianum historiæ ecclesiasticæ compendium jam pridem notius est, quam ut hoc loco recensere debeamus. In nova hac editione, præter L. *Cappelli* historiæ Judaicæ compendium ex Josepho contractum, accedunt *Leydeckeri* annotationes ad Cappellum & uberiores ad Hornium, una cum continuatione historiæ ecclesiasticæ ab A. 1666, ubi desiit *Hornius*, usque ad A. 1687. In notis Leydeckerus nunc ipse Autorem succincte illustrat, nunc alios, unde plura depromi possint, Autores indicat. Nonnunquam etiam ab Hornii sententia discedit. Quæ ab utroque adversus Lutheranos proferuntur, non est hic confutandi locus. Continuatio historiæ ecclesiasticæ sex articulis comprehenditur, quorum primus res Belgicas, secundus Gallicas, tertius Romanas, quartus Britannicas, quintus Hungaricas, & sextus Pedemontanas complectitur. Pleraque in recenti omnium memoria versantur, quocirca iis referendis immorari nolumus.

HISTOIRE DES INDES ORIENTALES id est, Historia Indiæ Orientalis.

Parisiis, apud Dan. Horthemels in 4. & Lugd. Batav. apud F. Harring. in 12. 1688.

Titulum

Titulum justo latiorem ex errore libro huic datum esse, indicatur sub finem. Inscribi enim ex Autoris instituto debuisset; *Memoriale* aut *commentarius ad juvandam vel illustrandam historiam Indicam.* Continet enim narrationem particularem de navigatione in Insulam S. *Laurentii* sive *Madagascar*, a Societate mercatorum Gallicorum, auspiciis regiis, anno 1664 & 1666 suscepta, & quæ illius occasione alibi, maxime *Suratæ*, celebri Indiæ quæ hodie *Mogolica* dicitur, urbe, usque ad annum 1671 gesta sunt, quo tempore Gallorum conatus parum felicem finem habuit. Autor nominatur *Souchu de Rennefort*, qui primæ navigationi anno 1664 mense Octobri cœptæ, ut Secretarius Regii in insula constituti Consilii interfuit, impedita autem ab æmulis functione, anno 1666 Galliam repetens in Anglorum manus, eo tempore cum Gallis bellum habentium, incidit. Describit itaque Parte I. quæ ipse vel in navigatione, vel in coloniis Gallorum in India, vel captivus in Anglia vidit & & expertus est. Pars autem II & III aliena nititur relatione & fide. Nihilominus Scriptori, licet se infacundũ & indoctum esse profiteatur, diligentis viri laus non invidebitur; maxime si eadem industria rerum aliarum in India usque ad annum 1687 gestarum narrationem, quam promittit, elaboratam publicaverit. Expeditionis ipsius hoc volumine descriptæ ordinem & exitum operose referre, cum tota infausta & irrita fuerit, haud immerito refugimus. Exhibetur in ea illustre casuum humanorum specimen, ex quo observari potest, quam male aliquando optime cogitata, magnaque prudentia & impensa tentata succedere soleant, nisi omnia ad finem necessaria exacte concurrant. Non defuit sane maximi Regis sapientissimum consilium, nec munificentia, cum tres Gallicæ monetæ *milliones*, quos vocant, i. e. unum nostratis, absq; usura ad longum tempus Societati mercatorum mutuos dedisset. Secuta est horum insignis & rari exempli contributio *duodecim millionum.* Delecti sunt viri mercaturæ, navigationis & militiæ periti; Leges magna cum cura conscriptæ sunt, nullo tamen fructu, sed male gestis & perditis pene omnibus: non tam casuum atrocitate, quam hominum culpa, ut Autor refert, & pluribus probatum it, qui privatam utilitatem Regiæ intentioni & communi Societatis bono prætulerunt, aliena etiam munera neglectis suis invadentes. Peccatum

quoq; est zelo religionis, cum sacerdotes *missionarii* barbaros intempestivo rigore offenderent, aut Galli ob diversitatem sectæ inter se simultates & odia exercerent. Præmia quoque bene merentibus negata fuisse queritur, idque exemplo Galli cujusdam gregarii militis *La Case* dicti, comprobat, qui fortitudine sua & fide, tum fortuna, quæ illi matrimonium cum reguli cujusdam filia paraverat, rem Gallicam egregie promovere potuisset, nisi invidia obstitisset, & destinata tandem mors subvertisset. Luctuosum aliud exemplum *Francisci Caroni* Batavi affert, quem Rex propter magnam rerum Indicarũ & mercaturæ peritiam cum Gallo alio expeditioni Directorem dederat. Sed sive ob religionem reformatam quam profitebatur, sive quadam etiam sua culpa, collegæ & aliorum odio impar fuit, & ex India redux in æstuario Tagi ad Olisiponem facto naufragio vitam & opes amisit, & sic inimicorum insultus in Gallia expectandos prævenit. Laudanda est Scriptoris ingenuitas, qui meritis elogiis infelicem virtutem non defraudavit. Retulit inter alia ejus consultationem de commerciis Indicis, qua meliorem huc usque dari potuisse negat. Cæterum multa notatu digna hinc inde in hoc opere lectores invenient, etsi autoris laborem alii in descriptione locorum dudum videantur prævenisse. Valde commendat magnam illam insulam *Madagascar*, cujus partem Galli non sine successu occupaverant, & dignam judicarant, quam fortalitio *Delphini* nomini consecrato munirent: nulla tamen ut Autor judicat necessitate, sed sua culpa, anno 1671 deseruerunt, cum eam ob summam fertilitatem & incredibilem armentorum copiam, & ut arcem & stationem quandam intermediam, ex qua navigationem in Indiam & reditum in patriam commode exercerent, parvo negotio retinere, & brevi totam ob perpetuam regulorum barbarorum, qui illam incolunt discordiam, subigere potuissent. Singularia etiam de mercatura aromatum in India & de negotiatione Suratensi invenient, qui lectione talium delectantur. Describitur inter alia P. II. Lib. II, c. 26. regio septentrionalis supra Mogoli regnum sita, quæ *Bottan* nominatur, in qua sola pretiosum illud odoramentum, quod muscum vocant, inveniri traditur, animalium capris similium ventri exsectum. Sunt tamen quædam, de quibus ambigi posset, num ingenio Auctoris debeantur, aut historica sint, e. g. cum

cum P. I. Lib. III, c. 17. 18. & 19. colloquium cum sene quodam Gallo, Philosopho Chymico, Londini reperto, & scriptum quoddam ejus recenset. Mirabilius est epitaphium Latinum, flammula quadam ut legi posset collustratum, quod in antro prope *Bassoram* Arabiæ urbem A. 1669 a *Froctero* mercatore quodam Gallico repertum, P. II. L. II. c. 22. Gallice versum exhibetur. Quod si verum est, plus fidei forte inveniet Scriptor, quam *fratres illi Silesiaci*, qui se *Roscncranzianam* cryptam thesauris plenam detexisse olim publicarunt.

PROJET D' UNE NOUVELLE MECHANIque avec un examen de l' Opinion de Monſ. Borelli ſur les proprietés des Poids ſuſpendus par des Cordes. h. e.

Delineatio Novæ Mechanicæ, cum examine Opinionis Domini Borelli circa proprietates ponderum ex funibus ſuſpenſorum.

Pariſiis, apud Viduam Edm. Martini &c. 1687, 4.

QUi in Novellis Reipublicæ litterariæ anni superioris, mense Majo, specimen tantũ exhibuerat *novæ* suæ *Mechanicæ*, is pleniorem nunc ejusdem delineationem Matheseos peritis communicavit. Hos vero cum necessarium non esset tum terminorum, tum aliarum propositionum obviarum explicatione distinere, summam rei tantum paucis paginis inclusit doctissimus *Varignonius*, alio tempore prolixiorem & magis dilucidam explicationem traditurus, una cum adplicatione principiorum suorum ad machinas compositas & philosophiam naturalem. Recenset autem in præfatione, quod occasione alicujus loci ex Cartesii epistolis, qui trochleæ vires inepte ex vecte deduci asserit, inductus fuerit, ut animum adpelleret ad nova principia investiganda, & Æquilibrii naturam & generationem suo Marte explorandã (præsertim cum ea, quæ Carteſius & Wallisius habent, ipsi viderentur potius ostendere Æquilibrii necessitatem, quam modum, quo illud exoritur) putatque se physicam omnium effectuum, quos in machinis admiramur, rationem invenisse in compositione motuum. Quod ut manifestum faciat, *axioma* præmittit

tit unicum: Spatia corporum æqualium iisdem temporibus decursa esse inter se, ut vires quibus moventur; & reciproce, si spatia sint ut vires motrices, corpora esse æqualia; itemque unicum *postulatum*: In quovis corpore dari centrum directionis aut Æquilibrii; quibus subjicit quinque *lemmata*. Primum concernit corporum gravium tendentiam versus inferiora tamdiu durantem, quamdiu centrum gravitatis descendere potest. Secundum ostendit lineam directionis corporis tracti duobus funiculis transire per punctum concursus funiculorum: funiculi autem paralleli juxta Autorem concipiendi sunt concurrere in infinita distantia, & constituere angulum infinite acutum. Tertium & quartum probat, corpus eodem tempore motum a duabus potentiis, secundum directiones diversas, describere diagonalem Parallelogrammi, cujus latera directionem potentiarum designant, & inter se sunt ut potentiæ. Quintum, latera Trianguli rectilinei esse inter se ut sinus angulorum oppositorum, ex elementis Geometricis repetit. Ex hisce principiis deducit Autor propositiones, quas vocat, fundamentales plurimis Corollariis prægnantes, & Problemate eleganti comitatas, adjectis multis schematibus æneis, quæ casus speciales sub universali propositione comprehensos exhibent. Nos ipsarum propositionum summam cum schematibus paucis, quæ ad ipsas intelligendas conducunt, afferemus. In prima propositione de ponderibus ex funibus suspensis
Fig. 1 & 2. agitur, ostendendo: Pondus sustentatum funiculis P B & C R, & in æquilibrio existens cum duabus potentiis R, P, semper esse ad potentias, ut sinus anguli P A R, quem faciunt funiculi, ad sinus angulorum, quos singuli funiculi faciunt cum directione ponderis D A, reciproce sumtos. v. g. Pondus K esse ad potentiam P, ut sinus anguli R A P ad sinum anguli R A K, seu complementi ejus R A D. Huic Principio convenienter resolvit Problema: Datis viribus trium hominum, illos ita adplicare tribus funibus in extremitatibus connexis, ut semper tertius æquipolleat duobus reliquis. Secunda propositio de trochleis tractat, demonstrans: Pondus D adplicatum centro mobili trochleæ, & in æquilibrio existens cum duabus po-
Fig. 3 & 4. tentiis P, R, quæ funiculi trochleæ incumbentis extremitates trahunt, semper esse ad quamvis harum potentiarum, ut sinus anguli, quem funiculi producti comprehendunt

MHN

TAB. VIII. ad A. 1688. pag. 412.

Fig: 1.




Fig: 5.




Fig: 7.




Fig: 6.




Fig: 2.



Fig: 4.



Fig: 3.




Fig: 8.





Fig: 9.






Fig.18

Fig.3&

MHN ad ſinum dimidii ejusdem. Problema, quod huic ſubnectitur, docet, qua ratione quodvis pondus a quavis potentia ſuſtineri poſſit ope unius trochleæ. Tertia propoſitio ſpectat pondera ſuper plana inclinata ſuſtentata, confirmatque pondus A & potentiam R ſemper eſſe in ratione reciproca ſinuum illorum angulorum, Fig. 5. 6. quos faciunt lineæ directionum FR & FC cum linea FD, quæ ex puncto concurſus earum educitur perpendiculariter ad ſuperficiem plani, h. e. A. R :: ſinus BAD. ſin. DAC. Problema, quod hanc ſequitur, reſolvit caſum: Quomodo aliqua potentia ita diſponi poſſit, ut ſuſtineat pondus datum ſuper plano dupliciter inclinato. Quarta propoſitio vectes omnis generis conſiderat monſtrando: Quemcunque angulum faciant lineæ directionis potentiarum E & F Fig. 7. 8. adplicatarum vecti, potentias illas eſſe in æquilibrio ſuper vectis puncto fixo B, per quod tranſit AG diagonalis parallelogrammi RS, cujus latera AS & AR ſunt inter ſe ut potentiæ. Quam ipſam propoſitionem alia quoque methodo deinde demonſtrat. Sed cum in corollario hujus propoſitionis tertio doceat Auctor, in hypotheſi concurſus linearum directionis gravium in centro terræ, centrum directionis corporum ſemper mutari pro vario ſitu & acceſſu aut receſſu eorum reſpectu centri terræ, exceptis corporibus ſphæricis, monendum nobis h. l. eſt, ex *diario eruditorum Pariſienſi*, *d. 10. Maji A. 1688. p. 399*, eum mature deprehendiſſe errorem ſuum ingenueque faſſum, monitore Carteſio in epiſt. 73 Tom. I. ſe didiciſſe, centrum gravitatis ſphærarum ſemper quidem inveniri in linea, quæ jungit centrum magnitudinis earum cum centro terræ, ſed nunc magis nunc minus infra centrum magnitudinis, prout ipſæ magis aut minus propinquæ ſunt centro terræ. Id quod etiam citato loco ſua methodo demonſtravit, eruditis inſuper problema proponens: Qua ratione hoc centrum gravitatis in ſphæra ſemper præciſe inveniri poſſit. Claudit de vecte doctrinam hoc problema: Datis quotcunque potentiis cum ſuis lineis directionis, invenire punctum vectis dati, ſuper quo omnes ita adplicatæ poſſunt eſſe in æquilibrio. Ultima propoſitio, quæ & nullo ſtipatur problemate, de cochlea paucis agit, & plane convenit cum ea, quam reliqui habent mechanici, quocirca & eandem recenſere ſuperſedemus.

Adjectum eſt huic novæ Mechanicæ examen opinionis Borel-

lianæ, quæ cum propositione prima fundamentali Autoris nostri, quam *Herigonius* quoque *Stevinus* & *Pardies* sibi demonstrandam sumserant, adversa fronte pugnat. Borellus enim in tractatus sui de motu animalium parte prima cap. 13. prop. 69. Edit. Leidens. p. 100. peculiari digressione contra Herigonium & alios evincere conatus fuerat, hanc propositionem sine restrictione acceptam falsitatis merito suspectam esse. Ideoque Varignonius capite primo sui examinis non solum discutit rationes Borellianas, quarum potissima in scholio prop. 68 p. 98. sita est, sed etiam ostendit ex Borelliana propositione 68 contrarium prona fluere consequentia, immo Borellum ipsum in critica sua a falsis suppositionibus, quarum tres recenset, non esse liberum. Secundo capite propositio eadem partim novis demonstrationibus, quæ exceptionibus Borellianis non sunt expositæ, confirmatur, partim lemmata, quæ Borellus ex sua propositione deduxerat, longe magis generalia reddunter per principia novæ mechanicæ, quam quidem methodo Borelliana, Autoris judicio, fieri possent.

Cæterum cui hanc Domini Varignonii delineationem mechanices cum appendice Dn. Lamy, mense superiori a nobis commemorata, contendere libuerit, ille haut difficulter deprehendet, utrumque fere eodem tempore in cogitationes sibi invicem valde affines incidisse circa nova principia mechanica. Quæ an revera talia sint, penes eruditum lectorem esto judicium, cui etiam sequentem doctam animadversionem committimus, cum nostrum non sit decretoriam de rebus, quas recensemus, ferre sententiam.

ANIMADVERSIO IN LIBRUM PRÆCEDENTEM, ex cerpta ex litteris Gallicis Dn. Abbatis de C. ad – – –

NEque Autor novæ Mechanicæ, neque ulli, qui ad hæc usque tempora scripserunt, imo, ausim dicere, scripturi sunt de mechanicis, aut stabiliverunt aut invenient, aliquod principium hujus scientiæ, quod demonstrare non possim, (dummodo verum sit) esse tantum casum particularem aut simplicem consequentiam principii Cartesiani. Id quod vel hoc ipsum testatur principium, quod occasio-

occasionem dedit huic animadversioni. Concipiantur (fig. 9.) in aliqua machina duo funiculi DX & DZ tensi per potentias X & Z, quæ trahunt contra se invicem in D, & quarum impulsus per communem impressionem fit versus punctum A inter Z & X situm, ita ut linea jungens A & D sit directio hujus impressionis. Propositio fundamentalis novæ mechanicæ est: quod potentiæ X & Z se invicem in æquilibrio teneant, quando sunt reciproce ut sinus angulorum ADZ & ADX, factorum a funiculis DZ & DX, quos potentiæ trahunt, quique sunt ipsarum lineæ directionis, & a directione DA communis impressionis earum versus A. Verum hoc ipsum nihil aliud est quam principium mechanicorum ordinarium, sub idea magis composita & expressione minus simplici. Illi enim solent metiri potentiarum motricum vires per vectes applicatos puncto hypomochlii, super quod potentiæ æquilibrantur, & facientes angulos rectos cum lineis directionis ipsarũ, quos etiam appellant lineas perpendiculares ab hypomochlio ad lineas directionis ductas. Jam vero I. punctũ A est hypomochlion potentiarũ X & Z, quod semper datũesse debet & cognitum, cum alias de ipsarum ratione judicari nequeat, siquidem absq; mutatione linearum directionis DX & DZ, & earum concursus D, directio DA communis impressionis harum potentiarum diversa evadit, prout punctum A diversimode positum est inter DZ & DX, respectu puncti D. II. Lineæ AC & AB ab hypomochlio dato A ductæ perpendiculariter ad funiculos DZ & DX, directiones potentiarum Z & X, sunt ut patet, sinus angulorum ADZ & ADB, aut ejus complementi ad duos rectos ADX. Nam descripto ex centro D circulo cujus radius DA; punctum A erit in circumferentia, unus radiorum DA in directione AD communis impressionis duarum potentiarum; & duæ diametri in directionibus ZD & XD istarum potentiarum, & consequenter sinus angulorum, quos facit concursus linearum directionis, tam potentiarum motricum, quam communis illarum impressionis, non differunt nisi solo nomine a perpendicularibus, ductis ab hypomochlio harum potentiarum super lineas directionis. Porro idea particularis sinuum minus simplex est, quam idea generalis lineæ perpendicularis, quoniam cognitio sinuum supponit cognitionem angulorum, qui longe alia proportione gaudent. Inutili ergo circuitu utitur, qui prius inquirit angulos, ut deinceps inveniat sinus, quando il-

Fig. 9.

do illi ſinus ſunt lineæ, quas immediate metiri poſſumus. Verum quidem eſt, tabulas ſinuũ paſſim proſtantes multum detrahere ex iſto labore; plus tamen ſemper requiritur operæ ad metiendos angulos quã ad dimetiendas lineas rectas, ut habeatur proportio potentiarum in machinis, quippe ad dimetiendas lineas rectas perpendiculares ad alias lineas nullam rem aliam in uſum adhibere opus eſt quam normã, cujus latera exacte diviſa ſunt in plures partes æquales, v. g. lineas, pollices, pedes &c. quamq; poſſum9 adplicare diſtantiis inter hypomochlion & lineas directionis potentiarum: vel potius, cum proportio certarum partium in machina ordinarie cognita ſit ex conſtructione, poſſumus geometrice, mediantibus triangulis quibusdam ſimilibus, colligere rationem harum perpendicularium inter ſe, ut non neceſſum ſit confugere ad menſuras angulorum, quorum ſunt ſinus. Atque hinc manifeſtum evadit principium novæ mechanicæ eſſe tantum principium ordinarium ſcriptorum machanicorum ſub expreſſione minus ſimplici quam illorum eſt. III. Ulterius, quacunque ratione etiam efferatur hoc principium, ſemper tamen particularis conſequentia eſt principii Carteſiani. Secundum enim hunc philoſophum Tom. I Epiſt. 73 Omne illud quod ad ſtaticam ſpectat, ex hac ſola propoſitione dependet, quæ fundamentum illius generale eſt: nempe, quod non requiratur nec plus nec minus potentiæ ad tollendum pondus (v. g. 200 lib.) ad certam altitudinem (v. g. pedis unius) quam ad pondus minus (v. g. 100 lib.) attollendum ad altitudinem proportionaliter majorem (v. g. duorum pedum) modo potentia adplicata ſit cum conditionibus neceſſariis. Explicat autem ſe, in animum revocando, quod attollere 200 lib. ad unum pedem, idem ſit ac attollere centum libras per unum pedem, & denuo centum libras per unum pedem; quodque centũ libræ ſublatæ ad altitudinem unius pedis, & eædem centum libræ denuo levatæ ad altitudinem unius pedis ſint centum libræ allevatæ ad altitudinem duorum pedum; id quod tantundem eſt ac ducentæ libræ ſublatæ ad altitudinem unius pedis. Cum ergo effectus utrinque ſit æqualis, neceſſum eſt ut potentiæ quoque æquales ſint. Id quod generaliter ita efferri poteſt: Potentias fieri æquales, quando agunt, aut agere intendunt, eodem tempore per ſpatia reciproce proportionalia corporibus, quibus ſunt adplicatæ; ex quo ſequitur,

tur, quod ſibi oppoſitæ faciant, ut hæc corpora maneant in æquilibrio. Cavendum autem probe eſt in hoc negotio, ne confundatur potentia *abſoluta* cum potentia *relativa*. Prior æſtimatur ex reſpectu magnitudinis, quam corpora inter ſe habent, ſic e. g. potentia abſoluta ponderis 200 librarum dupla eſt potentiæ abſolutæ ponderis 100 librarum, uti centum libræ duplum ſunt ducentarum: Hæc enim potentia eſt gravitas nude ſpectata ſine reſpectu ad ſpatia, per quæ agit, quippe quæ æqualia ſupponuntur. Sed potentia relativa æſtimatur ex reſpectu, qui componitur tam ex eo, quem ſpatia habent inæqualia, per quæ agit, quam quem habent magnitudines corporum inter ſe invicem, qui poſterior idem eſt ac reſpectus potentiarum abſolutarum. Pondus enim 200 librarum translatum duobus minutis per pedem ſpatii unum agit ſemel gravitate ducentarum librarum, & pondus centum librarum translatum duobus minutis per duos pedes ſpatii, agit ſemel gravitate ſeu vi centum librarum in primo ſpatii pede uno minuto, & adhuc ſemel eadem gravitate in ſecundo pede ſpatii uno minuto: h. e. bis gravitate centum librarum duobus minutis, quod tantundem eſt, ac agere ſemel gravitate ducentarum librarum eodem tempore. Adeoque potentiæ relativæ poſſunt eſſe æquales, licet abſolutæ minime tales ſint, & ſi relativæ ſunt æquales, abſolutæ quoque ſunt in æquilibrio. Explicabimus in ſequentibus has res magis ſpecialiter, quando, ut oſtendamus nullũ dari verum principium mechanicum quam illud Carteſii, demonſtraturi ſumus, quod, cum potentia corporis ſit ejus motus, omnes effectus potentiarum motricum neceſſario dependeant ex Lege fundata in natura motus, quæ quidem hoc ipſum eſt principium, cujus adplicationem generalem faciemus ad omnia machinarum & problematum mechanicorum genera, tam reſpectu corporum ſolidorum quam liquidorum. Verum hic ulteriori diſquiſitione opus non eſt circa principium Carteſianum, ut probemus, illud quod commune eſt mechanicis eſt ex eo dependere. Sit enim, e. g. potentia X (fig. præc.) ita adplicata cuidam machinæ, ut uno minuto ſola adduceret onus quoddam ſecundum lineam DX verſus orientem; ſit quoque adplicata eidem machinæ potentia Z, ita ut eodem tempore adduceret idem onus ſibi relicta a D in Z verſus occidentem. Cum autem ſpatia percurrenda his potentiis eodem tem-

pore, nimirum uno minuto, ſint partes DX & DZ linearum directionis, dico, quod ſecundum Dn. Carteſium, illæ ſe invicem vincere nequeant, ſi ſint reciproce proportionales ſpatiis ſuis, quoniam ſic quoque relative æquales evadunt, h. e. una contra aliam æqualiter trahit. Jam vero quando lineæ directionum ſunt inter ſe obliquæ & conſequenter in quodá puncto D concurrunt, concipiantur ZA & XA parallelæ ambabus, ſe interſecantes in A, & ductæ ex punctis Z & X, quæ in hiſce directionis lineis finiunt ſpatia DZ & DX potentiarum, quarum hypomochlion eſt in A, & communis impreſſio pro ſua directione habet DA. 2 Erectis ex puncto A perpendicularibus AC & AB usque ad DZ & DZ, erunt anguli ACZ & ABX, nec non anguli AZC & AXB æquales, propter parallelogrammum ZX. Per conſequens triangula rectangula ZCA & XBA ſunt ſimilia: Erit ergo proportio quoque inter latera ipſorum oppoſita æqualibus angulis; & hinc AC erit ad AB, ut linea ZA, aut ipſi æqualis DX ad lineam AX, aut ipſi æqualem DZ; hoc eſt perpendiculares ab hypomochlio ſuper lineas directionis potentiarum ductæ, aut (aliter id efferendo:) ſinus angulorum, quos faciunt lineæ directionis potentiarum & communis impreſſionis earum, in eadem ſunt ratione, ac ſpatia iſochrona a potentiis decurrenda ſecundum ſuas directiones. Quocirca principium ordinarium mechanicorum ſive Autoris novæ mechanicæ nihil eſt aliud quam conſequentia & quidem particularis principii Carteſiani. Nam per principium Dn. des Cartes immediate poteſt reddi ratio æquilibrii tam liquorum, ubi nullos nec angulos, nec ſinus, nec perpendiculares concipere licet, quam potentiarum motricum, quarum directiones parallelæ ſunt, quæ caſum faciunt tantæ diverſitatis a caſu potentiarum obliquarum, quanta eſt differentia inter ideam parallelismi linearum rectarum, ubi omnia puncta earum æqualiter diſtantia requiruntur, & inter ideam obliquitatis, quæ exigit, ut omnia puncta unius inæqualiter diſtent a punctis alterius: adeo ut purũ putum paralogismum in matheſi committere cenſendus ſit, ſi quis ſibi concipere velit duas lineas parallelas conſtituere angulum infinite acutum. IV. Quod ſi ergo concedere non poſſumus Autori novæ mechanicæ, illum ſtabiliviſſe novum Principium, multo minus adſtipulabimur illi, quod ratio phyſica effectuum, quos maximè in machinis admiramur, ſit, uti

uti ipſi videtur, ratio motuum compoſitorum. Æquilibrium eſt quies, quæ ex oppoſitione duorum motuum æqualium oritur, hinc ergo unice in motuũ æqualitate & oppoſitione æquilibrii cauſa quærenda eſt. Motus compoſitus ille eſt, qui producitur ab aliis motibus æqualibus aut inæqualibus inter ſe, qui ſimul impellunt idem corpus verſus diverſas regiones, & quorũ adeo directiones non ſunt parallelæ. Hinc motus compoſitus poſſibilis eſt ſine æquilibrio, quia produci poteſt a motibus inæqualibus, aut a potentiis, quæ adplicatæ inæqualiter agunt; rurſus æquilibriũ quoq; poſſibile eſt ſine motu compoſito, quoniam poteſt eſſe inter duas potentias, quarum lineæ directionis ſunt parallelæ. Inſuper, quinam, quæſo, motus compoſitus concipi poteſt in liquorum æquilibrio? Interim tamen nulla datur adplicatio potentiarum, quæ ex inæqualibus, ſi ſeparatim ſumantur, æquales faciat eas conjungendo in machina quadam, uno verbo: Nullum datur æquilibrium, cujus ratio reddi non debeat per verum principium mechanicum. Apparet ergo motum compoſitum non eſſe fontem & originem aut rationem phyſicam effectuum illorum, quos in machinis admiramur: ſed ſolam rationem adplicandi potentias motrices utramque hic facere paginam, quando nimirum eâdem efficitur, ut intendant deſcribere ſpatia ſibi reciproce proportionalia, quo fit ut minoribus plus ſpatii decurrendum ſit eodem tempore, & majoribus minus, ſecundum principium Carteſii, per quod ſolum æque clare cauſa poteſt concipi ac neceſſitas æquilibrii in machinis. Notandum quoque eſt, licet potentiæ X & Z non eſſent adplicatæ machinæ, in qua coguntur ita moveri ut una tendente per partem DX lineæ ſuæ directionis, altera eodem tempore intendat percurrere partem ZD ſuæ lineæ directionis, & ſic reciproce, uti a nobis fuit ſuppoſitum, ſed tantum traherent per duos funiculos XD & ZD colligatos in D, ex quo penderet certum quoddam pondus, & incumbentes trochleis X & Z, quæ inſerviunt ad illas dirigendas & ſuſtentandas, caſum hunc æq; dependere ex Carteſii principio ac priorem. Cum enim hic potentiæ conjunctim agant contra pondus ſuſpenſum in D, conſiderari & æſtimari non debent niſi ſecundum ſuam communem impreſſionem, quæ tentat trahere pondus D verſus A per DA, dum a gravitate ſua fertur in partes contrarias, nempe ab A verſus D per AD. Jam vero ſi

ro si impressio communis duarum potentiarum X & Z fuerit ad gravitatem ponderis reciproce, ut diagonalis DA est ad hanc ipsam diagonalem AD, hoc est, æqualis ei, aderit æquilibrium inter hanc impressionem & pondus, & consequenter inter pondus & duas potentias trahentes, quæ secundum naturam motus compositi debent esse proportionales lateribus XD & DZ parallelogrammi XAZD, quod habet pro Diagonali DA hanc ipsam AD. Ita ut non natura motus compositi, sed æqualitas potentiarum motricum oppositarum, quales hic sunt gravitas ponderis suspensi ex D, & communis impressio potentiarum applicatarum in X & D, procreet æquilibrium.

PETRI AB EYNDHOVEN, JCti, DISSERTATIO de Inani Actione propter inopiam ad Leg. 6. Pandect. de Dolo malo.

Trajecti ad Rhenum, apud Franciscum Halma, 1688, in 8.

LEgem in Rubrica allegatam utut pro primario Dissertationis hujus scopo venditet Autor: verius tamen, occasione saltem ab ista lege desumta, miscellanea varia de privilegiis & juribus pauperum in unum congerere cumulum voluisse videbitur cuilibet, vel perfunctorie libellum pervolventi. Materiam vero hanc præ aliis ei commendavit tum officium ipsi collatum, dum eleemosynario ordini allectum semet profitetur, tum obvia quotidie conterraneorum a bello Gallico, procellis & inundationibus horrendis depauperatorum ingens caterva, quibus permotus fœtum hunc, ut ait, primigenium concipere & in lucem edere consultum duxit. Universam scriptionem in quinque digerere capita visum fuit. *Primum* quidem summariæ expositioni verborum, quibus lex proposita constat impenditur, quæ ipsa utut per se planissima sint, attamen vel philologicis saltem, leviculis etiam, observationibus lectorem morari maluit, quam eadem intacta relinquere. *Secundo* capite recenset, quinam pro inopibus sint habendi; ubi sane prolixum satis eorundem catalogum nectit, dum non modo omnes eos huc relatos vult, de quibus in *l. un. C. quando Imp. int. pup.* sermo est; sed & fœminas

minas in universum, prodigos item, ebrios, amantes, senes, literarum studiosos inopibus accenset: ast cum verendum sit, ne largæ adeo vocis extensioni, intuitu sæpe dictæ legis, & juris interpretes & fori observantia contradicant; vel ideo tantum latior ista suppositio Autori arrisisse videtur, quo amplior ei in sequentibus discurrendi campus pateret. In *tertio* capite argumenta persequitur, quibus inopia probari queat; & in *quarto* ostendit, quando inanis propter inopiam actio sit habenda, aut qua ratione, quæ aliquandiu inanis fuit, reviviscere quasi & cum fructu institui possit. *Quintum* denique caput, quodque maximam libri partem facit, dicatur excutiendis variis animadversionibus ac juribus circa pauperes occurrentibus, & quidem juxta ordinem rubricarum in Institutionibus Justinianeis. Et quamvis istorum titulorum pauciissimi inopum mentionem injiciant, ad eorum plerosque tamen non defuit Autori prætextus, occasione paupertatis de materia in singulis tractata quædam differendi; si non alio intuitu, saltim eo, quod hæc vel illa juris dispositio invaluerit ad præcavendam aut amoliendam paupertatem. Qua in parte ne forte a rigidioris supercilii censoribus ἀπροσδιονύσως multa attulisse diceretur, ait se hac in re ad provehendam fratris junioris utilitatem inprimis collimasse: repetitione enim Institutionum cum ipso suscepta, hæc talia bellariorum loco singulis titulis attexta a se fuisse: ut adeo fratris commodo & profectibus velificari, quam intra thematis sui cancellos sollicite nimis semet continere satius duxerit. Cæterum egregia Autoris non in jure nostro minus, quam in bonis autoribus πολυλεξία, & in studiis humanioribus cognitio undiquaque elucent: stylo tamen perquam luxuriante in opusculo hoc usus est, dum cuncta fere tropicis, proverbialibus, poeticis locutionibus exornare, ac variis sententiarum conspergere floseulis sategit, adeo ut non piguerit subinde phrasium elegantiorum autores, utut alioqui nihil ad scopum præsentem facientes, in margine allegare; quod quidem in materia juridica insolitum forte quibusdam videbitur: quicquid tamen ejus sit, imputandum dubio procul est floridæ Autoris ætati, qua se adhuc vernantem scribit, plura posthæc semet editurum spondens, dummodo civilis sapientiæ & consuetudinariæ robur annosius collegerit.

TROIS LETTRES TOUCHANT L' ETAT PRESENT d' Italie, ecrites en l' année 1687, pour servir de supplement aux lettres de Docteur BURNET.

Epistolæ tres de præsenti statu Italiæ, in supplementum literarum D. BURNETI.

Coloniæ: prostant & Lipsiæ Germanice versæ apud Joh. Fridericum Gleditschium, 1688, in 12.

QUod mense Octobri anni superioris in Actis nostris p. 551. recensuimus, *Iter* Viri celeberrimi *Gilberti Burneti*, non sine applausu exceptum fuit ab elegantioribus ingeniis, postquam in varias linguas transfusum cum pluribus communicari cœpit. Cum vero observatum nihilominus esset ejusdem nationis Viro, epistolarum harum auctori, civium suorum curiositatem magis incitatam fuisse, ad pernoscendas penitius res ad *Molinosium*, celebrem illum Theologiæ mysticæ doctorem spectantes, quam delinitum, quod brevioribus paulo lineis ipsas Burnetus enarraverit; non exiguam se gratiam inituram speravit, si paulo copiosius, quæ interea temporis, quo *Burnetus* Italia relicta in Belgium se receperat, cum *Molinosio* acta essent, eodem mentis acumine, parique solertia literis consignaret; sed ita tamen, ut & alia *Burneto* non memorata, circa Inquisitionis tribunal & Status quosdam Italiæ exactius referret. Hinc *tres* illæ natæ sunt ipsi *epistolæ*, in quarum *prima* de *Molinosio* & *Quietistis*, uti vocantur; in *altera* de rebus ad *Inquisitionem* pertinentibus; in *ultima* denique de rebus politicis *Statuum* quorundam *Italiæ* agit.

In Epistola igitur prima, postquam summam Italiæ, maxime autem Romæ miseriam, a D. *Burneto* relatam pluribus confirmasset, haud mirum esse existimat, tam facile admissam esse *disciplinam Molinosii*, quæ & novitate se commendaret, & a tot viris sacro ordini adscriptis usurpata, ab ipsis imo Inquisitoribus approbata esset, quæ denique cleri jugum excutere doceret, & ad sublimissimum devotionis gradum provehere homines videretur. Ipsum *Michaelem de Molinos* illustri loco in Hispania ortum, & Theologia mystica,

mystica, cujus origo, fata & idea a p. 18. dilucide & succincte explicantur, imbutum probe, in Italiam advenisse, & quod moribus ubique ad honestatem compositis uteretur, opinionem hominis docti judiciique recti facile sibi conciliasse; ac ordinem quamvis assumserit, noluisse tamen uti beneficiis ipsis. Cæterum, cum *devotionis suæ methodum* propagaturus esset, edidisse ipsum anno 1675 sub *Manuductionis Spiritualis* nomine librum, a multis Theologis & Episcopis approbatum; eoq; ipso multos statim viros insignes, non unis tamen rationibus inductos, familiariter sibi adjunxisse; quos inter haud dubie fuerint aliqui, qui ut monachos & Jesuitas cumprimis, a dirigendis conscientiis abstinerent, novis rebus studuerint. Maximo autem ardore ad institutum illud urgendum accessisse Cardinales, *Cassanatum*, *Azolinum & Carpenium*, ac quos nupera promotio purpura induit, *Coloredum*, *Ciceri*, interque eos *Petruccium* præcipue, quem non aliter homines ac *Molinosii Timotheum* respiciant. Omnium tamen zelum vicisse Cardinalem *Estræum*, qui cum ex conjunctissima amicitia cum *Launoio* celeberrimo Parisiensi Theologo culta, ingentem eruditionem comparasset, in intimam familiaritatem *Molinosium* admiserit: qua occasione in commercium ille literarium cum viris in Europa præcipuis inciderit, qui & laudarint hanc methodum, & sectari se sint professi. Quam frequens autem literarum hoc fuerit commercium, vel ex eo patet, quod dicatur inferius, numerum epistolarum ad *Molinosium* scriptarum ad 20000 adscendisse, & eo ipso die, quo captivus factus est, 20 imperiales pro transferendis literis, *postarum*, qui dicitur, *magistro* fuisse solvendos. Interim ipsum, qui nunc *Pontifex* est, cum anno 1676 ad id fastigii extolleretur, existimasse, facilius populi gratiam aucupari se & obtinere non posse, quam si virum hunc tam probatæ pietatis laude inclytũ tenerius complecteretur. Quare & peculiare domicilium suo in palatio ipsi assignasse, & variis insuper testimoniis favorem suum declarasse. Nec tamen ideo majores *Molinosium* tam magnis amicitiis innexum sumsisse spiritus, sed eadem potius, qua antea, modestia fuisse usum. Cum igitur hac ratione magis magisque invaluisset *methodus Molinosiana*, tum vero Patres & *e Societate Jesu, & Dominicanos* hæc omnia ut sibi exitiosa respectasse, & inde magnos clamores sustulisse, veritos, nisi mature tanta in-

ta incrementa sufflaminarentur, ne mercium suarum auctoritas in vulgus vilesceret. Ut tamen caute rem agerent, auctores primum methodi capitali hæreseos crimine sub *Quietistarum* nomine in invidiam adduxisse, suæque Societatis exstimulasse nonnullos, qui contra *Molinosium* scriberent: quos inter *Segnerius* scripta *Concordia laboris & quietis*, quam & mense Januario 1687 p. 19. Actis nostris insertam, & nuper Latio donatam apud nos meminimus, præcipuas egerit partes. Tanto fervore cum res fuerit agitata, latere eam non potuisse amplius *Inquisitionis* tribunal, quod accuratissimo examini *Molinosii* & *Petruccii* scripta subjecerit, accusatoribus Jesuitis. Sed tam feliciter & promte causam suam peroravisse accusatos, ut iterata vice libri eorum approbati, & criminationes adversariorum calumniis accensitæ fuerint; quæ res multo majorem methodo huic & ejus cultoribus constituerit auctoritatem, & ita occupaverit hominum animos, ut palam disciplinam hanc profiterentur, nec *missam* frequentantes amplius, nec preces ad rosarii globulum adnumerantes. Nec tamen ideo cessasse adversarios, sed *Molinosium* clam palamque traduxisse, veluti Judaismi aut Muhamedanismi, quod Hispanus esset, suspectū, aut qui de confessione nimis abjecte & hæretice doceret, ipsiq; adeo impositā necessitatē, ut emisso *de quotidiana communicatione* tractatu, qui tamen plus ornatus rhetorici, quā solidarum rationum contineat, impacta crimina a se amoliretur. Cum igitur viderint inimici, *Molinosium* gradu dejici non posse, adiisse tandem ipsos Patrem *de la Chaise*, Regis Christianissimi confessionarium, exaggerato discrimine rebus suæ Societatis imminente, nisi quantocyus inhibeatur doctrina tam pernicioſa; qui prout plurimum gratia & auctoritate in regia valeat, ita facile effecerit, ut mandata ad Cardinalem Estræum mitterentur, quibus omnibus modis persequi *Molinosium* & *Papæ* exprobrare jussus sit, quod dum Rex suus in Galliarum regno funditus exstirpare nitatur hæresin, ipse suo in palatio conniventia & assensu invalescere eandem patiatur. Cardinalem itaque, virum cætera laudatissimum, regia tamen mandata amicitiæ privatæ prætulisse, & ut fama fert, sua delatione effecisse, ut anno 1684. Molinosius ad tribunal Inquisitionis raperetur. Hic cum clam habeantur omnia, pauca hæc Auctor refert hac de re comperta. Cardinalem Petruccium mox absolutum fuisse, *Molinosium*

linosium diutius detentum, ut tamen spes fuisset, expediturum se facile, quod nullo negotio objecta dissolvisset, nisi Cardinalis *Estræus* mandata quæ diximus, Regis sui apud *Pontificem* ursisset, addito, multa sibi constare, quæ sufficerent, ad in urendam Molinosio hæreseos maculam, & inquisitores ipsos, ad quos Papa causam rejecerat, convenisset, singula exponendo, nec negando, arctam sibi cum homine intercessisse necessitudinem, saltem ideo, ut penitissime mentem ejus inspiceret, quam periculosas fovere opiniones statim in principio observasset. Molinosio carceri incluso, quievisse per longum temporis spatium omnia, usque dum d. 9. Febr. 1687 tanto atrocior tempestas ipsi ejusque sectatoribus incubuerit. Tum enim Comitem *Vespinianum* ejusque conjugem una cum septuaginta viris, non minus doctrina quam pietate præstantibus, & mox ad ducentos in custodiam fuisse abreptos, quæ res miros in animis hominum motus Romæ concitaverit. Duos post dies *literas circulares* per totam Italiam fuisse transmissas, quæ & hoc loco p. 71. leguntur, quibus omnia *Quietistarum conventicula* stricte prohibentur, caverique jubetur, ne *directores* ejusmodi *conscientiarum* in monasteria se insinuent spirituales Christi sponsas corrupturi. Sicuti & Romæ facta statim visitatione, magna pars monialiū diversorū ordinum *viæ* huic instituisse fuerit reperta; nec tamen multum in reliquis Italiæ partibus istas literas promovisse, quod vel Episcopi *Molinosii* dogmata amplexi, vel totius negotii incurioſi fuerint. Papam interim Cardinali *Cibo* ministro primario succensuisse, quod eousque rem progredi passus esset, in prima herba facile opprimendam. Magnum vero fuisse numerum captivorum in magna dignitate viventium, inter quos & P. Appianus Jesuita fuerit, quæ res male admodum Patres hujus ordinis habuerit. Ut tamen Inquisitores anticiparent orbis totius judicium, id negotii uni ex sodalibus dedisse, ut XIX Articulos, quos ex doctrina *Quietistarum* excerpsisse se dicebant, sub censuram vocaret, quod cum odioſissime factum esset, omnem commiseretionem erga reos adimere hominibus voluisse. Leguntur articuli isti cum censura p. 76 Italice, qui & Gallice versi cum notulis adjectis, quæ multis in locis injuriam fieri *Quietistis* docent, p. 90. exhibentur, quorum aliqui ipsi *decreto Inquisitionis* inserti sunt, cujus partem cum mense Octobri 1687 in Actis p. 589 re-

 tulerimus,

tulerimus, nihil amplius de iſtis addimus. Hæc omnia continentur in *Epiſtola priore*. Sed cum Auctor prius Roma diſceſſerit, quam ad finẽ perductus cum *Molinoſio* inſtitutus proceſſus fuerit, appendicem annectit, in qua reliqua huc pertinentia fide amici adjiciuntur. *Molinoſius* itaq; potentia adverſariorũ obrutus & vitæ peſſime & hypocritice transactæ inſimulatus, quod tamen prudentiores validis in contrariũ argumentis non credant, illo honore & gratia, qua per viginti annos Romæ floruerit, ſubito excidiſſe dicitur; tanto ſuccedente odio, ut furori ſuo plebs eum immolaſſet, cum abjurandũ ipſi eſſet publice, niſi corporis cuſtodia vim arcuiſſet; tum enim apparitorum humeris in *templum Minervæ* deportatum fuiſſe, ut errores diſſeminatos hactenus ejuraret, & ultimam in ſe audiret ſententiam. Ipſum vero imperterritam animi conſtantiam præ ſe tuliſſe, & ne notam quidẽ confuſi & pudefacti ob hæreſeos crimen animi oſtentaſſe: ſuo in loco conſtitutum coram Cardinalibus reverenter ſe inclinaſſe, vinctum tamen fuiſſe cereos in manibus tenentem. Populum, cum articuli nonnulli a duobus Monachis prælegerentur, ex compoſito *ad ignem*, *ad ignem* proclamaſſe. *Molinoſium* includendum nunc perpetuæ cuſtodiæ, hæc modo ad ſacerdotem ſibi adſtantem feciſſe verba: *Vale mi Pater, videbimus nos iterum die judicii, & tum manifeſtum fiet, a cujus partibus, mea an veſtra, veritas ſteterit.* Prudentiores eſſe, qui nec ſic quidem putent ignem eſſe extinctum, ſcintillulis ſub cineribus latentibus, & ſuo tempore in majus incendium erupturis. Quæ confirmantur ſane iis, quæ novellis ordinariis ſubinde hac de re ad nos adferuntur. Convictos ejusdem opinionis, leniter valde (cujus rei cauſæ redduntur,) ſed præter morem ab Inquiſitione haberi, nec ad aliud adigi, quam ut ejurent errores ex *Molinoſii* doctrina hauſtos. Et iſta quidem ex prima epiſtola ejusque appendice, de *Molinoſio & Quietiſtis*, quod frequens eorum paulo ante etiam in oris noſtris facta ſit mentio, excerpenda duximus: reliquarum duarum epiſtolarum argumenta, uti ſupra factum eſt, indicaſſe ſufficerit.

RECUEUIL DE DIVERSES PIECES CONCERnant le Quietisme, & les Quietiſtes &c.

id eſt, Collecta-

Collectanea de Quietiſmo & Quietiſtis, ſive de Michaele Molinos ejusque doctrina & diſcipulis.

Amſtelodami, apud A. Wolfgang & P. Savouret 1688, in 8.

NImium forte jam de Quietiſmo, quem vocant, dictum eſt; & maximam præſentis operis partem facit fatalis ille *Molinoſii* libellus, Gallice verſus, quem ſub *Manuductionis Spiritualis* titulo latine redditum eſſe, cum annexa diſſertatione de communione quotidiana, anno præterito pag. 589. notavimus. Acceſſerunt excerpta quatuor epiſtolarum, itidem Gallica, quorum longiſſima ſunt, quæ ex literis Angli cujusdam jamjam prolixe enarravimus. Ut autem *collectaneorum* iſtorum mentionem non omitteremus, præfatio fecit iis præmiſſa, in qua ab Autore haut pauca tractantur, quæ non ſaltem ad Molinoſii cauſam ſpectant, ſed & ob alias rationes conſiderationem merentur. Præſupponit, non obſcurum eſſe, cur Romana Hierarchia *Quietiſtarum* opinionem & ſectam tanto molimine oppreſſum eat. Licet enim, ait, Theologiam myſticam magni faciat, & quosdam ejus ſectatores ſanctorum elogio ornet; novos tamen hos *contemplationis* auctores pro apoſtatis veteris illius ſcientiæ, & pro pernicioſis cultus Eccleſiaſtici corruptoribus habet. E contrario Proteſtantibus novam hanc ſectam diſplicere putat, quod myſticos prope omnes pro fanaticis & viſionariis æſtimare ſoleant, grandibus verbis quæ nihil ſignificent, & barbaris vocabulis religionem dehoneſtantibus. Ipſe vero mitius cenſet de myſticis, & ab iis fere ſperni dicit, qui Deo qualicunque cultu externo, & ſervata morum aliqua honeſtate, ſatisfieri poſſe opinantur, de abnegatione ſui & amoris proprii extinctione parum ſolliciti. Nec difficile probatu eſſe, plerasque myſticorum formulas ex ſacris literis deſumi. Rejicit tamen quorundã extravagantes & quodammodo ecſtaticas. Per *contemplationẽ* vero optimum quemq; ex myſticis prioribus, v.g. *Johannem de Cruce*, *Harphium*, tum recentes *Molinoſium* & *Malavallium*, nihil aliud intelligere, quam *ſtatum mentis*, *Deum ſemper ante oculos habentis*, *neque agere volentis*, *quam quod Deo placeat*, *aliaque reconditæ & veræ pietatis ſtudia ſequentis & præſtantis*, quæ Autor imperfectionis ſuæ, ut ſcribit conſcius, deſcribere non magis

audeat

audeat, quam vir sanctimoniæ nomine celeberrimus *Jacobus Usserius*, cujus verba adducit. Ad objectionem de obscuritate mysticorum respondens, improbat ejus affectationem & Aristotelicæ Metaphysicæ imitationem, excusat vero aut laudat eam, quæ talis non sit iis, qui pii & devoti cordis motus & veluti linguam intelligunt, aut qua Autores usi sunt, ne profanorum ludibria, aut persecutiones a rigore *inquisitorio* incurrerent. Vidisse quidem eos Ecclesiæ suæ errores, sed non ausos esse, nec consultum duxisse, ut eos aperto veluti Marte ad Protestantium exemplum aggrederentur, quorum etiam sententiam non omnes probare adhuc potuerint. Comparationem addit inter *Cartesii* & *Molinosii* methodum, qua ille Philosophiam, hic Theologiam emendare instituerit. Licet vero hic occultius egerit, satis tamen apparere, systema ejus ad destructionem Papismi tendere; id quod etiam de veteribus mysticis suspicatos esse superstitionum defensores, exemplo *Eccii*, *Taulerum* a Luthero commendatum insectantis, demonstrat. At longe periculosiorem nunc visum esse Molinosium, qui haud magnis obscurisque voluminibus, sed brevi & perspicuo libello, totam Theologiam suam complexus sit, eoque modo, tum simplicitate & disciplina morum & fuga dignitatum, ingentem hominum numerum ab externo illo cultu abstractorum in suam perduxerit sententiam; unde mirum non sit, quod a *Jesuitis* aliisq; tantas oppositiones per annos fere viginti expertus fuerit. Specimen astutiæ adversariorum affert ex *Coupleti* editis nuper, nobisque proximo mense Majo pag. 254 recensitis libris *Confucii*, ubi occasione cujusdam sectæ Chinensis Quietistas maligne denigraverit. Confer pag. Actorum nostrorum 258. Non dubitat, tot hominum myriades (*une million*) interque eos ex Ecclesiasticis summos viros, imo ipsum Pontificem, excessum superstitionis popularis, in Italia & Hispania maxime, observasse, & tædium ejus mente concepisse; ejusdem autem defensores majus a *Quietismo* schisma, quam a *Lutheranismo* metuisse. Fieri quidem potuisse non negat, quia veritas paucis placet, ut multi novam hanc pietatis interioris restitutionem temere, aut per ambitionem & hypocrisin secuti sint, neque hanc a sincera professione facile discerni, nisi exploratio a persecutionibus accedat: interim non paucos bono animo *Molinosio* adhæsisse, nec in Italia solum aut Hispania, ubi superstitio ad cul-

ad culmen perducta est, sed & in Gallia. Allegat libellum anno 1687 ex Italico translatum, & Parisiis cum privilegio Regio editum, in quo palam agnoscitur, Quietismum oppido quam multos approbatores in Gallia invenisse. Libellum illum, cui titulus est: *Quietista*, sive *Illusiones Orationis quietis*, Segnerio tribuendum censet, cujus tractatum contra Molinosium in Actis anno *1687 pag. 19.* recensuisse nos modo diximus; unde & ab excerpendo novo illo abstinuimus, cum in *Segnerii* libro priori eadem fere reperiantur. Cæterum haud impossibile judicat Autor, ut aliquando Molinosii, & qui cum eo sentiunt, libri nunc damnati, approbationem ab ipso tribunali inquisitorio inveniant; neque enim insolitum esse, ut sententiam mutet. Exemplum affert libelli horridis opinionibus repleti, & sub nomine *Amadei Guimenii* anno 1660 Parisiis editi, quem alii *Mojæ*, Jesuitæ Hispano, alii *Theophilo Raynaldo* adscribunt. Hunc enim ait diverso tempore ab *Alexandro VII* probatum & condemnatum fuisse. Valde dubitat, an propositiones Molinosio attributæ, vero sensu conceptæ & damnatæ sint, & Jansenii negotiũ pro dubitationis suæ causa allegat, ita tamen, ut hunc difficilius, quam Molinosium putet defendi posse. Pro certo vero asseverat, injuriam Molinosio non uno ex capite factam esse; inter alia quod accusatus fuerit, ac si omnem cultum & ritum externum sustulerit, cujus contrarium ex *Lib. I. cap. 14. & 15. Manuduct. Spirit.* apparere existimat. Promittit inde apologiam integram Quietismi, justumque de mysticis tractatum. Angi tamen se fatetur ob quædam Molinosio imputata, quæ quia facti sint, nec ex libro ejus demonstrabilia, negare quidem possit, malit tamen contrariis probationibus elidere. Ad eum finem amicos ejus implorat, ut sibi innocentiam viri defensuro, per bibliopolas in titulo tractatus sui nominatos, documenta submittant; maxime vero libellum apologeticum Romæ excusum desiderat, quem *Cardinalis Petruccii* esse putat. Excipiet sane laborem Autoris non illubenter orbis literatus; interim notari potest, id pollicitatione hac & præfatione, quam referimus, agere Autorem, ut Theologos Protestantium a præcipiti in Molinosii sententiam judicio avocet, ne fortasse veritatem per calumnias, ut putat, deformatam, suamque ipsi causam intempestive lædant. Evitari autem haud difficulter id potest, si non ex rumoribus

aut imputationibus, sed ex iis quæ Molinosii liber continet, judicium feratur; cætera enim fide stant referentium, & apologiam nunquam non admittunt.

BRITANNICARUM ECCLESIARUM ANTIQUItates, quibus inserta est pestiferæ a Pelagio Britanno in ecclesiam inductæ hæreseos historia. Accedit gravissimæ quæstionis de Christianarum ecclesiarum successione & statu historicæ explicatio: Aut. Jacobo Usserio, Archiepiscopo Armachano, totius Hiberniæ Primate.

Londini apud Benjamin. Tooke, A. C. 1687. fol.

INter Latina, quæ Jacobus Usserius, dum viveret, edidit opera, quædam sunt *historia Gottesschalci*, *epistolarum Hibernicarum sylloge*, *annotationes & appendices ad Ignatium*, *dissertatio de Symbolo Romanæ ecclesiæ apostolico*, *annales veteris & novi Testamenti*, *syntagma de versione LXX. Interpretum &c.* non postremum locum merentur tractatus *de ecclesiarum Christianarum successione & statu*, Londini A. C. 1613. primum editus, & *de Britannicarum ecclesiarum primordiis* A. C. 1639. Dublinii vulgatus. Utrumque uno volumine nova hæc editio conjungit, quam cum prioribus conferentes animadvertimus, in Britannicarum ecclesiarum antiquitatibus suis locis inserta, quæ in prima editione sub finem Autor addenda collegerat. Plures quoque Autores subinde in margine allegatos, ipsumque contextum non pœnitendis additionibus locupletatum, & quæ in prima editione transposita fuerant, in ordinem suum redacta deprehendimus. Pari ratione & alterum tractatum de ecclesiarum successione & statu, cum in notis marginalibus, tum in ipsa orationis serie auctiorem observare licet. Ipsius autem Autoris manui additiones & emendationes istas acceptas referunt, qui hujus editionis curam in se susceperunt. Singula loca indicare supersedemus, cum plura sint, quam ut exiguo spatio comprehendi possint, & in tractatu de ecclesiarum statu uncinulis plerumq; signata vel inclusa statim lectorum oculis occurrant.

Hennin-

HENNINGI VVITTE DIARIUM BIOGRAPHICUM, in quo scriptores seculi post N. CHR. XVII præcipui juxta annum diemque cujusvis emortualem cum scriptis eorum editis recensentur.

Gedani, sumtibus Martini Hallervordi, 1688, in 4.

QUi præclarorum & doctrina excellentium memorias virorum, victurique nominis famam, aliis jam libris de illis editis prorogare studuit *Vir clarissimus*; is nova nunc methodo, seculi nostri vergentis scriptores in præcipuis Europæ partibus sibi cognitos, absque religionis, cui addicti fuerunt, discrimine, quotquot scriptis etiam tenuioribus claruere, juxta annum diemque cujusque emortualem, cum libris ab ipsis vario idiomatis genere publicatis recenset. In illo ordinem dierum & mensium cujusque anni, a primo hujus seculi, ad annum proxime jam elapsum observavit, & quo quisq; die vita excesserit, cum annotasset, munia & libros eorum editos subjunxit. Ut vero usus diarii hujus magis pateat, præfationi excerpta quædam notabilia annectit. Nam (1) exhibet scriptores μικροβίους, qui in florida ætate vitam clausere: (2) μακροβίους, qui ætatis annum LXXX. superarunt: (3) qui natali die suum obierunt diem: (4) qui cruenta morte vitam finierunt: (5) qui Rectoratum Academicum gerentes, mortui sunt: (6) qui una eademque die ex vita excessere: (7) qui sponsi obierunt: (8) qui ultra L annos publico munere functi sunt: (9) qui cæci fuerunt: (10) qui legationibus perfuncti: (11) qui lapidis philosophici indagatores: (12) qui cælibes manserunt: (13) qui rerum novarum inventores: (14) qui scriptores anonymi: (15) qui pseudonymi: (16) qui polygraphi: (17) qui libros idiomate exotico scripsere: (18) quorum libri in linguas exoticas conversi: (19) quorum libri sæpius recusi: (20) qui Biblia S. in linguas exoticas transtulere; ubi memorat, quod auspiciis Potentissimi Regis Sueciæ Caroli XI, opera venerandi *Joh. Fischeri*, sacer codex in linguam Litticam ac duplicem Esthonicam conversus, jam typis exscribatur: (21) qui religionem mutarunt: (22) qui rariora argumenta tractarunt: (23) fœminas & virgines eruditas, & denique (24.) ἀξιομνημόνευτα quædam de viris doctis addit. Nos propter

induſtriam & ſtudium de præclaris ſcriptoribus bene merendi, *Autori nobiliſſimo* vitam & annos adprecamur, ut, ceu ſpem fecit, ea voto integrum hoc declinans ſeculum abſolvere poſſit.

REMARQUES D' UN THEOLOGIEN SUR le Traité hiſtorique &c. i. e.

Obſervationes Theologi cujusdam ad Tractatum Hiſtoricum Maimburgii, de Inſtitutione & Prærogativis Eccleſiæ Romanæ.

Coloniæ, 1688. 12.

PRodierunt jam ante biennium, & Gallico itidem idiomate, in notiſſimum Maimburgii de *Prærogativis Eccleſiæ Romanæ* librum, cujus contenta in Actis noſtris menſe Majo 1685. p. 216 ſeqq. exhibuimus, Animadverſiones Anonymi: quarum recenſum hactenus non conſulto, ſed ob librorum aliorum copiam omiſſum, in Actorum Supplementis quæ meditamur, inſtituemus. Nunc alium dicti Tractatus examinatorem, ſed prolixiori, ut videtur, apparatu, aliisque armis inſtructum, in medium producimus, qui ſub initium in Maimburgio mediocrem eruditionem, & antiquitatis eccleſiaſti-
pag. 10. cæ notitiam admodum tenuem reprehendit. In ſcriptis porro Patrum & canonibus Conciliorũ ſolide non verſatum eſſe ait: facta falſa inducere, ex veris falſas nectere conſequentias: loca allegata interpretatione parum fideli corrumpere: ſibi ipſi contradicere: nec hiſtoricum titulum in Tractatum diſputationibus Theologicis refertum quadrare, quanquam nec theologi nec hiſtorici partes Au-
11. ctor expleat. Librum ipſum, uti vane jactet Maimburgius, ca-
13. tholicos non ædificare, aut pacem inter eos conſervare, ad quam ſtabiliendam aptus natus non fuerit, veluti ex ſcriptis circa Pontificis negotia pateat. Cui vero, inquit, bono Eccleſiæ, ad conquaſſandã de infallibilitate S. Sedis doctrinam, in maxima parte mundi, & ante 40 annos in Gallia etiam communiter receptam, Tractatus conſcribere? Cui bono, cum ſcandalo piorum & ſimplicium, Pontificum vitia exaggerare, & exteris, Galliæ maxime hoſtibus, anſam præbere divulgandi, ac ſi Galli Papæ ulterius obedire faſtidiant?

Ita

Ita etiam doctrinam de ſuperioritate Conciliorum comparatam eſſe. Libertatem enim Eccleſiæ Gallicanæ a quæſtione, fruaturne pag. 16.
Papa æquo jure cum Concilio generali, aut ſuperiori, non dependere; illud unum in foro expendendum, an nova Conſtitutio rebus Gallicanis proſpiciat, aut noceat. Quoad abſolutam Regum in temporalibus independentiã libros, quales Maimburgius ediderit, Regi 17.
parum proficuos, ſed melius fore, ſi extra controverſiã ponantur Superioritatis jura, quam ut in dubium vocentur, & ſi juxta decreta Conſilii Status A. 1626, propoſitiones autoritatem ſupremam Regis attinentes, neque affirmative, neque negative ventilentur. Sic nec 22.
Tractatum iſtum, ex opinione Maimburgii ad promovendam hæreticorum converſionem quicquam facere. A doctrina enim in Scriptura & traditione fundata in eorum gratiam non recedendum, in quæſtionibus vero inter Catholicos ipſos diſputatis ſententiam, quæ hæreticis blandiatur, non propugnandam eſſe, cum ferociores ſaltem inde redditi ad plura poſtulanda animari ſoleant. Volupe 26.
ipſis eſſe, autoritatem Concilii ſuper Pontificem extolli, & infallibilitatem ejus negari. Hoc obtento, ait, etiam in Concilio eam non admittent, hinc aliam, præter verbi divini, autoritatem non agnoſcendam eſſe, ſtatuentes; imo ſi autoritati humanæ ſe ſubmittere debeant, Papæ infallibilitatẽ tuentibus ſe acceſſuros dicent, eamque maxime compendioſam controverſias emergentes terminandi viam 36.
eſſe. Non eſſe, cur *Abraham Cretenſis* pravæ interpretationis *Decreti Florentini* inſimuletur, qua opus non habuit, cum decretum in ipſo Concilio utroque idiomate conſcriptum fuerit. Interim Patres Con- 37.
cilii circa primatũ Pontificis nihil novi definire, aut modum gubernandi præſcribere, aut canonibus eum ſubjicere, ſed uberioris tantum confirmationis ergo verba illa addere voluiſſe. *Richerii* opinio- 49.
nem, poteſtatem clavium Eccleſiæ potius quam Petro conceſſam, eidem proprie & principaliter, Papæ & Epiſcopis vero inſtrumentaliter competere, ab Epiſcopis Galliæ reprobatam eſſe. Fallere
Maimburgium, ſi autoribus pro opinione ſua contra infallibilita- 58.
tem decreti, ex cathedra præviis requiſitis pronunciati, Facultatem Theol. Pariſienſem, Galliã univerſam, & infinitos Doctores Germa- 64.
niæ, Poloniæ & Belgii accenſere velit. Si, quoad Fac. Pariſienſẽ, Declarationis forte A. 1663 Regi oblatæ Art. 3. inniti velit, ubi dicitur: *non*

esse doctrinam nec dogma Facultatis, summum Pontificem, nullo accedente Ecclesiæ consensu, esse infallibilem, responderi posse: 1. Facultatem non tractare doctrinam de infallibilitate. 2. verba *nullo accedente consensu Ecclesiæ*, ad minus consensum Ecclesiæ particularis Roma-
pag. 70. næ, tanquam matris reliquarum, involvere. Nec Cleri Gallicani propositionibus A. 1682 editis ipsum adjuvari. Quæri enim posse, num jus & sufficientem autoritatem decidendi habuerit; num Episcopi, qui ad formandum Concilium nationale, pro quo congregatio illa haberi voluit, comparere potuerint vel debuerint, ad illud
71. vocati fuerint, & suffragium dare potuerint. Contra eundem Clerum alio tempore, item Concilii Turonense, infallibilitatem Papæ
82. luculenter asseruisse. Petri errorem, juxta Tertullianū, conversationis, non prædicationis aut fidei fuisse. Augustinum Pauli reprehensionem seriam, Hieronymum simulatam statuentes, in eo convenire, quod Petrus, quid sibi credendum foret, optime sciverit. Ab
89. exemplis quoque ad doctrinam ipsam male inferri; cumque ceremoniæ legales tunc adhuc indifferentes essent, usum earum citra errorem observari potuisse, ut ita cum honore Synagoga sepeliretur. Hinc primatui Petri ex verbis Christi: *Tu es Petrus* &c. *Rogavi pro te* &c. *Pasce agnos meos* &c. denuo statuminando, cum multis
92. Patrum & Interpretum allegationibus, contra Maimburgiū, in quem pravæ simul allegationis culpa recidit, integrum caput impenditur. Ab Episcoporum etiam Asiaticorum oppositione *Victori* facta,
134. ad negationem agniti primatus jurisdictionis Papalis, Maimburgiū male argumentari: nec elici inde posse, nullum Episcopum infallibilitatem credidisse, licet particularem disciplinam tuendi rationem habere potuerint; veluti nullus Catholicorum neque in Gallia, neque alibi, de infallibilitate Concilii *Tridentini* dubitet, licet quædam capita ad disciplinā spectantia in Gallia recepta non fuerint. Ire-
139. næum in favorē Sedis Romanæ alibi multa proferre, & ipsum Maimburgiū in literis sub nomine *Galli Romani* (*François Romain*) editis, aliter de hoc negotio locutū, *Victorem* pro admirabili & *magno Pontifice*, Episcopos pro *rebellibus* & *obstinatis* habuisse; sicut etiam de *Cypria-*
160. *ni* contentione cum *Stephano* P. longe aliter statuerit, & in concione quadam quadragesimali A. 1677 hujus ipsius Patris autoritate obligationem, sub pœna damnationis decisionibus cathedræ Petri se submit-

submittendi, corroboraverit. Cumque Concilia generalia Victoris & Stephani sententiam secuta fuerint, justius esse, conclusiones, quæ Sedi Rom. faveant, quam quæ illi præjudicent, inde exsculpere. *Liberii* subscriptionem ad hanc quæstionē, in qua de judicio authen- pag. 170.
tico & deliberato Papæ agatur, plane non pertinere; *Vigilium* autem 179.
post novum lumen a Deo acceptum, & veritatem repertam, (uti in literis ad Eutychium Patriarcham CP. de se ipso loquitur,) *tria illa Capitula* antea a se probata, absque ulla submissione Concilio facta, condemnasse. *Honorium* pariter non ob doctrinam Monothelitarum
damnatum fuisse, sed quod nimia eam negligentia & ambiguis ad 190
Sergium literis foverit. C. *Laudabilem* Celestini III, sed Clementi III.
falso tributum, pro responsione ad consultationem accipi debere; 202.
talia enim Responsa ad Consultationes emissa, per tradita *Melchioris Cani*, non semper pro decisionibus fidei habenda esse. Pro *Bonifacii* VIII. exculpatione affertur, eum contra imputatam sibi de suprema Papæ in *temporalibus etiam* potestate sententiam protestatum, & in oratione quadam a Spondano ad a. 1302 relata de *Petro Flotta*, qui 207.
literas, superioritatis suæ in temporalibus agnitionem a *Philippo Pulchro* exigentes, fuppoſuerit, publice conquestum esse, Cardinalibus ipsis attestantibus. C. *unam sanctam* insuper ita intelligendum esse, quod Reges aliquo modo in temporalibus *ratione peccati & de necessitate salutis* subjecti sint; & talem potestatem ab *Innocentio IV*, variisque Canonistis Gallicis etiam, *indirectam* appellari, & Card. *Perronium* A. 1614 articuli contra hanc opinionem conscripti publicationem, oratione ad tertium Galliæ Statum habita impediisse. *Sixtum* V. in præf. Bibl. expresse dicere: veteris Vulgatæ 215.
emendatissimam, *quoad ejus & prout optime fieri potest*, editionem imprimi se curasse; *Clementem* VIII deinde *Sixtinorum* Bibliorum appellationem, *revisionis* saltem a se factæ mentione adjecta, retinuisse. Comparatione instituta, differentiam in verbis transpositis aut synonymis, sensu eodem manente, apparere. Ita in N. T. *Joh. VI, 65. Sixt.* Ed. habere: *sciebat ab initio Jesus, qui essent credentes. Clement.* contra: *qui essent non credentes.* Sensum utrinque sibi constare, & utramque lectionē MSSis adjuvari. Item 2. *Pet.* I, 16. in *Sixt. non indoctas* fabulas secuti; in *Clem. non doctas* legi, voce σεσοφισμένοις, cujus loco in MS. *Velesii* Marchionis ἀδιδάκτοις reperiatur,

& quæ

& quæ *doctrinam apparentem* denotat, utrumque admittente ſenſum. Ex ejusmodi differentiis cum nullus error fidei reſultet, Maimburgium non habuiſſe, cur *Thomæ James* in *Bello* ſuo *Papali* partes ſecu-
pag. 228. tus ſit. Quicquid *Johannes* XXII circa viſionem Dei ſtatuerit, per diſcurſum ſaltem & non aſſertive protuliſſe, Facultatis Pariſ. teſtimonio confirmat. Hinc ſermonem *Gerſonis*, in quo opinio iſta, præſente Rege & tubis ſonantibus, a Theologis Pariſ. damnata legatur, cum de
239. manu Autoris non conſtet, ſuſpicione laborare. Pariter & *Petri Alliaci* relationem de durioribus Regis ad Pontificem literis, ſi modo autorem illum agnoſcat, 70. annis poſt illud negotium prodiiſſe, eumque, minas Generali Franciſcanorum intentas Papæ applicando, decipi potuiſſe. Accedere, quod Clerus Gallic. A. 1665. in li-
242. bello Regi exhibito, Parlamenti *Johannis* XXII exemplum allegantis pronunciato contradixerit. Papam non eſſe infallibilẽ, Eccleſiæ Romanæ quoq; traditione Maimburgius docuerat. Ad exemplum igitur *Leonis* erroris Eutychiani condemnationem ad Concilium remittentis, reſpondetur Maimburgiũ verba: *ut pleniore judicio omnis poſſit error aboleri*, male interpretari: ut *per judicium ſolennius & magis deciſivum* error aboleri poſſit. Papas enim judicia ſua ſemper pro
245. deciſivis reputaſſe, Concilii vero generalis congregationẽ ad hæreticos cum majori ſolennitate convincendos neceſſariam ratos eſſe. Hinc Concilii Chalced. Patres *Leonis* literis recitatis: *Petrus per Leonem ita locutus eſt: qui non ſubſcribit epiſtolæ, cui omnis S. Synodus*
249. *conſentit, hæreticus eſt*, exclamaſſe. Ita juxta Breve *Clem. VII.* ad *Franciſcum I.* quod pro Bulla indicti Concilii Maimburgius falſo venditet, concilii generalis remedium ſolum ob hæreticorum obſtinationẽ ad-
252. hiberi, & *Pium* IV Conciliũ Trid. opus *pium* & *neceſſarium* appellantem, non de abſoluta, ſed utili & congrua neceſſitate loqui, ad confirmandos in fide Catholicos, & pleniſſimam hæreticorum confuſionem, qui a *Sede* jam condemnati, a tota Eccleſia pro hæreticis declaratis habiti fuiſſent. Contra *Maximilianũ* I. Ep. ad *Leon.* X fateri: *Pontificem ſolum poſſe & debere vanarum quæſtionũ auctores compeſcere*, & *Carolum* V. in Edicto poſt Bullam Leonis promulgato, Papam ordinariũ controverſiarum judicem agnoſcere; quin ipſum Maimburgium in Tractatu *de Vera Eccleſia* monſtrare, complures hæreſes absq; Concilio univerſali a Sede Romana condemnatas eſſe, p. 303. Concilium *Hiero-*

Hieroſolymitanum, præterquam quod ob trium ſolum Apoſtolorum, *Petri*, *Jacobi*, & *Pauli* præſentiam, pro generali habendum non ſit, nil aliud probare, quam ad deciſionem authenticam diſceptationum congregationem aliquando convocandam eſſe, quæ tamen Concilium generale præciſe non eſſe debeat, adeoque idem etiam pag. 258.
a Papa cum Clero ſuo fieri poſſe. *Adriani* VI Commentarium, etiam in Pontificatu recuſum, Doctoris privati ſcriptum manſiſſe; nec in tam brevi regiminis ſpatio, ab eo circa graviora occupato vel approbari, vel retractari potuiſſe; & *Pauli* IV effatum ex auctore parum noto accerſitum, errorem judicii authentici non
inferre, nec diſpenſationem matrimonialem privato male conceſ- 262.
ſam, definitionem fidei quæ univerſam Eccleſiam obliget, conſtituere. Quid alii Pontifices hac de re ſenſerint, ex *Innocentii I*, *Pelagii*
II, *Gregorii S.* & *Clementis* VI teſtimoniis eluceſcere. Cum quæritur: 275.
an Concilium abſque Papa habitum Papa ſuperius ſit, Maimburgium id affirmantem rationes afferre, quæ Concilium, quod Papam ſimul includat, reſpiciunt. Sic verba Act. 15. *viſum eſt Spiritui S. & nobis* &c. Concilii, quod Petrum, Caput Apoſtolorum & Concilii iſtius Præſidem ſimul comprehendit, nomine efferri, iisque omnia Concilia, quibus Papa per ſe vel per Legatos præſideat, uti poſſe. Sed
inde non evinci, Papam Concilio, quod ejus perſonam non includat, ſubjectum eſſe. Examina porro Conciliorum, quibus Ponti- 280.
ficum judicia quandoque ſubmiſſa fuiſſe Maimburgius aſſerit, non niſi in recitatione & auſcultatione, quam approbatio ſtatim exceperit, ſubſtitiſſe; quanquam non negetur, verba quædam cum Papæ conſenſu addi vel tolli poſſe, veluti *Jacobus* intellectæ & confirmatæ *Petri* ſententiæ, conſtitutionem de abſtinentia ſanguinis & ſuffocati adjecerit. Contra non deeſſe exempla, ubi Pontifices
Conciliorum Decreta abrogaverint. Papæ convocandi Concilia 306.
iisque præſidendi, fatente ipſo Maimburgio, imo & Decreta confirmandi jus competere, nec illa pro talibus habenda eſſe, niſi Ponti- 312.
ficis autoritas intercedat. Sic *Theodorici* Regis auſpiciis Concilio contra *Symmachum* Pontificem, criminis contra caſtitatem commiſſi accuſatum, Romæ congregato, Epiſcopos judicaſſe, quod ipſe accuſatus Synodum indicere debuerit, quin *quantum ad homines immunem & liberum pronunciaſſe, totum arbitrio divino reſervantes*,

quia non facile detur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. Quoad teſtimonia quorundam Pontificum, Concilia Papis ſuperiora perhibentium, regerit Theologus noſter,
pag. 322. Maimburgium *Siricio* longe aliam mentem affingere. Quod enim *Aniſio* Epiſcopo Theſſalonicenſi, in cauſa *Bonoſi* judicium ejus expetenti reſcripſerit: *nos quaſi ex autoritate Synodi judicare non convenit*; ſenſum non eſſe, ac ſi non poſſit judicare, quia Concilium, quod nec generale erat, hanc autoritatē non conceſſerit, ſed quod *talis judicandi forma, ex delegatione nempe Synodi, ipſum non deceat. Launoyū*, ex quo plurima hauſerit Maimburgius, Siricii literas eodē fine citantem, ab
327. Autore libri de *Judiciis Canonicis* plene refutatū eſſe. Nihiloſecius *Innocentium I.* poſtquā omnia a *Theophilo* Patriarcha Alexandrino contra *Chryſoſtomum* actitata aboleverat, Concilium, cui præſidere debebat, ceu optimum turbarum Eccleſiæ Orientis & Occidentis ſe-
331. dandarum remedium, neceſſarium ſtatuiſſe. Ita nec *Innocentium* III poteſtatem definiendi circa diſſolutionem matrimonii *Philippi*, ſibi ipſi abjudicare, ſed id velle, quod contra regulas Chriſti, in favorem Regis, *Sedis* autoritas diſpenſare nequeat, & ſic Regis petitum prudenter eludere; veluti, dum Papam ob errorem fidei a Concilio deponi poſſe credit, non tamen credat facile, Deum permiſſurū, ut Pa-
335. pa contra fidē erret. *Agapetum* etiam Synodi Romanæ alienationē bonorū eccleſiaſticorum prohibentis decreto, tanquā juſtiſſimæ regulæ, contravenire noluiſſe; nullā vero ſubmiſſionem inde ſequi. *Sylveſtro* II attribui verba, quæ cum adhuc *Gerbertus* vocaretur, Papæ invaſionem Archiepiſcopatus *Rhemenſis* ferre nolenti infenſus protulerit. Ratione obſervantiæ Canonum Pontificibus incumbentis,
342. cum *Gelaſius* univerſalis eccleſiæ aſſenſum præ ceteris a primæ Sedis Epiſcopo obſervari debere ſcripſerit, de Concilio generali, ſub quo & Papa comprehendatur, intelligendum eſſe. Nec de eo dubium eſſe, quod canones de rebus lege divina & naturali mandatis, ut & circa regimen Eccleſiæ diſponentes, ſi generaliter recepti, pro regula Pontificibus habendi ſint. Poteſtatem vero contrà canones diſ-
358. penſandi non ab ipſis, quod velit Maimburgius, conciliis dependere, ſed primatui Vicarii Chriſti neceſſario annexam eſſe, a quo etiam ad urgentem neceſſitatem & utilitatis evidentiam, non tam canonum, quam rationis & æquitatis ductu, reſpiciatur. Unde &

non

non facile præſumendum eſſe, eum inconvenienter diſpenſaturum; ſi tamen tale quid eveniat, modeſtis admonitionibus locum fore. Circa Appellationes a Bullis *Bonifacii* VIII in Gallia factas, *disjunctivam*, ad Papam nimirum legitimum vel melius informandum, pag. 360. *aut* Concilium generale, a Maimburgio diſſimulari. Tales vero appellationes ab eodem ad eundem, aut ubi hic conventui præſidere debeat, proprie tales non eſſe; & plures autores Gallicos eas non approbare. *Victoriam* etiam Theologum Hiſpanum per C. *Ipſi ſunt q. 3.* & C. *Nemo* probare, appellationes a Pontifice ad Concilium nec permiſſas nec utiles eſſe; turbaſſe potius Eccleſiam, Pontifice Concilium, a quo facta ſua reſciſſum iri prævideat, non facile convocaturo. Pariter Appellationes ad Parlamentum *veluti ab abuſu*, ob defectū ſuperioritatis in Papam, proprie tales non eſſe. *Brevium* Pontificiorum examen eum in finem fieri, ut inde cognoſcatur, num quid contra Regis vel Regni jura contineant, aut ſi obreptitie impetrata, executio eorum impediatur. Ad materias vero pure eccleſiaſticas ſi extendatur, aut intentio Papæ male explicetur, vel præter rem Bullæ executio impediatur, cenſuram paratam fore, Clerum Gallicum de tali appellandi modo ſæpe conqueſtum, novam inventionem forenſem, in Gallia hactenus incognitam, autoritatem eccleſiæ deſtruentem vocaſſe. Hiſtoriam *Concilii Baſileenſis*, qualem Maimburgius exhibeat, a *Spondani* Annalibus multum 365. differre. Decreta enim autoritatem Papæ & Concilii attinentia, autoritate *Sedis* non eſſe facta; Bullam quoque *Eugenii*, qua pro legitimo illud agnoverit, ſchiſmatis metu & deſiderio pacis reducendæ extortam, ſed per aliam revocatam eſſe. Tangit hic Auctor, 378. 380. quæ ratione MSS. *Actorum Concilii Conſtantienſis*, inter Maimburgiū & *Schelſtratenum* diſceptata fuerint, & quomodo hic novo Tractatu, quem in Actis noſtris A. 1686. pag. 307 ſqq. recenſuimus primam Diſſertationem ſuam defenderit, indigitat. Ceterum cum Maimburgius argumento pro ſuperioritate Concilii, a prærogativa *totius* reſpectu *partis* allato, inſtantiam de ſuperioritate Statuum reſpectu Regis, opponi poſſe prævidens, inter hujus, ceu *Domini*, & Papæ, ceu *Capitis*, regimen diſtinxiſſet, per verba Chriſti: *Reges gentium dominantur, vos autem non ſic*; Autor reſpondet, Chriſtum ſolum Eccleſiæ Dominum quidem eſſe, ſed hoc non impedire, 407.

quo minus in persona Petri, Papam vicarium suum in terris cum primatu jurisdictionis constituerit. Christum vero velle, ut non spiritu *imperii*, quo Principes Status suos regant, sed *charitatis* & paternæ mansuetudinis, salutem hominum quærentis, Pastores Ecclesiam gubernare debeant; at mirum esse, quod Maimburgius ratiocinium intuitu Regum a se improbatum, respectu tamen Pontificis admittere non dubitet. Concilii porro superioritatem infallibilitati, quæ in Pontifice deficiat, a Maimburgio superstructam oppugnaturus Auctor, certum esse dicit, Concilium, Papa comprehenso, infallibile esse, sed non æque certum esse, quod eo excluso tale sit. Rationes enim, quæ pro tali Concilio militant, etiam in Pontifice, judicium authenticum ferente, locum inventuras. Concessa etiam ejusmodi Concilii infallibilitate, quid illa ad superioritatem? cum hæc sine illa, & vice versa subsistere possit. Ita *Johannem* æque infallibilem ac *Petrum*, sed hoc tamen inferiorem; *Linum* vero Papam, ex hypothesi Maimburgii fallibilem, ceu caput Ecclesiæ tamen *Johanne* superiorem fuisse. Negatur *Pium* II opinionem suam de superioritate Concilii, post adeptum Papatum retractasse, cum ex ipsa Bulla contrarium demonstrari possit. Ostenditur denique, Maimburgium independentem Regum in temporalibus autoritatem defendentem, partibus suis perperam functum esse. Dum enim *Gregorium* II Romanos, *Leoni Isaurico*, ob violentam cultus imaginum destructionem, tributum solvere prohibentem, non ut Papam, sed ut primarium civem Romanum, ex concessione legis naturalis hoc feciisse asseritur, eo ipso subditis libertatem Principi hæretico tributum denegandi adjudicari; cum alias, a Pontifice, prævia quoad hæresin declaratione, absolutio ab obligatione expectanda foret. Sic dum Maimburgius translationem Imperii ad *Carolum Magnum* a Romanis & Pontifice, non qua tali, sed ut membro politico, factam esse contendit, eo ipso absolutam Principum autoritatem male adstrui, si civi Romano facultas obedientiæ Imperatoris sui orientalis se subducendi tribuatur. Nec ex assertione, Concilium generale in certis casibus Papam ex aliis, præter hæresin, causis, in bonum Ecclesiæ deponere posse, aliud sequi, quam quod Statibus, sub prætextu procurandi boni publici, in Reges pro legitimis ante agnitos idem liceat; & ejusmodi malam consequentiam ex do-

pag. 420.

430.

436.

438.

ex doctrina Concilii *Basileensis* propullulare. Cum ex his, quæ in libro suo tractavit Maimburgius, conclusionem, Propositiones pro quibus scripserit, per totam Galliam docendas esse, formaverit; aliam ipsi plane contrariam formari potius debere, Theologus noster statuit. Ad comparationem inprimis Regis cum *Generali Ordinis Religiosi*, quod sicut hic curare possit, ut certa dogmata in bonum ordinis tendentia, ab omnibus sibi subjectis recipiantur, & contra quoscunq; alios ordines ea oppugnantes defendantur; ita & ille subditos suos ad doctrinam Cleri Gallici suscipiendã adstringere possit: respondet, 1. licet Reges majori potestate in temporalibus gaudeant, quam omnes Generales ordinum, hos tamen in spiritualibus, ordinibus suis Constitutiones imponere posse, quas Regi in Regno non liceat. 2. Capita doctrinæ, quæ in Ordinibus uniformiter tradi possint, problematica esse, ad quæ citra divisionis aut schismatis periculum obligari quis possit; quanquam *Alphonsus a Castro*, *Thomæ*, *Scoti* aut *Occami* dictis alligari, miserrimam servitutem appellitet. In his vero, quæ Pontificis privilegia concernunt, Generales subjectos suos ad partes Papæ minus favorabiles obligare non posse. 3. Gravem in Scripturam, Traditionem & constantem Ecclesiæ praxin, errorem committi, si dogmata fidei & disciplinæ Ecclesiasticæ dijudicandi & decidendi jus Principibus addicatur, quibus solum potestas subditos, ut Decisiones Ecclesiæ sequantur, adigendi relicta sit. Jam vero probandum esse Maimburgio, Propositiones quas tueatur, Ecclesiæ Catholicæ dogmata esse: probandum esse, quod autoritas Cleri Gallicani, quocunque etiam sensu explicentur, ad obligationem omnibus Gallis in materia Religionis imponendam sufficiat; quod Facultas Parisiensis jurisdictioni Congregationum istarum unquam subjecta fuerit, aut Ecclesiæ omnes Galliæ, tribunali quod nationali Concilio minus sit, (quanquam & hoc, juxta *Gersonem*, difficilium quæstionum decisione abstinere debeat) subjaceant. Posito etiam, Clerum pro toto Regno decidere potuisse has materias, id tamen non nisi *provisionaliter* facere potuisse. Omnes tamen consensuros, judicium *non* esse *infallibile*, nec obligationem absolutam & perpetuam inde emergere, ut conditio, *salva obedientia Sedi & Concilio generali debita*, locum non habeat. Quid? si ab his Reformatio Declarationis Clericalis sequeretur,

pag. 445.

453.

retur, opponenda ne illis foret Cleri autoritas? aut dubitari adhuc posset, Sedis & Concilii autoritatem plus valituram in tota Ecclesia, quam Cleri in solo Regno Galliæ? His omnibus nihil opponi posse, quam dictam Congregationem Cleri, in III Propositione sua, Decreta Sessionis 4 & 5 Concilii Constantiensis sequi. Sed non satis constare, quod verum eorum sensum explicuerit. Boni ita-
pag. 459. que Catholici, qualis Maimburgius haberi velit, partes alio modo, quam quo ille usus sit, explendas, & *Franciscum a Sales*, duo certissima principia statuentem, *Regem nimirum in temporalibus supremum Dominum, & Papam in spiritualibus supremum Pastorem esse*, ab eo potius imitandum fuisse. Dum autem extantiora Refutationum harum momenta, in eorum, quos hæc talia afficere possunt, gratiam, judicio Lectori relicto, ita excerpere studuimus; benignam simul prolixitatis, quæ in tam ampla materia evitari commode non potuit, veniam haud dubie nobis pollicemur. Palam autem sic erit, libros qui Romani Pontificis autoritatem, etsi a nostratibus non agnitam aut probatam, propugnant, consulto a nobis (quod quidem visum non nullis fuit) minime negligi aut supprimi: quemadmodum parem licentiam in recensendis, quæ Romanæ Curiæ adversantur, scriptis indulgeri nobis, æquissimum futurum est.

MATTHIÆ FRIDERICI BECKII SPECIMEN Arabicum; hoc est, bina capitula Alcorani, XXX de Roma, & XLIIX de Victoria, e IV. Codicibus MSS. Arabice descripta, Latine versa & Notis Animadversionibusque locupletata.

Augustæ Vindelic. sumpt. Laur. Kronigeri & Th. Gœbelii hæredum, 1688. 4.

INtegri Alcorani editionem Arabico-Latinam moliri, arduum adeo visum fuit eruditis hactenus, ut eorum nemo, [quantum novimus,] ante Maxime Reverendum *Augustum Pfeifferum* nostratem, anno superiori p. 348 ex merito laudatum, spem illius facere ausus fuerit. *Erpenius* sane, *Golius*, *Zechendorfius*, *Nisselius*, satis se molestiarum devorasse, satisque bene de Arabizantibus meritos fuisse

fuisse putarunt, si unius alteriusve Capituli *textum* cum *versione* evulgassent.

Hos imitatus clarissimus *Beckius*, binas Suratas Arabice (sed charactere Judaico) excerptas, Latineque a se versas, typis exscribi curavit. Altera ex illis סורה אלרום *Capitulum de Roma*, sive de Imperio Romano-Constantinopolitano, inscribitur. Arripit enim heic Impostor ansam a cladibus, quas Persæ Christianis sub Imperatore *Novæ Romæ* Phoca intulerant, de conversione futura omniū, quos vocat, infidelium agendi. Alteri nomen est סורה אלפתח h. e. Hottingero interprete, *Surata de apertione* (sive expugnatione & recuperatione Meccæ), aut, ut Beckius reddere maluit, *Capitulum de Victoria*. Utrobique Muhammed ἀλλότρια non una pro more admiscet, quæ parum titulis Capitulorum congruunt. Subjungit Noster notas suas Grammatico-Historico-Theologicas, breves equidem, nullatenus tamen pœnitendas.

Quemadmodum vero hoc quicquid fuit, laboris in gratiam Theologorum suscepit: ita ut Medicis quoque ac Mathematicis velificetur, editurum se spopondit Velschii *Pretiosa memoriæ delicia* Arabice conscripta, atque *Rus Name* seu Calendariū Muhammetano-Christianum; utrumque sua versione stipatum. Sequentur suo tempore *Necrologium* publice antea promissum, & *Itinerarium Benjamini Tudelensis* Ebræo-Latinum; quæ cuncta Philologis gratissima fore, non dubitamus.

MATTHÆI LARROQUANI ADVERSARIORUM Sacrorum Libri tres.

Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Aa, 1688, in 8.

QUi hoc Parentis sui opus posthumum edidit Daniel Larroquanus, post præfationem lectu haud indignam, exhibet *summam vitæ Autoris*, ex qua ea delibabimus, quæ ad scripta illius cognoscenda pertinent; prænotantes saltem, eum apud Ducissas Tremollias, tam matrem, quam filiam quæ Sereniſſimo Principi Saxo-Jenensi Bernhardo nupserat, magna gratia floruisse, & anno 1684 pridie Kalendas Februarii fatis concessisse. Primo scripsit *Animadversiones in*

nes in librum cujusdam Martini, qui antea minister ecclesiæ fuerat, sed apostata factus doctrinam Evangelicam scripto impugnaverat. Deinde exhibuit *Animadversiones ad Officium Sancti Sacramenti*, tum *Historiam Eucharisticam*, quæ bis intra octodecim menses excusa fuit. Porro *Dissertationes duas de Photino hæretico & Liberio Pontifice*, quas non sine mendis typographorum supinitate editas queritur filius, additque priorem ab homine Pontificio, cognomine David, omnibus fama inclytis dicam impingere assueto, impugnatam, sed a Parente tertia Dissertatione defensam esse. Posthæc typis mandavit *Observationes in Ignatianas Pearsonii Vindicias*, nec non *in Beveregii annotationes*, & Beveregio se defendenti aliud opus oppositum, quod tamen non absolvit; idque excepit liber *de Disciplina Gallorum Reformatorum & Veterum unanimi consensu*. Dehinc *Historiam Ecclesiæ* ornare cœpit, sed primo secundoque sæculo omnibus numeris absoluto, abducitur ad confutationem libri Episcopi Meldensis, *de communione sub utraque specie*. Qua confecta, tertium sæculum absolvit, quartum adgreditur, cui finem impositurus vitæ finem habuit.

Ipsi Adversariorum libri quam plurimis egregiis observationibus referti sunt, quas omnes recensere cum nimia multitudo prohibeat, quasdam saltem indicasse sufficiet. Lib. I. p. 25. sq. leguntur alibi minus obvia de epistolis commendatitiis episcoporum, & p. 28. sq. de Chorepiscopis: p. 55. de origine Adjutorum vel Coëpiscoporum, quam a Narcissi Hierosolymitani & Theocteni Cæsareensis exemplo derivat, notatque Arndium, ad quintum sæculum eam referentem. p. 63 sq. de sarcasmo Tertulliani *in Pontificem Maximum*, *Episcopum Episcoporum* &c quo adversus Dallæum aliosque contendit, non Zephyrinum Romanum Pontificem notari, sed Carthaginensem potius episcopum. p. 76. sq. de Philippi Arabis Imperatoris Christianismo, explodit imprimis Baronii & aliorum conjecturam, affinitate vocum *Augustalis* & *Augusti* scriptores deceptos, quæ ad Præfectum Ægypti Augustalem pertinebant, Imperatori vindicasse; quum tamen Tatianus Ægypti præfectus a. 367 Augustalis nomen primus adeptus fuerit. p. 102 sq. de tonsura Clericorum; & p. 120 sqq. de jejuniis, quæ diatriba cum longior est, tum Lectores maxime oblectabit. Denique p. 187 sq. ceremonias exe-

exequiarum veterum Christianorum explicans, primum librum claudit.

Libri II cap. I. de fermento in Melchiadis, Siricii & Innocentii decretis memorato agit, eoque Eucharistiam, ex pane fermentato tum confici solitam, intelligi debere contendit. Cap. II. triplex Eulogiarum genus constituit, primum publicum, quo panis benedictus iis præbebatur, qui communicare non fuerant parati, ejusque originem ex Concilio Nannetensi A. 658. celebrato derivat, & quæ ex antiquioribus produxerat Cardinalis Bona, refellere studet. Cap. III. secundum eulogiarum genus explicat, inter privatos exercitum, qui panes communes unitatis gratia & religiosæ observantiæ studio invicem mittebant. Cap. IV. tertium genus exponit, quo eulogiarum nomen transferebatur ad cujuscunque generis munera quælibet, sive gratuita, sive jure promerita, quæ ad quascunque personas & quovis tempore, sed maxime solennissimis diebus natalis Dominici & resurrectionis, dabantur seu mittebantur, consalutationis seu visitationis ergo. Huc refert epistolas festivales, quas antiqui Patres sibi invicem mittere solebant. Post hæc legi inprimis meretur Caput XI de libris quibusdã suppositiis, & lectionibus interpolatis, ubi v. g. *tractatum de Corpore & Sanguine Domini* a Dacherio sub Haymonis nomine editum, centonem ex variis conflatum auctoribus censet: *Capitula admonitionis* Jesse Ambianensi a Cordesio tributa, Caroli Magni dicit, data Missis Dominicis: *epistolam de Canone Missæ*, non Isaaco Lingonensi episcopo, sed Isaaco Abbati Scellæ vindicat &c. Cap. XVI. observat, formulam loquendi, *Episcopus Dei & Apostolicæ Sedis gratia*, primum introduci cœpisse Sæc. XIV. a paucis tamen Episcopis hoc sæculo & sequenti usurpatam fuisse. Cap. XXXI. de origine cantandi hymnum, *Te Deum laudamus*, dubitanter disputat, ad conventum Triburiensem sub Ludovico Pio A. 821 habitum eandem referens: sed sub Carolo Magno jam tum cantatum fuisse, ex Annalibus Francorum a Lambecio editis constat; imo Garnerius septimo sæculo in Galliis eum decantatum fuisse existimat, quod obiter dicimus.

Lib. III, Cap. I. duplex tantum Catechumenorum genus fuisse, ex antiquis monumentis probat, & eos refellit, qui quatuor Catechumenorum ordines commenti sunt. Cap. II. de Narthece Ve-

ceris Ecclesiæ agit. Cap. IV. de Pœnitentibus eorumque gradibus nonnulla haud protrita adfert. Legi etiam inter alia merentur, quæ in duobus postremis capitibus de variatione ministri & rituum Baptismalium, ac de Ecclesia Occidentali jure non-scripto ante Synodum Nicænam regi solita observantur.

In appendice duo præstitit Filius, Daniel Larroquanus: Nam tria exemplaria epistolarum formatarum Græca, hactenus inedita luci publicæ adseruit, & *Dissertationem de miraculo Legioni Fulminatrici perperam adscripto* addidit, oppositam cumprimis Baronio & Hermanno Witsio, cujus de eodem argumento diatriben indicavimus mense Majo Actorum A. 1684. Lectorum erit, utramque inter se contendere, & judicium ferre.

Die über hundert Jahr ihren Widersachern unsichtbahr gewesene / nunmehro aber / nach deren Entdeckung / zerstreuete Evangelische Tefferecker thal-Kirche / in des Ertz-Stiffts Saltzburg Pflege Windisch-Matterey / wie auch in einem Theil des angräntzenden Tyrolischen Gebürges ꝛc.

hoc est:

Evangelica Tefferegensium Ecclesia, centum & amplius annis adversariis suis invisibilis, nunc autem detecta & dissipata. Ex publicis Imperii Actis & privatis quibusdam scriptis collegit Gothofredus Alethophilus.

Mnemopoli, anno 1688, in 4.

Vir quidam amplissimus, cum videret, (prout in præfatione ipse exponit) historiam hanc Romano-Catholicis, Ecclesiæ Christianæ visibilitatem perpetuam jactantibus, objici posse; bene de præsentibus & posteris sese mereri putavit, si eam publica donaret luce. Hinc pag. 1. & seqq. exhibet duo epistolarum Augustæ Vindelicorum A. 1684 mense Januario & Aprili scriptarum fragmenta, ex quibus liquet, Evangelicos Tefferegenses a novo Præfecto & Parocho

Parocho suo pulsos, partim cum liberis, partim sine eis, relictis omnibus bonis, in exilium migrasse, & in Würtenbergica, Hohenloica, & Augustana ditione receptos fuisse. Sequitur responsio duorum ex iis ad quæstiones Augustæ propositas, unde colligitur, Archiepiscopi Salisburgensis subditos esse, & a majoribus suis doctrinam librosque Evangelicos accepisse; quapropter etiam præfectis & parochis semper suspecti fuerint, progressum Lutheranismi ita impedire conantibus, ut ipsis notitia litterarum & librorum lectione interdiceretur. Fatentur porro, se pacis retinendæ causa interfuisse missis, & Eucharistiam a parochis accepisse, eorumque conciones audivisse, quanquam bene conscios, multos abusus ibi regnare. Nuper autem injunctum fuisse, ut V præcepta Romanæ Ecclesiæ tenerent, septem Sacramenta & similia crederent, Papæque doctrinam tanquam veritati consentaneam profiterentur; quod cum nollent, emigrare coactos.

Adjicitur p. 7. epistola intercessoria Potentissimi Electoris Brandenburgici ad Archiepiscopum Salisburgensem, d. 12. Febr. 1685. data, qua rogat, ut Tefferegginsibus secundum pacis Westphalicæ præscriptum, liberum religionis exercitium concedatur, seque idem Romano-Catholicis suæ ditionis porro permissurum pollicetur. Respondet Archiepiscopus pag. 8, se mirari, quod Elector pro iis intercedat, qui non Reformatæ religioni, sed Augustanæ Confessioni addicti sint, imo ne huic quidem in omnibus articulis, sed in cæteris Romano-Catholicæ adhæreant, adeoque novam & inauditam sectam constituant. Ut autem severiori pœna in eos animadverteret, variis rationibus se permotum scribit, præcipue, quod Tefferegginses ausi sint, in publicis diversoriis de Religione disputare, alios seducere, & ad seditionem concitare &c.

Alii Tefferegginsium ad Potentissimum Electorem Saxoniæ sese conferunt, prolixisque litteris Augustæ 15 Martii 1685 datis, modum procedendi adversus se suosque observatum describunt, Ejusque opem implorant, publicis & fide dignis instrumentis adjectis.

Additur pag. 28. scriptum D. Eliæ Veielii, Superintendentis Ulmensis, quo præsertim docet, illos homines non novam sectari religionem, sed posteros eorum esse, qui jam tempore Lutheri in Ar-

chiepiſcopatu Salisburgenſi Papatum deſeruerint, præeunte Martino Lodingero, cujus epiſtolas binas conſolatorias ad cives ſuos perſequutioni ſubjectos, A. 1559 impreſſas recenſet, epiſtolamque Lutheri ad eundem Wittenbergæ A. 1532 miſſam excerpit, aliosque libros Lutheranorum nominat, quibus uſi fuerint. Subjiciuntur pag. 39 Articuli, in quibus Tefferegenſes ruſtici tam a Lutheranis, quam a Reformatis diſſentiant, adeoque novam ſectam conſtituant, cum Cenſura Theologi Wurtenbergenſis, qua eosdem declarat, & Lutherano ſenſu intelligi docet.

Propterea omnes Status Evangelici, per Legatos in Comitiis Ratisbonenſibus verſantes, apud Archiepiſcopum intercedunt, literis d. 9. Julii A. 1685 ſcriptis, & pag. 41. ſeqq. propoſitis, quibus rogant, ut Inſtrumentum pacis Weſtphalicæ obſervetur, & reſiduis in valle Tefferegenſi liberum Religionis exercitium privatum permittatur, ejectisque liberi reſtituantur, bonorumque alienatio concedatur. Gemellæ ſunt interceſſoriæ ſubjectæ pag. 47 ſeqq. ad ipſum Auguſtiſſimum Imperatorem, quibus pro Evangelicis ex Comitatu Tyrolenſi ejectis eadem expetunt. Reſpondet Archiepiſcopus d. 10. Septembr. pag. 50, 51. ſe per Conſiliarios in vallem iſtam miſſos denuo comperiſſe, homines iſtos nulli in Imperio permiſſæ religioni ex integro adhærere, ſed varia nova & hactenus inaudita dogmata ſervare, a ſeipſis diſſentire &c. concluditque, Inſtrumentum pacis locum hic non habere. Quo facto Ratisbonæ d. 6. Octobr. 1686. tres Tefferegenſes & unus Tyrolenſis ruſtici denuo examinantur, quibus reſtitutionem liberorum per miſericordiam Dei ſcriptis literis petentibus (uti pag. 52 ſeqq. videre eſt,) Status Evangelici d. 12. Novembr. iterum ad Archiepiſcopum ſcribunt pag. 61. ſeqq. oſtendentes, exules illos non ſectæ novæ, ſed Auguſtanæ Confeſſioni clariſſime addictos eſſe, ſuamque repetunt petitionem; idemque apud S. Cæſar. Majeſtatem quærunt. Nullo autem reſponſo ſequente, Tefferegenſes humillimas iterant preces p. 67. 68. quibus permoti Status Evangelici tertium intercedunt apud Archiepiſcopum d. 6. Februar. A. 1687 p. 69. 70. reſponſumque p. 71. 72. ab Eodem d. 3. Martii impetrant, quo declarat, ubi Tefferegenſes adferant teſtimonia Magiſtratuum, quod vel Auguſtanæ Confeſſioni, vel Reformatæ religioni addicti ſint, ipſos & liberorum reſtitutionem & libe-

& libera cum bonis ſuis commercia impetraturos. Hoc audito novem Tefferegenſes in patriam remigrant, liberos & bona recepturi, ſed vi ac contumeliis repelluntur, de quibus conqueruntur p. 73. 74. Præfectus autem Tefferegenſis alia omnia Archiepiſcopo refert pag. 74. 75. 76. culpamque omnem in illorum calumnias minasque conjicit. Propterea Status Evangelici quartam ad Archiepiſcopum d. 30. Septembr. mittunt epiſtolam pag. 77 & ſeqq. miſeros illos excuſant, & conſcientiæ Præfecti accuſationes relinquunt, inſtantes, ut promiſſa Archiepiſcopus exſolvat. Qui cum illis ſe ſtare indicaret d. 30. Octob. poſtulans ſolum, ut Tefferegenſes teſtimonia Magiſtratus requiſita, vel propriis ipſius manibus, vel judicio aulico exhibeant, indeque licentiam accipiant: tum Sereniſſimus Dux Würtenbergicus menſe Decembri peculiarem legatum mittit, quem litteris ad Archiepiſcopum, Tefferegenſes vero cum ipſo abeuntes publico teſtimonio inſtruit, eosque Auguſtanæ Confeſſioni addictos eſſe fidem facit. Sed legatus Salisburgum veniens facile animadvertit, ſe acceptum ibi non eſſe, & quanquam initio Commiſſarii ei fuerint adjuncti, poſt aliquot tamen hebdomadarum moram nihil obtinuit, ſed re infecta dimiſſus eſt, ea præcipue de cauſa, quod a regimine ſuperioris Auſtriæ denegatus fuerit tranſitus in vallem Tefferegenſem, quæ omnia liquent ex pag. 83 & ſeqq. ipſiusque legati Relatione d. 30 Januar. A. 1688. Quare apud S. Cæſar. Majeſt. Status Evangelici denuo intercedunt d. 22. Februarii, litteris pag. 98. & ſeqq. exhibitis; nec non apud Archiepiſcopum Salisburgenſem, ſub 5. Martii, quinta vice inſtant, ne fidem ſemel datam, ſub prætextu cauſæ non novæ, ſed antehac ſatis notæ, liberare diutius differat p. 103 & ſeqq: quo ſucceſſu, tempus docebit.

ERHARDI VVEIGELII CONSILIARII PALATINI & Prof. Publ. Sphærica Euclidea methodo conſcripta, & Globorum Heraldicorum, ipſiusque Pancoſmi deſcriptio & uſus.


Jenæ, apud Jo. Bielcken, 1688, in 8.

TRiginta & unus anni decurrere, poſtquam Sphæricam hanc ſuam Euclideam, tribus libris comprehenſam, publici juris fecit Au-

cit *Autor noſter*, ſcientia mathematica, quam publico in Academia Jenenſi profeſſionis munere exornat, clariſſimus. A qua quidem recenſenda tanto vac are jam nobis æquius eſt, quanto magis eam, doctorum manibus per tot annos verſatam pervolutamque, orbi erudito notã hodie commendatamq; ſcimus; ut adeo ex tanto poſt primos natales ſuos intervallo temporis, a qualicunq; noſtra opera lucẽ porro fœnerari aliquam poſſe minime arbitremur. Interim cum Celeberrimo *Autori*, diſtractis primæ editionis exemplis, viſũ fuerit commodo docentiũ diſcentiumq; recuſam denuo exhibere; faciendum nobis omnino fuit, ut iteratæ hujus editionis publicam injiceremus mentionem: maxime cum Sphærica hæc cum aliquo auctario deſcriptionis Globorum Heraldicorum & Pancoſmi, mechanicorum *Autoris* operum, nunc prodeat.

Illos quidem adornandi anſam dedere errores, naturales ii & morales, quibus in hunc usque diem, *Autoris* judicio, laborarunt, quotquot ab artificibus conſtructæ ſunt Sphæræ, ſiderum motuumque cœleſtium indices. Et morales, rejecta ſtructuræ veteris aſteriſmorum abſurditate, anilibus gentilium fabellis innixa, *Autor* ſuſtulit; cœlumque fœda paganorum idololatria exutum, armis ſeu inſignibus Statuum Europæorum, in vicem priſtinorum ſignorum ſuccedentibus, induit: naturales vero, ex diverſa Horizontis, Zodiaci, Æquatoris, Tropicorum & Polarium in ſphæra, a circulis quos referunt cœleſtibus, conditione; circulorum horariorum & diurnorum defectu; facie cœli convexa tantũ oculis expoſita oriundos, debite correxit: alia inſuper globis ſuis adjecit, quibus uſus inſtrumenti hujus amplior & luculentior redditur. Refert autem Sphæricæ hujus Appendix, cum ipſorum aſteriſmorum novantiquorum paralleliſmum, eumque tam verſibus ſuccincte deſcriptum, quam in abaco peculiaris Tabellæ diſtinctius expreſſum; tum globorum uſum, in diſcernenda cœli circa terram conſtitutione, repræſentando motu, aliisque ſphæræ cœleſti propriis occupatum. Cui brevis accedit recenſus phænomenon mundanorum, quæ Pancoſmus Autoris, ſive machina mundi æmula, vel centenis ex parte ſui concava ſpectatoribus, circa ſidera ſiderumque motus; hydrophylacia & pyrophylacia, horumque Vulcanos, montes ignovomos, tericolarum ſpecies, optico artificio mobiles, meteororum variorum





rum ſpectacula gratiſſimo oculorum oblectamento, ingenioſe exhibet.

GODOFREDI KIRCHII POMUM IMPERIALE, ET SCEPTRUM Brandeburgicum.

DUm Heraldicorum globorum,& aſteriſmorum veterum in nova ſchemata commutatorum meminimus: minime nobis tacenda eſt Kirchii noſtri induſtria, qui poſt *Enſes Electorales Saxonicos*, A. 1684, teſtantibus Actis illius anni pag. 396, cœlo illatos, & *Malo Imperiali*, & *Sceptro Brandenburgico* ſedem inter aſtra cœleſtia, ex ſtellis nullo adhuc dum ſideri tranſcriptis, aſſignavit.

Primum gloriæ ceſſit Invictiſſimi Imperatoris noſtri Leopoldi, dedicatum eidem anno 1684 ab Autore, in memoriam obſidionis Viennenſis fortiſſime ſolutæ: teneturque ab Antinoo prehenſum, ſub Aquila & Delphino ſeptem ſtellis coruſcans, quarum nomenclatura dextre collecta, ipſum Leopoldi nomen non ineleganter exprimit.

Sceptrum vero *Brandeburgicum* Autor in calendarioſuo Regiomontano hujus anni 1688 primum exhibuit, collectum ex ſporadibus, quarum ſuperior apicem ſceptri occupans, ſub flexura Eridani ſuprema, proxime infra ſtellam ν Bayerianam conſpicua eſt; cæteræ numero quatuor (aut verius quinque, nam tertia harum ex duabus contiguis, in unam velut coeuntibus, conſtat) verſus extrema Orionis & ultra porriguntur. Utriusque ſideris ſitum & ſtellas in Tabula diſtincte deſcripſimus. TAB. IX.

JOHANNIS BRAUNII, PALATINI, SS. THEOL. Doctoris, ejusdemque ut & Hebrææ Linguæ in Academia Groningæ & Omlandiæ Profeſſoris, Doctrina Fœderum, ſive Syſtema Theologiæ Didacticæ & Elenchticæ, perſpicua & facili methodo.

Amſtelodami, apud Abrahamum van Someren,
A. 1688, in 4.

QUod in Actis anno ſuperiori, menſe Junio, de Heidani Corpore Theologiæ Chriſtianæ notatum fuit, in eo quædam ex principiis

piis Philosophiæ Cartesianæ, nonnulla ex hypothesibus Theologiæ Coccejanæ desumta esse, idem de præsenti, quod B. L. exponimus Systemate, observamus. Doctissimus enim illius Autor Cartesium secutus statuit, *Ideam Dei nobis innatam*; *machinam hujus universi esse ubique*; *totum mundum propter hominem non esse factum*; *stellas certos quosdam occupare vortices*, *non tantum mille, sed forte aliquot centena millia vorticum, in quibus rotentur in æternum*; *terram moveri*; *angelos esse substantias cogitantes*; *mentis humanæ substantiam consistere in actu cogitandi*; *principium*, cogito, ergo sum, *gignere primâ & certissimam cognitionem*. In eo autem Coccejo pollicem premit, *quod totum tempus a Christi adscensione, ad finem mundi usque, in septem periodos dividat*; *verba Scripturæ Sacræ significare*, *quicquid significare possunt*, *nisi quid obstet*, *asserat*; *Fidelibus in N. T. plenam peccatorum remissionem sive ἄφεσιν obtigisse*, *in V. T. autem peccatorum tolerantiam saltim obtinuisse*, defendat. Quamvis vero & in aliis quibusdam a communiori suæ fidei sociorum sententia discedat, in præcipuis tamen fidei capitibus satis rigidum sese Reformatum ostendit. Siquidem asserit, ratione decreti Dei nihil esse contingens, sed omnia necessaria, quia Deus causam & eventum decreverit, ut scilicet causa secunda existeret, ut ista operaretur, & ut hoc modo operaretur; reprobationis nullam esse causam impulsivam; objectum prædestinationis esse hominem creabilem & labilem; concursum Dei non esse universalem, sed particularem & prædeterminantem; Christum non esse mortuum pro omnibus, sed solis electis; &c. Placuit autem Autori Clarissimo Theologiam totam tanquã doctrinam fœderum proponere, atque opus integrum in quatuor partes dispertiri, quarum *prima* de Instrumento fœderum, sive Scriptura S. *secunda* de Fœderatis, sive de Deo & Homine; *tertia* de Fœderibus ipsis, tum operum, tum gratiæ; *quarta* de administratione, sive de œconomiis Fœderum ab Adamo usque ad Mosen, a Mose usque ad Christum, a Christo usque ad finem sæculorum, ageret. Quamvis enim & inter ipsos Reformatos plurimi sint, qui duplicem tantum œconomiam, alteram veteris Testamenti, alteram Novi agnoscant: Autor tamen noster judicat, Scripturæ S. & naturæ rei magis congruere, si triplex œconomia, una sub promissione ab Adamo usque ad Mosen, altera sub V. T. a Mose usq; ad Christum, tertia sub N. T. a Christo usq; ad extremum judicium statuatur.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anni M DC LXXXVIII.

HISTOIRE DE S. LOUIS.

id est:

Historia S. Ludovici Galliæ Regis, divisa in Libros quindecim. Tom. I. & II.

Parisiis, apud Joh. Bapt. Coignard, 1688, in 4.

QUanquam hospitem esse in historia oporteat, cui *Ludovici Noni* sive *Sancti*, Galliarum Regis, laudes non aliquatenus innotuerint, spondere tamen prope audemus, neminem fore, licet plurimos veteres novosque scriptores de Regis illius gestis versaverit, cui hujus operis lectio fastidium sit creatura. Autor qui nomen suum dissimulavit, a Cl. Basnagio in *Relationibus Roterodamensibus* cum elogio traditur *Dn. de Sacy*. Promittit is exactum rerum recensum & fidem in præloquio, sed præter has necessarias historici dotes, etiam styli nitorem & dispositionem aptam præstat, nostroque, si quid valet, judicio, opus peregit, quod merito olim *Serenissimi Delphini* adolescentiæ destinatum, nunc etsi serius prodeat, dignũ certe est, quod tanto nomini dedicatũ sit. Neq; est, quod scenica illa repræsentatio, a non nullis, haud bono exemplo, in historiam introducta hic metuatur; ab ejus enim suspicione liberavit se Autor, dum accurate allegat, per quæ narratis suis fidem faciat, & ne in eandem contentionem, quam nuper alii subierunt, incidat, Manuscripta, ad quæ provocat, ostensurum se esse desiderantibus offert. Incepit opus ab anno Christi 1227, finiit in anno 1270, quo die 25 Augusti *Ludovicus* obiit: attexuit tamen, quæ

ad ejus consecrationem sive *canonizationem*, quam vocant, annis plus viginti tractatam, & tandem a Bonifacio VIII Pontifice decretam pertinent. Distribuit opus in Volumina *duo*, & libros *quindecim*. Inter hos *primus* statum Galliæ post mortem Ludovici VIII, *septimus* summariam bellorum, quæ sacra vocant, descriptionem complectitur. Sic Autor frequentiam digressionum evitare, simul tamen necessariam informationem de iis, quæ ad propositam sibi materiam spectant, exhibere voluit. Historia ipsa, quam tractat, tot tantasque res & mirificam casuum varietatem continet, ut in compendio recenseri, nisi modum propositum egredi velimus, haud facile possit. Cum vero gravissimi Autoris, imo & eorum, quorum auspiciis & hortatu hunc laborem aggressus est, is potissimũ scopus fuisse videatur, ut non solum summo loco natos, sed & quantum cujusque conditioni convenit, alios lectores ad imitationem virtutum Regis sanctissimi invitaret; haud inutile nobis visum est, quædam eo facientia excerpere.

Incipimus a pietate sive religione: ab hac enim Ludovicus dum viveret, & post mortem ab annis fere quadringentis suam, a magna Christianorum parte summopere æstimatus fuit. Non possumus quidem secundum doctrinæ, quam profitemur, regulas dissimulare, optimum Regem, pro temporum suorum ingenio, plus justo superstitionibus indulsisse videri, magnaque sibi eam ob causam incommoda accersivisse; neque tamen dubitamus, a divina benignitate excessuum veniam obtinuisse, cum universali, fere quæ tum invaluerat, persuasione abreptus, meliora non edoceretur. Apparet tamen, illum caput fidei Christianæ summum & intellexisse, & praxin ejus assiduo studio excoluisse. Magnus in eo sincerusque amor fuit Salvatoris nostri Jesu Christi, & devotissima in illo colendo diligentia. Id dum a Saracenis vinctus teneretur, tanta constantia demonstravit, ut moderatissimas liberationis suæ conditiones, etiam cum vitæ periculo recusare mallet, quam formulam juramenti a barbaris præscriptam admittere; quia contumeliosa in Christianam fidem illi videbatur, licet qui ei aderant ex Clero, eodem scrupulo non tenerentur. Meditationi passionis & meritorum Christi, precibus, & psalterii recitationi, magnam diei noctisque partem tribuit. Non erat is Regum mos, quod ipse non sine sale

ne sale indicavit, cum objectanti alicui illam longarum precum consuetudinem, responderet, se fortasse in ea nimium esse, scire tamen, si duplum ejus temporis venationi aut aleæ impenderet, a nemine reprehensum iri. Quanto zelo flagraverit, ut religionem Christianam gentibus barbaris insinuaret, non solum expeditiones ejus ostendunt, in quarum prima ingentes opes & libertatem magno ære postmodum redemtam, in altera ex lue castrensi vitam ipsam amisit; sed & multa alia documenta afferri possunt, inprimis Legationes in extremas Scythiæ sive Tartarorum oras missæ; neque illi quicquam lætius fuit, quam si de conversione gentilium aut Muhametanorum spes appareret, quamvis non semel fraude impostorum delusus sit. Observatum fuit, cum aliquando Judæi cujusdam baptismum in templo Sandionysiano procurasset, & Legati Regis Tunetani ex Africa adessent, dictum illis a Ludovico fuisse, se lubentissime reliquum vitæ tempus in Saracenorum vinculis, quæ evaserat, transacturum esse, si modo videret, Regi illorum idem baptismi beneficium contingere. Incredibilis vero patientia ejus, cum in aliis multiplicibus corporis animique afflictionibus, tum maxime in captivitate illa Saracenica conspecta est, quam ipse tanti fecit, ut post aliquot annos Regi Angliæ (quem Lutetiæ hospitem habebat) affirmaret, se millies feliciorem sibi videri dono illo patientiæ a Deo in extrema ista calamitate sibi concesso, quam si totum orbem armis subegisset. De eodem vere dici potuit, quod non ignarus mali, miseris succurrere didicerit. Neque solum regia liberalitate multos sublevavit, sed & morbis, contagiosis licet, laborantes ipse visitavit, non ostentandæ humanitatis causa, sed ut morituros in fide Christiana confirmaret. Verba etiam sua ita in potestate habuit, ut nullum ei maledictum, multo minus blasphemia, illo tamen seculo jam tum frequentissima, excideret. Maxima ei asseveratio erat *per nomen suum*; id enim ob baptismi memoriam sanctum æstimabat: sed hac quoque formula, cum senior factus esset, abstinuit, simplicitatis Christianæ magis magisque tenax. Lenissimus in omnes, quicquid in suam tantum injuriam fieret, facillime condonavit; severus tamen criminum publicorum, & quibus Deus læditur, vindex. Id exemplo insigni, cum quidam ex agnatis suis homicidii reus esset, totamque Nobilitatem regni in partibus haberet, de-

monſtravit. Cum ex Palæſtina domum reveheretur, fratrem cum aliis proceribus aleæ in navi indulgentem, dum ipſe omni ejusmodi delectatione abſtineret, & verba non ſufficerent, projecto cum teſſeris tabulario, correxit. Fœminam illuſtrem, pulchritudinis & elegantiæ gloriam inepte affectantem, coram tribunali placide admonitam, ad frugem reduxit. In veſtitu & cultu ipſe modeſtiſſimus parciſſimusque fuit, non avaritia, ſed vera ſui æſtimatione, & ad exemplum, quod aula ſequeretur: pecuniam tamen, quæ in illum ornatum ex aulæ inſtitutis erogari ſolebat, ſingulis annis computari & egenis diſtribui juſſit. Munificentia ad cultum divinum, in plurimis regni urbibus & monaſteriis provehendum, & ad pauperum ſuſtentationem, omnes ſupergreſſus eſt. Ut ut vero magna ejus in ſacrum ordinem & liberalitas & veneratio fuerit, defectus tamen, illo quidem ſeculo non leves, ita agnovit, ut ab inſultibus & inſolentia Pontificum & Epiſcoporum, parum damni regni ſui Eccleſiis inferri pateretur, & abuſuum correctionem maſcule præſtaret; unde & *Pragmaticæ*, quam vocant, *ſanctionis*, ad libertatem electionum Epiſcopalium tuendam, primus autor fuiſſe aſſeritur. Quæ tunc inter Pontifices & Imperatores Germanicos concertationes & bella fuerint, ex hiſtoriis notum eſt, & ab Autore hoc non tacetur. In illa diſtractione ita ſe geſſit Ludovicus, ut Pontificum odiis, neque fomenta, neque vim ſubſidiariam, quam deſiderabant, præſtaret. Impedire quidem non poterat, quo minus Pontifices, qua tum erant vehementia, fulmina ſua contra Imperatores etiam in Gallia publicarent, ſed nihil executus eſt Rex, quod Imperatoribus noxium eſſet, & cum his amicitiam & fœdera coluit, Pacis etiam tractatus haud ſemel irrito licet ſucceſſu inſtituit. Immanis eodem tempore rigor adverſus Albigenſes, ob intentatum hæreſeos crimen exercebatur, unde Pontificibus & Clero res & autoritas accreſcebat; Regi vero, etſi integrum non eſſet, pravitati illi obniti, iſta tamen via religionem promovendi parum placuit, majorque longe moderatio fuit, quam Pontificiis Legatis & inquiſitoribus, quorum exceſſus Autor hic noſter candide indicavit. Eadem lenitate Rex illos tractavit, qui a Saracenis ex exercitu ſuo capti, vi tormentorū ad abnegandam Chriſti fidem adacti erant: nam hos quoque redemit, & infirmitati eorum ignoſcens nullo probro affecit. Dictum eſt ſupra de patientia ejus, cujus

cujus fundamentum in paſſionum Chriſti contemplatione quærebat, omnia voluntati divinæ ſumma cum tranquillitate reſignans. Illuſtre hujus ſpecimen dedit, cum matris obitus ei in Palæſtina tunc verſanti nuntiaretur. Amabat illam tenerrime, nec aliter merita erat, juventæ ejus, cum Patre infans orbatus eſſet, rectrix multisque calamitatibus exercita, dum ejus autoritatem adverſus factioſos in regno & vicinos infeſtos tueretur. Non poterat voci aut lacrymis penitus temperare, ſed mox ad altare provolutus, gratias Deo egit, quod matrem omnium optimam ſibi dediſſet, & huc usque ſervaſſet; faſſus nullam creaturam ſuper illam a ſe amatam eſſe, & ita mereri illam putaſſe; *quia autem tibi*, ait, *viſum eſt, ut ea caream, nomen tuum ſit etiam ob hoc benedictum.* Tali cum eſſet pietate in Deum, tali religionis, diſciplinæ ſacræ, & charitatis Chriſtianæ ſtudio, quod etiam ad bella inter alios Principes componenda, ut communis quidam pacis arbiter, extendebat, quis dubitet de virtutibus ad regium ejus officium, ſubditis ſuis exhibendum, proprie requiſitis? Fortitudo ejus bellica & armorum peritia, raro & admirando vinculo cum illa manſuetudine, & plusquam ſacerdotali modeſtia, juncta tamen fuit, & egregiis exemplis probata. Et quanquam infelix in expeditione Ægyptiaca eſſet, nec Tunetana, quæ ei ultima, melius ſucceſſerit, nulla tamen illius culpa demonſtrari poteſt. Neq; enim conſilium aut animus eum defecit, ſed temeritas aut cunctatio aliorum, fratrum quoque nocuit, & Deo placuit, omnia illa ad recuperandam Palæſtinam molimina, pio errore ſuſcepta, eo dirigere, ut regis optimi gloria magis ex victoria in ſe ipſum, quam in hoſtes emineret. De juſtitia ejus vix ſatis digne ſcribi poteſt, quam ſanctiſſime ſemper coluit: tam promte & lubenter ille reſtituit ſubditis & peregrinis, quæ apparebat jure non poſſideri, quam alii aliena invadunt. Libertatis etiam legitimum uſum antiquo more regni Ordinibus ſincere præbuit, nullam magnam rem ſine illorum conſilio aggreſſus, gravesque cauſas omnes in comitiis decidens, quæ tunc pro commoditate Regum habebantur, a Ludovico autem frequentiſſime, & ſingulis fere trimeſtribus: poſtea quidem ſtataria facta ſunt, ſed non ejusdem, qua olim poteſtatis. Fidem promiſſorum etiam hoſtibus ſanctiſſime præſtitit, ita ut Saracenis, qui aliqua parte lytri ſua quidem incuria & ignari inter nume-

randum fraudati erant, restitui subducta ultro jusserit, succensens illis, qui Regis lucro ea deputabant. Tributa non nisi in summa necessitate & parce imposuit; pro regula tenuit, merito omnibus Principibus commendanda, *nihil utile esse Principi, quod nocet populo.* Saluberrimis constitutionibus sui seculi vitiis restitit: duella tamen, pro temporis illius inveterato malo, penitus eradicare non potuit, cum etiam ab Ecclesiasticis judicibus probarentur, & proceres ex equestri ordine legislationem regiam nondum plene agnoscerent. Quid dicam de ultimo vitæ actu, in quo describendo summa Autoris industria apparet. Maxime considerari merentur præcepta ad filium successorem. Hunc quidem ante annos decem graviter jam tum decumbens, monitis aliquibus instruxerat, ita quidem, ut inter alia illi diceret: *Nihil tibi magis cordi curæque sit, quam ut a subditis ameris, & scias velim, nisi id feceris, nullum esse peregrinum, quem non lubentius quam te successorem mihi optem, si illum te melius imperaturum esse noverim.* Tunc vero omnia complexus est, quæ illi pietas & amor tam filii, quam civium suggerebat. Dixit inter alia: *Ita te geras, non solum cum sacerdotibus, quibus animæ tuæ salus curæ est, sed cum amicis omnibus, ut nemo illorum hæsitet, quo minus tibi indicet, quæ non recte agas, aut quæ melius agere possis. Nullum ministrum habeto, qui verbis aut factis mala exempla aliis præbeat. Nihil sit in conversatione tua, quod honorem Dei aut amorem proximi lædat. Malum in omnibus, quicunque illi sint, aversare, bonum ama. In jure dicundo, præsume pro paupere & misero, donec de causa liqueat: in rebus tuis contra te præsume, usque dum veritas eruatur. Hæc omnium actionum judiciorumq; regula tibi esto. Ut defectus Cleri patienter feras, abavi tui Philippi Regis dictum recordare*: tot tantaque beneficia a Deo accepi, ut aliquid a ministris ejus tolerare non possim recusare. Commendavit deinde illi jura, privilegia & commoda subditorum, speciatim urbium, sancte servanda, utque in opulentia civium suam credat felicitatem repositam esse. Bella omnia dissuasit, nisi summa necessitas illa imperaret, neque ullo modo pax obtineri posset.

De consecratione Regis, plurimorum Pontificum morte interrupta, libro ultimo agit Autor; & refert sub Martino IV Pontifice a delegatis testes 330 auditos esse, quorum effatis 63 miracula a Regis reliquiis edita, comprobata fuerint. Præcipuus inter testes de vita mori-

moribusque ejus erat illustris ille Campaniæ prætor, sive *Seneschallus* Joinvillæus, cujus historia de sancto hoc Rege extat, tanto quidem majori fide digna, quod ei in expeditione Ægyptiaca adfuit, licet subditus Regis non esset, & quod magna Viri ingenuitas & veritatis studium in aperto est. Ejus verbis, quibus historiam suam finiit, etiam Noster novam hanc claudit: *Ludovicus æternum decus afferet iis, quos contemplatio vitæ ejus sanctissimæ ad imitationem excitabit; summam ignominiam & condemnationem secus facientibus.* Superessent multa, quæ Autor non solum de Galliæ, sed & de Italiæ, & Angliæ, Belgii, Germaniæ etiam rebus, maxime vero de *Friderico* II Imperatore, de *Manfredo*, ejus notho, de *Conrado* filio & *Conradino* nepote, de *Carolo Andegavensi* Ludovici fratre (ut res orientis & Tartarorum taceam) tum de Pontificibus, item de *Academia Parisiensi* & excitatis in ea a *Guilielmo de S. Amore* cum Dominicanis & Franciscanis (inter quos *Thomas Aquinas* & *Bonaventura* erant) contentionibus, magno cum candore & cordato judicio tradidit; sed jam plura quam constitueramus, relata sunt, & optandum est, ut liber ipse in multorum manus veniat. Laudanda etiam est insignis in hac editione typorū elegantia & emendatio. Duo tamen loca annotavimus, in quibus in nominibus Germanicis erratum est. Tom. II p. 226. pro *Marchione* de *Honebrug*, legendum forte erit, *Comite* de *Hennenberg*. pag. 592 pro *Rudolpho de Arsburg*, ponendum est *Hapsburg*. Obliti pene eramus, partem historiæ de Ludovico S. sive de iis, quæ in minorennitate ejus gesta sunt, relatam a nobis fuisse in Actis anno 1685. p. 191, a *Varillasio* editam. Eam si quis cum hujus Autoris scripto conferre velit, utriusque diversum stylum & ingenium deprehendet; speciatim vero judicium de Ludovici matre Blanca Castellana, quod Noster hic Tom. II. p. 155. & seqq. ponit, quomodo cum illo concordet, quod apud Varillasium legitur, dispiciet.

DEFENCE DE LA CRITIQUE DU NEUFIEME livre de l' Histoire de M. Varillas, par Monſ. Burnet.

id est:

D. Gil-

D. Gilberti Burneti defensio censuræ in librum nonum historiarum Ant. Varillasii, ex Anglico Gallice versa.

Amstelodami, apud P. Savouret, 1688, in 12.

REsponsum Varillasii ad censuram Burneti mense Majo hujus anni p. 246 ita retulimus, ut litem inter illos nostram nullo modo fecerimus; idem in recensenda hac defensione observaturi. Quod tamen tunc de autoritate *Florimondi Remondi*, cui tota pene Varillasii apologia innititur, conjectavimus, quod scilicet majus momentum habitura apud adversarium non fuerit, quam apud Protestantes in universum habere solet, id ex hoc D. Burneti libello satis apparet. Neque enim illud solum, quod a nobis indicatum est, objicitur, quod Jesuita quidam sub Remondi nomine scripserit, verum & alia afferuntur, quæ fidem Autoris illius suspectam reddunt. Inter alia, non nisi *Sanderi* exscriptor habetur, cujus plurimos in historia Anglicana errores Burnetus demonstratos a se esse confidit. Opponitur alia querela adversus eundem, ex anonymi cujusdã tractatu anno *1597 Ecclesiæ Reformatæ* in Gallia nomine edito, in quo Remondi mores vituperantur. Indignum præterea historico esse judicat tot MSS. & acta recondita allegante, quod nunc autorẽ valde vulgarem, & qui aliena fide, octoginta post res gestas annis, peregrinus etiam, in historia Anglicana scripserit, omnis probationis loco advocarit, & ut loquitur, *echo ejus esse voluerit*, neq; tamen id satis bona fide præstiterit, interpolans & addens ut ait, quæ apud illum non leguntur. Expostulat inde cum adversario, qui cum omnia ex instrumentis authenticis a se probata viderit, quæ a nemine nisi melioribus instructo, in dubium vocari possint, non tamen nisi sua solius (quasi ipse omnium documentorum instar, sive ut dici solet, *originale* esset,) aut Remondi levissimæ notæ Scriptoris fide adstrui posse, sibi persuaserit. Irridet etiam & pro nihilo habet, quæ de surreptis scriptis suis, de imbecillitate visus, de mutatis Bibliothecarum & scriniorum titulis & loculis, & de prohibita MSS. communicatione adduxit; ex quibus omnibus in judicio suo persistit Burnetus, illum summa ignorantia historiarum, omniumque, quæ ad illustre illud studium pertinent, teneri, & non nisi ex auditu aliquid conscribillare, vel quod pejus est, ex in-

ex ingenii sui figmentis, fabulas heroicas pro historiis orbi obtrudere. Nullum tamen sibi certamen cum illo esse vult de persona & moribus, quanquam parum honeste egisse eum queratur, quod calumnias de se ab invidis ex Anglia sparsas, Lutetiæ plurimis communicaverit, non minori contumelia, quam si typis publicasset; fatetur tamen, in Angliam scripsisse Varillasium, se in mores Burneti non esse inquisiturum, sed tantum in veritatem editæ ab eo historiæ. Negat deinde, se unquam alteri, quam Regi Angliæ defuncto, a sacris fuisse, itaque nec *Hamiltoniæ* quidem *Marchionissæ*, quanquam sibi honori duceret, si fuisset; magnamq; adversus omnes sibi intentatas calumnias fiduciam ostendit. Cætera quæ adversarius de se jactat, ut & *Coquelini* elogium libris ejus præfixum, in medio relinquit aut elevat. Excusat etiam, quod aliquo sale in Critica sua illum perfricuerit, ita, ut putat, meritum, aut quod insipidum futurum fuisset, si perpetuo non nisi una arguendi formula usus esset. Speciatim inde quæ Varillasius regessit, persequitur, censurasque suas propemodum omnes acriter tuetur, non nisi levissimos quosdam errores agnoscens, v. g. quod de familia *Lenoxiorum* scribens *aviam* loco *proaviæ*, & *Isabellam* pro *Margaretha* nominaverit, item quod in anni cujusdam numero lapsus sit, quod tamen & ipse & interpres Gallus in erratorum indice indicaverit. De *Cambdeni* historia verum esse asseverat, etsi a Varillasio reprehendatur, quod illustrissimi præsidis Thuani favore & cura pars altera Parisiis excusa fuerit, quia autor a Rege suo Jacobo sibi metuebat, qui in prima parte quædam de Maria matre sua a Cambdeno scripta mutaverat. Interpretationem Gallicam historiæ suæ laudare quidem & pro sincera agnoscere non veretur, esse tamen quædam dicit, quæ ex Anglico emendari debeant. Minus probat versionem Itineris sui Italici. Objectum fuerat inter alia Varillasio, quod Carolum V in duas personas diviserit, & nos in excerptis supra allegatis notavimus, quid ad ea responderit; sed nullius momenti id habet Burnetus, donec adversarius probaverit, Carolum Mariæ Anglicanæ nuptias ambiisse, antequam Imperator eligeretur, quod ab illo præstari posse negat. Habet etiam, quibus errorem in allegato Cajetano sibi imputatum excusat, & Varillasii fidem aut industriam in citando illo ipso desiderat. Præmissa est ab interprete Gallo præfatio, in

qua exceptioni Varillasii occurritur, qua mutationem historiæ Wicleviticæ, a se remotam, Bibliopolæ Lugdunensi tribuit, & argumenta afferuntur, ex quibus confici videtur, frivola esse quæ prætexuntur. Cæterum utut honori nobis ducimus, quod D. Burnetus Actorum nostrorum anni 1686, & quæ in illis mense Octobri modeste de Varillasii quibusdam traditis circa res nostras monuimus, mentionem facere voluerit, nolumus tamen in partes transire, neque id a nobis desiderari credimus, videntes neutri deesse, quibus sua propugnet, & aliena aggrediatur: quapropter & aculeos multos, quibus defensio hæc non caret, studio præterivimus.

CRITIQUE DU III & IV VOLUMES DE L' Histoire de Mr. Varillas. i. e.

Censura III & IV Voluminum Historiæ Ant. Varillasii, quatenus res Anglicas attinet. Ex Anglico D. Burneti Gallice versa.

Amstelodami, apud P. Savouret, 1688, in 12.

SUbjungimus hunc quoque librum *D. Burneti*, qui non contentus priores censuras suaseo, quem produximus, tractatu defendisse, novas in reliquos adversarii tomos in hoc expedivit. Deprehendent hic lectores magnum iterum catalogum erratorum in Chronologia, Geographia & Genealogia, & nominum orthographia; quales quidem lapsus etiam diligentissimis aliquando contingere possunt, sed si frequentiores sunt, negligentiam aut imperitiam haud vulgarem indicant. Gravior autem culpa est, quæ hic arguitur ex summa conjectandi & judicandi licentia, & fingendi falsaque documenta allegandi impudentia, qualem vix ulli autori confidentius imputatam esse meminimus. Et verum quidem est, ut jam anno 1687 p. 65, cum primam illam Burneti censuram referremus, consideratum a nobis fuit, nullum non rigorem mereri, qui primam illam historiæ legem a Tullio commendatam, scientes prudentesque transgrediuntur, & cum sacerdotes veritatis esse deberent, mendaciorum præcones fiunt, quibus non suum solum seculum, sed quanto plura sequuntur, tanto turpius & illa inquinant & speciosius fallunt; acce-

accedente enim temporum ætate, difficilior est fabularum & historiarum distinctio. Sed nihil a nobis pronunciatur, nec deerit fortasse Varillasio, quod etiam ad hæc objecta respondeat. Quia vero nec facile est, nec lubet nobis, ut indicem inculpationum hic exhibeamus, notandum tamen esse duximus, D. Burnetum occasione hujus contentionis nova quædam supplementa historiæ suæ de Reformatione Anglica produxisse: v. g. *Eduardi* VI Regis declarationem (quam Varillasius pro testamento habuit) de successoribus suis p. 112 & seqq. item relationem de *Thoma Viato* (quem Havietum nominare maluit Varillasius) qui adversus Mariam Angliæ Reginam arma infausto exitu arripuit, a filio ejus conscriptam p. 146. Quæ ad comparationem actionum Regis Christianissimi Ludovici XIV & Mariæ Anglicanæ, a Varillasio institutam, satis acute commentatur Burnetus, & alia quæ res Gallicas religionis causa gestas tangunt, consulto omittimus.

ULRICI HUBERI, JCti, SUPREMÆ FRISIORUM Curiæ Ex-Senatoris Prælectionum Juris Civilis Pars Prior, quæ est secundum Institutiones Justinianeas &c.

Franequeræ, apud Henricum Amama, & Zachariam Tædama, 1687 in 4.

Ejusdem Positiones secundum Institutiones Justinianæas.

Ibidem apud eosdem 1687, in 12.

PLus vice simplici jam erudita celeberrimi hujus Autoris scripta differendi materiam Actis nostris præbuerunt; nominatim ejus *Positiones sive Lectiones Juris Contractæ* anno 1684 p. 49, *Auspicia domestica exercitationum* ibid. p. 89, *Specimen Philosophiæ civilis* a. 1687 pag. 404, denique *Liber de Concursu Rationis & Scripturæ* ibid. pag. 405 relata reperiuntur. Sed ecce nunc denuo ipsius mentionem faciendi occasio nobis enascitur, ex aliis ejus operibus nuper ad nos delatis; quæ si non omnino nova, tantis certe augmentis adornata

prodierunt, ut commemoratu utique digna ſint, præſertim cum ipſorum apud nos hactenus non adeo frequens fuerit copia. Ex his primo loco ſiſtimus Prælectiones Juris Civilis; quarum quidem nunc denuo prior tantum pars, quæ Inſtitutiones explicat, exhibetur, poſterioris tamen, Pandectas concernentis, pariter hoc anno edendæ ſpe facta. Videlicet ita ſemper faciendum putavit Autor in inſtruenda juventute legum cupida ſolertiſſimus, non ut totum jus ſecundum ſeriem Pandectarum uno contextu tractaret; ſed potius ut ex Inſtitutionibus & Pandectis unum & æquabile corpus fundamentorum juris conſtrueret, adeoque in expoſitione Pandectarum nihil eorum repeteret, quæ ad Inſtitutiones dicta eſſent. Tali vero methodo conceptum jurisprudentiæ ſyſtema cum haud facile ſuppeteret, ipſe antehac ſuis ejusmodi quid in calamum dictavit, quas dein lectiones ab auditoribus exceptas, mendis nempe ſcatentes & operoſe deſcribendas, ære typographico, ut eorum operas levaret, excudendas dedit, utut primo ſine ſuo nomine, cum tumultuarium opus id mereri haud videretur. Poſtmodo cum auditores hoc ipſius præſcripto uti cœpiſſent, illo videlicet brevi & conciſo, neceſſarium duxit aliquid ipſis ſubminiſtrare, quo priora enucleata plenius exponerentur, unde præſens tandem liber enatus: cujus præcipuus ſcopus eſt, ut Jus Romanũ breviter & perſpicue enarretur, facta quandoque digreſſiuncula in nobiliores controverſias, monitisque lectoribus, quid univerſali conſuetudine, vel moribus Friſiæ obtineat; aliarum enim gentium rarius meminit, quod eam rem nimii & infiniti pene laboris judicaret. Cæterum cum hoc ſcribendi genere non niſi auditorio ſuo conſultum voluerit, ſe non metuere ait multitudinem eorum, qui ad Inſtituta & Pandectas ſcripſerint, nec adeo curare, an poſt ſe aliquando hæ lectiones pereant, dummodo nunc ſuis proſint. Operam porro dedit, ut Jurisprudentiam hic ex propriis maxime fundamentis illuſtraret, nec adeo ex aliis diſciplinis huc conveheret, niſi quæ ad artis intellectum delibatu neceſſaria eſſent; reliquis quæſtionibus philologicis & obſervationibus humanioribus ad *Digreſſiones*, de quibus poſtea dicendum erit, amandatis, ubi ſeorſim eas pertractare ſatius habuit. Et hactenus quidem de ipſo hoc prælectionum opere; cujus partem poſteriorem Digeſta exponentem, plures dubio procul, prioris hujus ele-

jus elegantia & ſuavitate deliniti, avide nobiſcum præſtolantur. Præſentem vero editionem novam quod attinet, fatetur Autor, ſibi id accidiſſe, quod ſoleat iis, qui docendo ſcribendoque proficiant, ut nempe novando & emendando non poſſint abſtinere, indeque notabilem nunc libro acceſſionem accreviſſe. Alii præterea inſigni augmento occaſionem dederunt Scholia Dn. *Chriſtiani Thomaſii*, JCti noſtratis haudquaquam incelebris, *Poſitionibus Huberianis*, cum hæ anno 1685 hic Lipſiæ excuderentur, adjecta: horum enim pleraque operi huic prælectionum interſerere placuit Autori, eo quod, ipſo judice, Scholiaſtes id modeſtia doctrinaque ſua meruiſſe, & quæ ab ipſo prolata, minime ſpernenda aut vulgaria eſſe viderentur. Nimirum cum poſitiones iſtæ ex his ipſis prælectionibus ſint deſumtæ, quicquid ad illas ſpectaret, huc perinde referri poſſe putavit. Ea tantum ſcholia, quorum contenta in his prælectionibus jam prius occupata expoſitaque fuerant, omiſit. Cumque in plurimis a ſe Scholiaſtem habuiſſet diſſentientem, ſingulis, quæ ejusmodi ſunt, reſponſiones ſuas mox ſubjunxit, easque placidas & bile carentes, quæ rarior nunc in hoc ſcribendi genere virtus eſt. De cætero dum nobiliſſimi Autoris *Poſitionum ſive Lectionum juris contractarum* injicienda fuit mentio (de quibus quidem jam *anno 1684. loc. cit.* egimus) non potuimus non ſimul intimare novam iſtarum editionem, quæ Inſtitutiones concernunt. Etenim cum antehac conjunctim modo cum poſitionibus ad Pandectas prodierint, placuit jam easdem ſeorſim excudere, cum ſine præjudicio integri operis id fieri potuerit. Cumque Autor inter legendum & prælegendum advertiſſet, multas poſitiones aliquanto obſcurius expreſſas eſſe, haſce additis mutatisque aliquot voculis ſubinde adjuvare ſategit, emendare etiam, ſi quæ antea ipſum fugerant: hinc factum, ut integri hinc inde paragraphi inſerti, omiſſi, immutati appareant, unde numeri poſitionum non parum hic a prioribus editionibus diſcrepant. At e diverſo noviſſimæ *Prælectionum* editioni hæc editio accommodata eſt, ita ut numeri poſitionum, quæ nempe in Prælectionibus ubivis ad calcem paginæ, unde deſumtæ ſint, allegantur, utrinque correſpondeant. Subnexum antehac ad finem fuerat ſpecimen variorum Juris Axiomatum, e toto juris corpore decerptorum, quod in hac editione omittitur:

cujus loco Autor subjici nunc in auditorum usum voluit Theses Collegii sui Disputatorii, quod habet perpetuum, numero in universum 333: id quod tanto fieri commodius potuit, cum hæ ipsæ theses e Positionibus sint excerptæ.

ULRICI HUBERI DIGRESSIONES JUSTINIANEÆ.

Franekeræ, apud Joh. Gyselaar, Henr. Amama & Zachar. Tædama, 1688, in 4.

PRælectionibus Huberianis modo recensitis, ordine haud incongruo nunc subjungimus ejusdem Autoris *Digressiones*, utpote quæ illis primam debent originem. Nimirum cum Vir Consultissimus primam vix juventam egressus, jurisprudentiam in Academia patria docendam adgrederetur, ac Institutiones publicis prælectionibus explicaret, memoria, ut ait, liberioris disciplinæ ætatisque calore hasce digressiones, Philosophiam & Historiam aliaque humaniora juris concernentes, una fecerat, easque uno contextu commissas & permixtas in lucem edere decreverat. At sequenti tempore, & subacta magis methodicæ institutionis consuetudine doctrina, mutavit sententiam, satiusque duxit, prolixiores talismodi observationum, ex aliis disciplinis haustarum, anagogas seorsim tractare, Jurisprudentiam vero e propriis fundamentis in eum modum educere, ut ex varia eruditione, non nisi quantum ad meliorem intellectum & illustrationem pertineret, modice adspergeretur. Hinc digressiones istas a corpore lectionum separatas & 4 libris distinctas publicavit, quod teste Dedicatione præmissa, jam anno 1670 contigit. Atque has sollicitante typographo denuo nunc exire passus est, non tamen absque egregio augmento. Disputaverat in priori hujus operis editione quædam, circa initium libri quarti, contra opiniones celeberrimi Feltmanni, Antecessoris quondam Groningani, de jure in re & ad rem, quod vocatur: his vero cum Feltmannus mox librum *Benedictorum*, ut appellavit, repositisset, Nostro tunc visum fuit his Benedictis repetitas animadversiones & vindicias regerere, multo quidem sale conspersas, ob immoderationem verborum ab adversario admissam. Atque hic ipse tractatus de jure in re & ad rem, 19 capi-

19 capitibus constans, huic editioni insertus reperitur post *lib. 4. c. 10.* Insigniusadhuc operi incrementum nunc adjecit Autor, alteram eamque novam plane partem Digressionum, in duos libros distinctam superaddens, varias quæstiones haud vulgares & observationes philosophiâ partim, partim historiâ & antiquitates Juridicas, concernentes, perinde ac in prima parte factum fuerat, exhibentem. Quamvis vero materiæ in priori parte pertractatæ, & secundum ordinem titulorum in Institutis dispositæ, non nisi primum librum & partem secundi in Institutionibus Imperialibus attingant; non tamen putandum est, ac si nova hæc & secunda pars ibi inciperet, ubi prior desierat: sed alia modo variarum observationum capita, primum pariter librum & initium secundi in Institutis respicientia proponuntur, sic ut in materia de Usufructu desinat. Rationem hujus eam reddit, quod collato post obitum *Cupii* in ipsum munere Professionis Pandectarum, Prælectiones ejus viva voce in Academia habitæ, (e quibus has Digressiones, uti dictum, excerpsit,) circa istos titulos substiterint: quas utut deinceps privatim usque ad finem quatuor librorum Justiniani continuarit, digressiones tamen, quas oratione copiosiore publice fuerat prosecutus, cum istic eodem modo usu venire haud commode possent, ejusmodi rerum argumenta in ipsis solum prælectionibus etsi minus diffusa tractatione, complecti ac exequi satis habuit. Circa initium Libri I, in parte noviter adjecta, generatim agit de laboribus criticis in corpore Juris tentatis, ac speciatim de emendationibus textuum; ubi allegat, quare in hoc opere a talibus conjecturis, quæ alias eo spectare videri potuissent, abstinuerit: nimirum non ob difficultatem hoc factum ait, sed metu quodam, ne aut leves nimis, aut minus necessariæ, aut male fundatæ, ut quidem multis accidit, existimarentur; nimirum se nec adolescentem ausum esse, nec ætate provectiore faciendum putasse, ut emendationes talismodi digressionibus hisce insereret, utpote JCto, nisi ubi summa necessitas exposcat, tantum non indignas, criticisque in aliis minoris momenti libris relinquendas: nec enim hic manuali medicina uti licere, quamdiu rationalis ulla superstit, quæ sententias conditorum juris, subtili mentis judicio, ex obscuro in rectos sensus suasque interpretationes vindicare valeat; neque in sacro Justitiæ corpore u-

rendum

rendum aut ſecandum eſſe, ubi nulla adſit gangræna. Hinc ſtatuit in fluctuationibus Juridicis duas dari ſacras anchoras, quibus nequaquam utendum ſit, niſi extrema neceſſitate cogente; ſcilicet confeſſionem antinomiæ & mutationem lectionis Florentinæ. Non tamen omnem artis criticæ in Jurisprudentia uſum rejicit; velut quando dicta veterum JCtorum in pandectis, a verbis compilatorum cauta ſolertia ſeparantur, aut interpunctiones corriguntur, cum tales nullæ aut raræ in exemplari Florentino extent. Nihilominus id criſeos genus etiam improbat, quod non ſolicitum, quomodo ſcripſerint artis conditores, de ipſis, ut liquide ſcripſerunt, judicat, bene malene ſcripſerint, exagitatque, ſi quæ a veteribus inique, inhoneſte, abſurde, falſe, impie tradita appareant; utut non diffiteatur, id ſpeciem quandam libertatis & ingenuitatis præ ſe ferre, nec vulgare lenocinium famæ habere, quo allecti nonnulli ex ipſo artis, quam profitentur, dedecore ac detectis nævis, vanam captent gloriolam. Certe enim perſuaſum habet Autor, plurimas ejusmodi criminationes ſponte concidere, ſi probe reputetur, eſſe caput civilis ſcientiæ Rempublicam noſſe ingeniumque populi, cujus ſæpe diverſitas contrarias ſibi ſanctiones poſtulet. Et pro ulteriori ad talia reſponſione, tres inde regulas educit; nimirum 1. non quicquid honeſtum eſt, lege juberi, nec quicquid turpe, puniri; ſed plurima conſcientiæ ac verecundiæ hominum relinqui; 2. quæ per ſe turpia & lege prohibenda erant, ex neceſſitate Reipubl. non modo pœna eximi, ſed & diſerte permitti & legitima fieri poſſe: nec ita legislatorem facere mala, ut inde bona eveniant, dum facere id dici nequeat, quod eo modo coactus patitur; 3. poſſe legem ferri, uni verſæ Reipublicæ utilem & juſtam in theſi, ſed cum injuria privatorum aliquando conjunctam, adeoque iniquam in hypotheſi. Atque huc fere cuncta reduci valere exiſtimat, quæ hac ex parte juri noſtro Juſtinianeo exprobrari ſoleant. Fatetur ſe hoc in puncto diſcedere a doctrina præceptoris quondam ſui Wiſſenbachii, quem alias quidem miris extollit laudibus, at hac in re nimis facilem ſe præbuiſſe, & ad cenſuras ejusmodi prolapſum eſſe arguit; utpote edoctum talia præſertim ab Antonio Matthæi, quo iſte olim inſtructore uſus fuerat: ab hoc enim taxata pleraque præter neceſſitatem eſſe variis exemplis evincit; ſpeciatim ſplendidum errorem vocat ipſius

ipſius opinionem, de nuptiis comprivignorum jure divino vetitis, utpote quod ille primum ſe vidiſſe prædicat. Cæterum has & ſimiles talismodi vanarum reprehenſionum refutationes narrat ſibi per biennium fuiſſe materiam lectionum publicarum: nec obſcure ſpondet, hoc ſibi aliquando ſingularis ſcriptionis argumentum futurum eſſe, ſeque inde *Cenſuram cenſuræ juris Romani & Anticriticam* concinnare & publici juris facere decreviſſe: quemadmodum etiam alibi novam editionem libri ſui *de Jure Civitatis* promittit. In ſequentibus porro, ubi de jure naturæ varia affert noſter, inter alia de Hobbeſii principiis diſſerit, eaque examinat ac partim admittit, partim rejicit; hanc tamen ejus theſin haud improbat: in ſtatu naturali, ſine imperio civitatis, fore bellum omnium adverſus omnes; id quod ſuæ Friſiæ exemplo illuſtrat. Nimirum celebrem illam gentis iſtius libertatem, quæ poſt tempora Caroli Magni nullum principem domeſticum aut alienigenam paſſa erat, tandem in reſolutam omnium ordinum licentiam, ſine poteſtate coactiva degeneraſſe. Hac conditione incolas, per integrum fere ſeculum, vixiſſe in veriſſimo ſtatu belli omnium contra omnes, ſciſſa gente tota in duas quidem factiones ſummas, verum ita, ut ſine ſedibus certis gladii per omnem provinciam micarent. Nec ullum e tantis malis exitum inveniri potuiſſe, quam unius imperio, quod fatigatior pars & mox tota provincia quæſiverit in Ducibus Saxoniæ Alberto & Georgio; quo in Germaniam ſubmoto, tandem ſub Caroli V ſceptro conquieverint. Plura non injucunda fortean, quæ in percurrenda nova hac Digreſſionum parte annotare contigit, afferre poſſemus; v. g. quæ de ſolenni ritu coemtionis & confarrationis, qua adhibito farre cum certa verborum formula uxores quondam factæ fuerint, ex antiquitate diſſerit; item quomodo uxores olim uſucaptæ fuerint; ut & de antiquo Dominio quiritario & bonitario, quod cum republica Quiritium ſepultum eſſe arguit, niſi quatenus aliquod ejus ſimulacrum in hodierno jure cenſitico ſuperſit: verum nimiam veriti prolixitatem his talibus ſuperſedere jubemur, præſertim cum adhuc de aliis libri acceſſionibus dicendum reſtet. Etenim præter ea quæ hactenus retulimus, ſuperadditur in fine *Diatribe de Ratione Juris docendi & diſcendi*; quæ quidem jam ante quadriennium prodierat, ſed nonnullis aucta fertur paralipomenis. Conſcripta vero eſt

per modum Dialogi cujusdam, & præcipua ibi quæstio ventilatur, an methodus ubivis fere recepta, jus ope certorum compendiorum & systematum addiscendi, proficua sit nec ne. Colloquium scilicet olim Lugduni in horto Joh. Frid. Bœckelmanni habitum fuisse aut narratur, aut fingitur, inter Bœckelmannum, Georgium Conradum Crusium, Hadrianum Wyngardenium, & Huberum nostrum: ubi Crusius quidem acri oratione usum compendiorum juris civilis in scholis privatis insectatur, tanquam præcipuam causam corruptæ nunc adeo Jurisprudentiæ, & statim sub ingressum tyronibus omne jus antiquum cum omni artis criticæ instrumento commendat: quas tamen res vicissim Bœckelmannus non nisi ab illis, qui prius universum jus methodo paratitlari didicissent, cum fructu tentari tractarique posse, prolixe sustinet. Tandem Huberus quoque in partes vocatus, varias juris docendi rationes, inde ab ævo Justiniani adhibitas recenset, & quænam præstantissima sibi videatur, exponit, ac de usu & abusu Critices hac in parte disserit. Systemata juris quod attinet, ea non improbat, modo a duobus scopulis caveatur: nempe primo, ne sicca & jejuna proferantur auditoribus, sed talia, quæ gustum & initium melioris doctrinæ exhibere possint: deinde ut assiduis hortamentis & exemplo illis præeatur, ne in his subsistere præsumant: quo nomine graviter invehitur in istos artis sanctissimæ nundinatores, qui Juris Doctores intra paucos menses perficiendos impudenter suscipiunt. Denique idem Huberus a Wyngardenio rogatus, totum studii juridici cursum, sicut ipse studiosis præeundum censet, succincto orationis filo dimetitur, saluberrima in eam rem consilia suppeditans, dignaque quæ a quolibet solidæ Jurisprudentiæ cupido legantur, cordique sedulo habeantur. Cæterum additus quoque libro est index materiarum, ab Autoris filio Zacharia confectus, quem tamen ut per occupationes augere sibi licuisset, exoptat, non negans hoc genus scripti locupletiorem sibi exigere potuisse.

ULRICI HUBERI DISSERTATIONES JURIDICO-THEOLOgicæ VII, de fœderibus, testamentis, liberationibus, satisfactionibus, acceptilatione, jure crediti divini, æquitate, dispensatione & redemtione. Accedit de Prætorio Liber singularis.

Franequeræ, apud Henr. Amama & Zach. Tædama, 1688, in 8.

Ea

EA, in quibus hactenus versati sumus, nobilissimi Huberi scripta, jam antehac, uti dictum, lucem viderant, utut non tantis exculta accessionibus, sicut jam prodierunt: ast quem nunc exhibendum adhuc habemus, novus liber est, nec hactenus publici juris factus; cujus elaborandi hanc sibi causam fuisse perhibet. Factum aliquando esse, ut de fœderum & testamentorum proprietatibus, quemadmodum in Sacra Scriptura tradantur, eædemque in jure sint cognitæ, fortuiti sermones inter se & amicos quosdam inciderint, & familiariter ventilati fuerint: postmodum vero, cum disputationes de ratione testimonioque Spiritus Sancti a ratiocinatione distincto ipsum cum duobus Academiæ patriæ Theologis commisissent, (qua de controversia egimus *in Actis anni proxime elapsi p. 405.*) considerationes ab ipso ea occasione habitas, ab istis una in scenam productas & exagitatas esse: at nihilominus se tum quidem hanc celitem dilatam maluisse, donec disputatione, quæ tunc præ manibus erat, defunctus esset. Fatetur quidem, se adhuc dubium hæsisse, an hoc tempore faciendum esset, ut propositi illius memor, eas materias, de quibus isti tantum agendi pruritum ostenderant, in ordinem collocandas ad manus iterum sumeret, quasi priori illa lite jam finita: præsertim cum adversarii repetitis promissionibus publicæ ad ejus librum responsioni semet obstrinxissent, ac præterea plures viri doctissimi, (quos inter nominat Gisbertum Cocquium & Jacobum Oldenburgium) in medium adversus illorum patrocinium prodiissent. Ait tamen, hæsitationem hanc tandem sustuliſse Bibliothecæ Universalis autores, qui non aliter scribant, ac si ejus adversarii causam illis suam delegassent. Significare enim illos Reipublicæ literariæ, quasi ex mandato, Theologos Franekeranos, amicorum consiliis obsecutos, nihil amplius de causa rationalistica luci dare constituisse; id interim agentes, ut in novellis istis Commentarii adversus novam editi sententiam, quam tenuissime exhibeantur, ne quis opus esse responso præsumere possit. Ipsas jam has Dissertationes quod concernit, agitur in IV prioribus de Fœderibus & Testamentis: ubi Autor ingeniose deducit, quibus in materiis Theologicis rectius fœderis, quibus testamenti significatio conveniat, cum alias vox διαθήκης, in sacris multoties obvia, utramque interpretationem admittat. Præsupponit autem, terminos istos

in ſacris non aliter uſurpari, quam fieri ſolebat in uſu populari & juridico, iis potiſſimum temporibus, quibus Novi Teſtamenti ſcriptores vixerunt, quamvis vix aliter hodieque ſe habeant. Porro materias has ex planiſſimis juris fundamentis declarat, ne cui hac in parte dubius maneat ſenſus, atque ſic eas confert cum negotio ſalutis humani generis in verbo Dei patefactæ: ſperans fore, ut ex earum applicatione conceptus de rebus maximis paulo diſtinctius regi poſſint, quam quidem multis hactenus in mentem venerit. In fundamentis juris ab Autore præſtructis, cum notiſſima ſint & obvia, nos non detinebimus; tenor tamen opinionis ab eo defenſæ in hoc imprimis conſiſtit: negotium ſalutis humanæ conſtare pacto Patris & Filii Mediatoris, Teſtamentoque Filii æterno ſecundum illud pactum; præter hoc vero aliud teſtamentum inveniri nullum, ſed unum illud alias clauſum, alias apertum proponi. Huic teſtamento unico ſervire duplex fœdus, unum ad anticipandum (quemadmodum v. g. in rebus humanis teſtator quibusdam heredibus poſſit per promiſſiones acceptatas & per fœdus bona in anteceſſum dare & ante ſuam mortem, clauſo adhuc teſtamento;) quod quidem Φερωνύμως fœdus ſit, alterum ad exequendum teſtamenti unius ejusdemque effectum, quod tamen exercitum magis intelligatur, quam conditum reperiatur. Vel, ut paulo plenius ipſius Autoris verbis rem proponamus, ſumma hæc eſt: Pacto Dei Patris & Filii liberationem generis humani eſſe conſtitutam. Chriſtum, juxta illud pactum, electos feciſſe heredes ignaros, in ſanguine æterni *teſtamenti*; quod cum jus nullum niſi poſt veram ſanguinis effuſionem tribuerit, Teſtatorem Deum antiquis promiſiſſe, ſe bona hereditaria, vi ſanguinis ſui effundendi, ipſis antea eſſe daturum, & quia nondum hereditatem adire ſeque pro heredibus gerere potuerint, hoc officium per repromiſſiones, atque ita per *fœdus* ab illis exegiſſe, per leges eos adſtrinxiſſe, circumciſione & terræ Canaanis pignore, ceremoniisque res promiſſas adumbraſſe, atque ut oblationes gratiæ fuerint generales, ita ſigillis, pignoribus ac umbris, omnibus Deum profitentibus eorumque liberis uti permiſiſſe: aliud *teſtamentum* præter æternum iſtud, Deum feciſſe nullum; (quod enim vetus & novum vocetur, indigitare modo qualitates unius, non ſpecies diverſas teſtamenti; ſic ut teſtamentum *vetus* ſit

tus ſit clauſum, myſticum, invalidum, ſacrificiis ceremoniisque adumbratum, ſanctionibus inculcatum & promiſſionibus obſcuris confirmatum: *novum* vero ſit idem apertum, ſimplex, validum, clarum, rituum legumque vinculis ſolutum, jure factoque credentibus oblatum:) nec *fœdus* aliud, quam quod teſtamenti vim præoccuparet. Defuncto Teſtatore ceſſiſſe diem ſucceſſionis, id omnibus populis eſſe denunciatum, hereditatem promiſcue oblatam, a credentibus vi gratioſi teſtamenti per fidem, ſine ulla pactione aut exactione prævia eſſe adquiſitam; ſtipulationes a Legatis Dei interpoſitas efficere fœdus *externum*, ante & citra quod hæreditariũ jus perfecte quæſitũ ſit; ut tamen aſſurgens ad teſtatorẽ redivivum mens fidelis ei ſe quoque obſtringat, & hereditatem acceptet, cum præceptis teſtamenti, ut heredem decet, obſervandis, dilata poſſeſſione & uſufructu bonorum in futurum, cujus ſpei exercitium ſit quaſi commercium rogandi, reſpondendi, ſtipulandi, repromittendi, & ſic fœderis inſtar ſe habere cum Deo & Chriſto, quod ſcilicet verum jus hereditarium conſequatur &c. Exercitationis V loco, poſtquam dubium movit, quomodo ante mortem Redemtoris & Teſtatoris, adeoque ante ſolutionem præſtitam, pro liberatis a reatu haberi, & conſequenter heredum jus per fœdus adipiſci potuerint; inſerit Diſputationem de Liberationibus, ante 16 annos jam elaboratam & editam, occaſione quorundam Hungarorum Theologiæ ſtudioſorum, qui Inſtitutiones Juris ita ſibi explicari ab Autore expetierant, ut ſi quid occurreret, quod in theologicis iisque controverſiis, quæ de caſibus conſcientiæ agitantur, uſum habere poſſet, lectionibus admiſceret. In hac diſputatione, ubi de variis modis liberationis in jure fundatis tractat, eo potiſſimum inclinat, liberationem a Chriſto factam *Expromiſſioni* quamproxime accedere. Exercitatio VI in eodem argumento verſatur, ac in priori tradita ad hypotheſin magis deducit & ab objectionibus vindicat. Denique VII Diſſertatio affinem de ſatisfactione materiam perſequitur, ubi ſimul alia nonnulla argumenta, quæ in Rubrica libri nominantur, pertractata ſunt, quem in finem in plures ſectiones ſubdiviſa eſt: de quibus omnibus ſigillatim hic agere nil attinet, cum jucundius ea ex libello ipſo peti queant, præſertim dum cuncta concepta ſunt conciſa & perſpicua brevitate. Annectitur diſſertationibus liber de *Prætorio*, cujus Paulus

meminit *ad Philipp. I, v. 13.* Directus hic est adversus scriptorem quendam, cujus nomen reticet autor, qui fastu, ut ait, juvenili inflatus non modo nostro se opponere, sed & Chrysostomũ omnesq; fere reliquos interpretes, tanquam antiquitatis ignaros explodere præsumserat, acriterque defenderat opinionem a se excogitatam, nullum scilicet unquam Romæ Prætorium, nec eo tempore quo Paulus ibi fuit, nec alias fuisse; nec adeo verba Pauli dicentis, vincula sua manifesta esse *in toto prætorio*, exaudienda esse de Cæsaris palatio, sed de cohortibus Prætoriis: nimirum Apostolum, cum esset Romæ captivus, eo quod unum e militibus Prætorianis perpetuum domi custodem haberet, ad se ex more illorum temporum catena alligatum, hac occasione tantum negotii & consuetudinis cum prætorianis militibus habuisse, ut ejus innocentia maxime ab ipsis fuerit cognita; idque præcipue designari his verbis: ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, i. e. in omni illa multitudine militum. Novæ itaque hujus opinionis absurditatem perquam erudite ostendit noster, ex antiquis scriptoribus evincens, vocem Prætorii nusquam in eo sensu reperiri, ut cohortes Prætorias significet; sed olim quidem semper de Tabernaculo Imperatoris; recentius vero de auditorio juris dicendi, quod partem in palatio Cæsaris constituerit, prædicari: ut adeo nil obstet, quin recepta hactenus interpretatio, omissa opinione ista nova & fundamento carente, commode retineri valeat.

OPUSCULA MYTHOLOGICA, PHYSICA ET Ethica, Græce & Latine.

Amstelodami, apud Henr. Wetstenium, 1688, in 8.

PLeraque Opusculorum, quæ hoc volumine comprehenduntur, junctim Cantabrigiæ jam A. 1671 edita fuere, clarissimi ac de Græcis inprimis litteris meritissimi Angli, *D. Thomæ Gale* studio ac industria. Quemadmodum non multo post, anno nempe 1675, idem Vir celeberrimus aliud Scriptorum Historiæ Poeticæ Græcorum volumen, quo *Apollodori Athenienſis* Bibliotheca, *Cononis* Narrationes quinquaginta, *Ptolemæi Hephæstionis* Nova ad variam eruditionem Historia, *Parthenii Nicaensis* Erotica, & *Antonini Liberalis* Metamorphoses continentur, Parisiis, præmissa luculenta de scriptoribus Mytho-

Mythologicis Dissertatione, & subjunctis doctissimis notis, typis exscribi curavit. Cum vero prioris tomi exempla (alterius enim in officinis librariis hic illic supersunt quædam) distracta dudum essent, facile sibi Vir publici commodi studiosissimus, solicitante inprimis haud inerudito apud Batavos bibliopola, *Henrico Wetstenio*, id imponi passus est laboris, ut opuscula Mythologica, priore olim volumine edita, notisque suis illustrata revideret denuo, ac cum auctario quodam recudenda typis Amstelodamensibus committeret. Ita nata tandem nova hæc editio fuit, eo gratior Orbi Litterato futura, quod non tantum accessione quorundam opusculorum locupletata est, sed nitidissima insuper, & quod laudem præcipue meretur, quam emendatissima prodiit, clarissimo ac diligentissimo viro *Marco Meibomio*, cui multum hoc etiam nomine Respublica litteraria debet, curante. Sed opuscula ipsa paucis recenseamus.

I. est *Palæphati de Incredibilibus Historiis*, opus vulgo notissimum. Præmissa illi sunt testimonia de eo veterum, nec non de Palæphatis (quatuor enim ejus nominis fuerunt) judicium *Gerhardi Johannis Vossii* in libro de Historicis Græcis, quem lucem denuo visurum propediem, & altera quidem parte auctiorem, obiter indicatur.

II. ejusdem argumenti est, *Heracliti de Incredibilibus.* Illud e tenebris primus produxit, Latinaque versione donavit *Leo Allatius*, ediditque Romæ A 1641, sed ignarus, cui inter tot ejusdem nominis scriptores opusculum hoc, antiquæ quidem notæ, esset tribuendum. Ast *Galius* noster Heraclitum pro Heraclide (quæ nomina facile confunduntur) scriptum conjectat, censetque libellum hunc operis majoris, ab *Heraclide Lembo* olim compositi, epitomen esse, ab Agatharcide, de quo *Photius* in Bibliotheca tmem. 213, confectam.

III. est *Anonymi*, sed Heraclito longe recentioris, *de Incredibilibus* itidem opusculum, ab eodem *Leone Allatio* Latine versum & ex codice Vaticano A. 1641 editum. Atque hoc etiam nonnisi Excerpta ex majori quodam opere contineri, existimat *Galius.*

IV. *est Eratosthenis Cyrenæi de Catasterismis*, seu siderum schematibus libellus. Est hic Eratosthenes ille, qui quod in omni doctrinæ genere secundas ab illis ferret, qui ad summa accesserant, cognomen-

nomento βῆτα (sic enim apud Suidam in Ερατοσθένης legendum *Galius* censet, non, ut in impressis codicibus, βήματα) vocatus est, variique generis scripta, quorum accuratum catalogum *Galius* in præfatione exhibet, reliquit. Ex quo thesauro tamen paucissima ad nos ramenta pervenerunt: inter quæ hoc de Catasterismis opusculum, cum nonnullis aliis, primus publici juris A. 1672 Oxoniæ fecit *Johannes Fell*, vir non minus eruditione præclara morumque sanctitate, quam Episcopatu Oxonienſi recte laudabiliterque gesto celeberrimus.

V. est *Phurnuti*, aut potius *Cornuti*, *de Natura Deorum* Commentarius; Conrado Clausero Tigurino interprete. Cum vero Cornuti plures fuerint, Platonicum illum hujus libelli auctorem *Galius* arbitratur, quem toties Porphyrius laudat, & cujus μεταληπτικὸν scribendi modum Origenes & Proclus dicuntur imitati.

VI. est *Sallustii* Philosophi *de Diis & Mundo* liber; interprete Leone Allatio, a quo Romæ primum A. 1638 fuit editus. Synchronon *Simplicio* autorem hunc fuisse, clarissime *Galius* ex hujus in Epictetum commentariis evincit. Subjiciuntur autem opusculo huic non Galii solum, sed & *Lucæ Holstenii* notæ, inque iis selecta ex Platonicis, Proclo inprimis loca, Sallustium hic illic illustrantia.

VII. *Homeri Poetæ Vita.* Præmitti hæc melioribus & antiquioribus Homeri editionibus solet, & cum alia Poetæ illius vita, quam Plutarchus concinnavit, conjungi. Tametsi vero non desint, qui præsens etiam opusculum Plutarcho vindicent, argumentis tamen non contemnendis comprobat *Galius*, non Plutarcho illud, quem unius Homeri duas vitas composuisse, utique vero non est simile, sed *Dionysio* potius *Halicarnassæo* tribui debere.

VIII. *Heraclidis* (aut Heracliti, ut mallet Galius) *in Homericas de Diis sententias Allegoriæ*; Conrado Gesnero Tigurino interprete. Opusculum semel iterumque olim excusum, ex manuscripto codice, quo Galius suis usus, haud parum lucis accepit. Neq; dissimulandum, symbolam suam ornando libello contulisse juvenem Græce doctissimum, *Nathanaelem Mazerium*, a quo cum tempore fortasis Homero ipsi, in quo magna diligentia versatus dicitur, novum decus conciliabitur.

IX. *Ocelli Lucani de Universi Natura*, & *Timæi Locri de Anima mundi & Natura*, Opuscula. Auctores hos ex ipsius Pythagoræ disciplina profectos, ac Platone antiquiores esse, publice constat.

X. *Theophrasti Characteres Ethici.* Opusculum sæpius excusum, sed cui ope MS. codicis nonnihil prodesse Galius quoq; voluit, spem suam professus, fore, ut cum in itinere Italico, quod in Actis A. 1687. p. 593 recensuimus, clarissimus *Mabillonius* MSti alterius codicis in Abbatia Florentina servati meminerit, Philologus aliquis ad perficiendum hunc libellum operam suam conferat.

XI. *Demophili Similitudines: Democratis Philosophi Aureæ Sententiæ: Secundi Athenienſis Sophistæ Sententiæ.* Trium nempe Pythagoricorum opuscula, quæ primus e tenebris eruit notisque suis illustrata Romæ A. 1638 Lucas Holstenius edidit.

XII. *Sexti Pythagorei Sententiæ*, e Græco olim in Latinum a Ruffino versæ, & Xysto Romanæ Ecclesiæ Episcopo, falso attributæ. Q. Sextium, & ut a filio distinguatur, Q. Sextium Patrem rectissime autorem hunc vocari, docet in præfatione Galius, e quo Seneca, Plinius, Plutarchus, Jamblichus, & fortasse ante hos omnes Cicero, quamplurima hauserint. Sextum etiam, a quo multa salutaria se didicisse M. Antoninus Imperator libro I. τῶν εἰς ἑαυτὸν commemorat, non Chæronensem illum Plutarchi nepotem, sed nostrum hunc Q. Sextium, cognomento Romanum, fuisse arbitratur. Fraudem vero Ruffini, qua hoc cujuscunque, certe Pythagorei Enchiridium, Xysto suppositit, jam ab Hieronymo aliisque notat fuisse deprehensum.

Atque hæc sunt, quæ clarissimo Collectori uno hoc volumine complecti visum fuit, ad moralem partim philosophiam pertinentia, partim & maxime quidem ad poetarum antiquorum fabulas explicandas, genuinumque earum sensum ac scopum eruendum directa. Subjecit tamen, quem editionis curam habuisse diximus, *Marcus Meibomius*, novisque suis illustravit notis alia quædam ex Pythagoreorum libris fragmenta, in quibus de morali philosophia agitur, desumpta partim ex Stobæo, quæ Latine vertit jam olim cumque notis edidit Guliemus Canterus; partim aliunde deprompta, velut incerti auctoris Dissertationes Morales, ab Henrico Stephano primum in lucem protractas, cum versione & notis Jo. North; Archytæ Fragmenta ex Jamblichi Protrepticis; Lysidis Epistolam ad Hipparchum &c.

Unicum supereſt, de quo admonendum Lectorem Benevolum duximus: in hac Opuſculorum ſupra recenſitorum editione id inter alia curaſſe clariſſimum *Meibomium*, ut textus Græcus, rejectis ſcripturæ compendiis (abbreviaturas vulgo vocant) quæ uſurpari in typographicis officinis ſolent, integris literarum formis excuderetur: quo invento, ſi in uſum ab aliis etiam recipiatur, novum haud dubie decus typographiæ accedet. Idem inſtitutum in Diogene etiam Laertio excudendo ſervabitur, cujus novam editionem a Wetſtenio dudum promiſſam eo avidius expectamus, quod ejus quoque curam Meibomius ſuſcepit, ut juventam olim, ita nunc ſenectutem bonis litteris ornandis impendens. Quemadmodum optamus etiam, ut Jamblichus de vita & ſecta Pythagoræ, quem ex variis MSS. auctum & emendatum, novaque verſione donatum clariſſimus *Galius* Orbi erudito promittit, lucem propediem aſpiciat.

HORTI MALABARICI Pars VI. VII. VIII.

Amſtelodami, apud Henr. Boom &c. 1686, 1688, fol.

DE ampliſſimo opere hoc Botanico, decem abhinc annis edi in Hollandia cœpto, Virique Generoſiſſimi, cujus auſpiciis atque præcipuæ curæ Orbis illud Litteratus debet, Dn. *Henrici van Rhede tot Draakeſtein*, laudabili inſtituto, abunde a nobis dictum in Actis A. 1684. pag. 159, & A. 1685 pag. 401 meminimus. Itaque nunc indicandum ſolummodo Lectori Benevolo fuit, continuari ſplendidum illud opus, jamque, abſente licet Nobiliſſimo Rhedio, ac in Indiam denuo publicæ rei cauſa cum imperio & magiſtratu extraordinario ablegato, tria nova volumina, ſextum A. 1686, ſeptimum & octavum hoc ipſo anno 1688 in lucem prodiiſſe. Et ſexti quidem edendi curam *Theodorus Janſonius ab Almeloveen*, ſeptimi & octavi *Abrahamus a Poot*, Medicinæ Doctores ſuſtinuerunt: ſingula vero brevibus, at doctiſſimis notis *Johannes Commelinus*, Reipublicæ Amſtelodamenſis Senator ampliſſimus, & ſi quisquam alius, rei Botanicæ peritiſſimus, illuſtravit. Exhibentur ſexta parte varii generis *arbores & frutices*, præcipue *ſiliquoſi*: ſeptima varii generis *frutices ſcandentes*: octava varii generis *herbæ pomiferæ & leguminoſæ*. Deprehenſuri vero ſunt Botanices cultores in his etiam voluminibus, non nitidiſſimas tantum arborum, fruticum atque plantarum effigies, ſed omnium quoque deſcriptionem accuratam, incidentque ſubinde in obſervationes non pœnitendas. Quemadmodum, ut unum ex ſingulis tomis exemplum adducamus, *Mansjedi*, proceræ arboris, ſemina apud Malabares, aurifabris & gemmariis uſum in ponderandis mercibus præſtare memorantur, ob æquale quo ſingula gaudent, pondus, quatuor nempe granorum. Frutex *Pee-Amerdu* vel ex eo notabilis eſt, quod radix ejus æque extra ac intra terram, imo funiculo ſuſpenſa, aerique expoſita non caulem tantum emittat, ſed floreat etiam fructusque ferat, nudis ramis idem facientibus. *Cumbulam* planta, quam *Commelinus* in ſubjecta notula Peponem oblongum apud *Moriſonium* Hiſt. Oxon. Sect. I. c. 3 eſſe arbitratur, quam diu tenera eſt, venenoſa eſſe perhibetur; ubi maturuit, alexipharmacum. Cum autem omnis hæc e terra naſcentium ſcientia oblectamentum quidem haud leve, emolumentum vero vix aliquod præſtet, niſi ad uſum quem in re medica habet, reſpiciatur; id curæ quoque illuſtris Auctor habuit, ut quibus morbis quæque medeantur (paucis exceptis, quorum uſus nondum exploratus eſt) Lectorem ſuum non pateretur latere. Suffecerit nobis iterum exemplum unicum ex ſingulis exhibuiſſe tomis, cum in officinis noſtris exoticorum horum pharmacorum paucisſima reperiantur. Arboris *Wellia Tagera*, Belgis *Groot Glidthowt*, partes omnes, ſi radicem exceperis, addito cumino, ſaccharo candido & lacte, finiunt gonorrhæam virulentam: folia lacti vaccino incocta, vel in balneum parata, articularem expellunt morbum: cortex cum ſaccharo & aqua lævigatus, diabeti commodus eſt: radicis cortex cum croco virente lacte exceptus, podagræ nodoſæ ſuccurrit. Frutex *Schunámbu-Válli* inſignia medicamenta præſtat. Succus expreſſus cum oleo coctus, ac forma emplaſtri adhibitus, craſſos humores digerit: decoctum cum ſaccharo in febribus ardentibus & pleuritide ſummo cum fructu exhibetur: aqua ex trunco ſtillatitia cum ſaccharo idem præſtat, tuſſim lenit, ſanguinem purificat, vomicam pulmonum curat: radix trita & aqua cocta odontalgiam amovet, & fœtorem gingivarum: cortex tritus incarnationem ulcerum promovet. Nec minorem uſum planta *Tota-Piri*,

Part. VI. pag. 25.

Par. VII. pag. 37.

Part. VIII. pag. 5.

Part. VI. pag. 17.

Part. VII. pag. 21.

Part. VIII. pag. 33.

Piri, quæ Balſaminæ Cumerinæ ſpecies Commelino eſt, præbet. Ex ejus enim foliis & allio medicamentum conficitur errhinum, pro morbo comitiali: ex ſucco foliorum & oleo *'t Zìl-Elu* linimentum præparatur, quo maniacorum tempora ſummo cum ſucceſſu perunguntur: ex eodem ſucco cum *pipere longo* & *auripigmento* pilulæ conficiuntur, oculis immittendæ, pro virulento ſerpentis morſu: cortex fructus cum ſucco foliorum lævigatus, in alienatione mentis pro ſuffimento adhibetur, funiculo laneo immiſſo.

JACOBI LE MORT MED. D. LUGD. Bat.

Pharmacia & Chymia rationibus & experimentis auctioribus inſtructa.

Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Aa, 1688, in 8.

QUas Actis noſtris menſe Majo anni 1685 pag. 239 inſeruimus, Pharmaciam & Chymiam, eas nunc iterum memorare breviter voluimus, quod cum augmento intercalari recuſæ denuo videantur. Et quidem quod ad Pharmaciam attinet, in ea, præter Dedicationem & Præfationem mutatam, in methodo generali ſimplicia præparandi, leguntur materiarũ de quibus tractatur, non tantũ definitiones, verum etiam explicationes paſſim uberiores. Hinc ad ſpecialiora ubi deventũ eſt, ſingula accuratiori ordini includuntur, acceſſionibus hinc inde referta. Sic ubi capite 18 de ſirupis agitur, ſirupi aſthmatici, catholici purgantis, & roſarum ſolutivi deſcriptio traditur, quorum expers eſt prior editio. Pari modo caput 19 aquam hyſtericam ſuccinctam & efficacem, nec non ſpiritum carminativum cum Sylvii inventione celebratum, tum alium exhibet. Capite 21 duo decocta, unum e lignis & radicibus, alterum ex herbis, radicibus & ſeminibus paranda docentur. Sic capiti 23 acceſſit electuarium purgans catholicum, nec non leniſſimum & ſuaviſſimum aliud; item antifebrile, ut & cardiacum. Caput 25 præter alios in priori editione recenſitos pulveres, jam antinephriticum recipit. In capite vero 26 non tantum pilulæ martiales, ſed & magiſtrales additæ ſunt, ſicut in cap. 28 oleum otalgicum & ſarcoticum, ac in cap. 29 balſamum Locatelli deſcripta habentur. Tum vero integrum caput 30 de novo inſertum, quod de vernicibus parandis imprimis e ſuccino, maſtiche, gummi copal &c: agit. Hinc ſuccedit caput 31, quod unguento ad ſcabiem & magiſtrali auctum reperitur. Ac tandem ultimo capite emplaſtrorum ordini interpoſita ſunt cephalicum, ſtomachicum, & ad pedum clavos.

Nova Chymiæ editio itidem aliam præ ſe fert Dedicationem, aliam Præfationem, in qua famæ ſuæ contra Marggravium & alios, quos vocat, obtrectatores patrocinatur, ac vitæ ſuæ quaſi quandam epitomen interſerit. In ipſo deinde frontiſpicio libri poſitiones Medicas 30, Chymicas 26 de novo addidit, quas paradoxas primo intuitu eſſe fatetur, ſed diuturna experientia probatas. Loca vero ſingula, quibus paſſim objectiones malevolorum refutat, hic recenſere, brevitatis, qua circumſcribimur, limitibus officeret. Vel unicum ſaltem notamus caput 15, ubi circa elixir proprietatis cum acido, nec non circa magiſterium herbarum commentando prolixe ſententiam ſuam & explicat, & aliter opinantes refellere ſtudet. Finis libri quidem auctus novo capite de mineralium & metallorum tincturis videtur, ſed re ipſa aliud non acceſſit augmentum, quam uberior dictorum expoſitio, cum iidem proceſſus in priori editione cap. 19 pariter extent.

JOHANNIS MEYERI SS. LITTERARUM DOctoris & Profeſſoris Uxor Chriſtiana, ſive de Conjugio inter duos, deque inceſtu & divortiis Diſſertationes tres.

Amſtelodami apud Janſonio-Waesbergios, 1688, in 4.

QUamvis non pauci eruditorum in explicandis, quæ præſentes diſſertationes exhibent, argumentis jam occupati fuerint, operæ tamen pretium ſe facturum credidit clariſſimus Autor, ſi ad eorum pleniorem illuſtrationem, ſuam quoque conferret ſymbolam. Inprimis cum animadverteret neminem, qui Karæorum circa hæc a Talmudicis doctoribus maxime diſſentientium, iſtique ſcopo haud

parum inservientium sententias & placita, præter ea quæ habet Seldenus, e latebris eruta in lucem publicam protruserit, nec ipsum lateret, quamplurimos viros doctos illorum cognoscendorum ingenti flagrare desiderio; rem curioso lectori non ingratam se facturum speravit, si in omnibus dissertationibus rarissimum Commentarium Eliæ ben Mosis Karæi, quem Seldenus scriptoris doctissimi elogio passim exornavit, MStum tamen atque mutilum duntaxat citare potuit, ex instructissima Bibliotheca Lugduno-Batava, ubi inter alios exstat, Constantinopoli sub titulo *Adderet Elijahu* impressus, exhiberet. Nec inconsultum judicavit, si in ardua satis ac difficili hac materia, Theologorum pariter atque Jurisconsultorum consilia & responsa ex diversis Autoribus colligeret, varios casus interdictis Mosaicis subnecteret, ac ejusmodi fundamenta jaceret, ut inde similes facile queant solvi. Præterea & in eo fuit Autor doctissimus, ut de quibus alii operosius, ipse strictim ageret, & quæ illi levi brachio attigerunt, plenius excuteret. In dissertationum prima, quæ de conjugio inter duos agit, & polygamiæ patronis, præcipue Theophilo Aletheo, Athanasio Vincentio atque Daphnæo Arcuario est opposita, omnia loca V. & N. T. quæ ea de re agunt, erudite exponit, & ab exceptionibus Adversariorum solide vindicat. Altera in gradus prohibitos, cæterasque nuptias illicitas, & pœnas annexas inquirit, legum divinarum, quæ Levit. cap. XVIII & XX exhibentur, genuinum sensum ex genio linguæ Hebraicæ eruens. In tertia ex jure divino præter fornicationem plures divortii causas non esse admittendas, contra Grotium atque Seldenum evincere conatur.

JOH. MARIANI GHIARESCHI, MEDICI LUcensis, Observationes de vegetabilibus absque terræ adminiculo producendis.

Excerpta ex Ephemeridibus Parmensibus A. 1687. num. III. VI. & IX. pag. 46, 96, & 154.

HAud ignotum est, dari plantas, quæ utut humum non attingant, sed aliis modo arboribus aut vegetabilibus innascantur & adhærescant, nihilo tamen secius læte crescere & germinare deprehendantur; quo in numero sunt Cuscuta, Viscum, Hedera aliæque. Veruntamen licet hæ tales immediate telluri non cohæreant, indeque nutrimenta nanciscantur; idem mediate saltem faciunt, dum ex arboribus, quibus velut nutricibus utuntur, alimentum, quod hæ crudum e terra traxerant, præparatum jam magisque elaboratum assugunt atque hinc majora indies incrementa sumunt. Num autem absque omni, tam immediato, quam mediato terræ commercio plantas producere, & quatenus eas sic educare detur, experimentis indagare instituit solertissimus Ghiareschius. Et initio quidem circa vegetabilia imperfectiora, fungos nempe, occupatus fuit, & aliquoties, variis etiam anni temporibus, e nudis istis involucris tortilibus, quibus lagenæ vitreæ circumvestiri solent, in vase huic rei aptato aqua tepida irrigatis, absque ullo terræ interventu, intra duodecim circiter dies, produxit fungos diversæ magnitudinis; palmum aliquando longitudine, pennam anserinam caulis crassitie adæquantes. Quem caulem intus concavum, & in subtilissimas ac sine microscopii ope vix conspicuas radices desinentem deprehendit. Observavit, quandoque ante eorum productionem per triduum aut quatriduum apparuisse speciem quandam situs seu lanuginis, e cujus medio dein fungi sint enati; & horum quidem summitatem primo non absimilem esse turionibus asparagi, & vitri auxilio umbellam clausam ostendere, quæ postea ad latitudinem transversi pollicis semet expandat, ex parte quidem concava striis nigris, ex convexa vero punctis albentibus signata. Vidit etiam fungos tales a radiculis licet avulsos, at in vase relictos, ad tertiam adhuc longitudinis, quam prius habebant, partem crevisse unius diei spatio, quin & circa eorum extremitatem alios duos aut tres exiliores propullulasse: dum interim illi, qui non avulsi fuerant, dimidio altius surrexerant. Præterea observavit aliquando, non tamen nisi semel; abrupta a caule suo umbella, inde prodiisse ingentem numerum animalculorum velocissime currentium, coloris flavi summe transparentis, quæ adhibito microscopio, instructa comparuerint sex pedibus, duobus cornibus, pilisque rarioribus. Denique compertus est, tametsi ad indagandam quadantenus virtutem seminalem horum fungorum, prædicta lagenarum involucra prius in aqua bulliente cocta fuissent, nil tamen inde, aut parū diversi, quoad hanc fungorum productionem contigisse. Ulte-

Ulterius dein ſemet applicuit Noſter culturæ aliarum plantarum, ſimili modo perficiendæ. Nimirum in iſto ſuo vaſe, ſuper dimidia talismodi lagenæ veſte ſeu involucro, varii generis ſemina conſevit, fabas puta, piſa, phaſeolos, ciceris grana, vicias, triticum, ſecale, panicum, frumentum Saracenicum, cucumeres, melopepones & fœniculum: nec omni ſucceſſu tentamen caruit; nam mediante calore Solis moderato, & humiditate neceſſaria, varia iſta ſemina, diverſis licet temporibus germinarunt; alia tamen aliis felicius. Fœniculum enim, frumentum Saracenicum & milium, altitudinem trium digitorum transverſorum creſcendo non ſuperarunt; reliqua fere ultra ſemipedem excreverunt: aſt dein ſucceſſive rurſus marcuerunt; niſi quod ciceris ſemina, poſtquam dictam altitudinem attigerant, evulſa & in vas terra plenum tranſplantata, flores fructusque maturos tulerunt. Inter alia obſervavit, duas fabas, quarum quælibet ante ſationem 10 grana pependerat, poſtquam ad determinatum creſcendi terminum pervenerant, eradicatas in tantum pondere auctas fuiſſe, ut ſingulæ 72 grana haberent, computatis ſimul radicibus, caule & foliis: unde concludit, incrementum iſtud non niſi ſoli aquæ communi affuſæ adſcribi poſſe, nec ullatenus hic terram concurriſſe; id quod in experimento acutiſſimi Helmontii in ſalice, itemq; clariſſimi Boylei in pepone Indico, inſtituto ſuſpicari quem facilius poſſe autumat. Cæterum ipſum illarum fabarum corpus, quod nullatenus fere alteratum apparuit, a caule avulſum pependit 14 grana, & in Sole ſiccatum deinde grana 7; ut adeo grana omnino 3 de pondere, quod ante ſationem habuerat, amiſiſſe viſum ſit: quod quidem decrementum nimium fere Noſter arguit, intuitu ſententiæ modernorum quorundam Philoſophorum ſtatuentium, puriorem illam particulam, quæ verum ſemen contineat, non niſi 2800^mam partem efficere ſeminis craſſo modo ita vocati: exiſtimat nihilominus, in fabis illis partes quasdam magis volatiles, diuturno humore & calore ſolutas, facile evaneſcere & avolare potuiſſe.

Poſtea temporis, quo felicius adhuc procederet experimentum, loco involucrorum talismodi lagenas veſtientium, (cum ea ſufficientem plantis humiditatem vix præbere videret, maxime ſi non vetuſtiora, ſed recentia adhibeantur,) adſumſit ſcobem ligneam ſiccatam; utpote quam aptiorem judicavit recipiendæ humiditati,

tati, radicibusque plantarum intra ſe admittendis: præterea ad irrigandum non aqua ſaltem communi uſus eſt, ſed & ſubinde alia, in qua prius materia quædam, ut ait, aquea & ignea, calida & frigida fuit diſſoluta. Hoc pacto ſeminum germina & altius aſſurgere creſcendo, & virorem magis vividum oſtendere deprehendit; ſpeciatim tres fabas narrat ita ſuccreviſſe ad ſesquipedis fere altitudinem, nec gemmas modo protruſiſſe, ſed & flores ſucceſſive per menſis fere ſpatium erumpentes oſtendiſſe. Non diffitetur tamen, in aliis plantis ſucceſſum experimenti haud ita expectationi reſpondiſſe: nimirum lupinum, ſecale, ac hordeum non ultra dimidium palmum enata rurſus exaruiſſe; id quod etiam in ſemine cucumeris contigit. Baſilicum protruſis aliquot foliis virorem quidem retinuit, at altius ſuccreſcere haud obſervatum eſt; id quod Noſter vel ideo miratur, cum herba hæc alias humoris amica, ſi vel exilis e terra eruatur vaſiq; aqua pleno immittatur, læte florere ſoleat: non tamen absque ratione hoc nomine incuſat frigus, vegetationi quippe plantarum haud parum inimicum; dum poſtrema hæc experimenta ab initio modo Septembris ad medium Novembris facta fuerunt; eandemque cauſam fuiſſe arguit, cur fabæ illæ, cum tam vivide flores dediſſent, non etiam fructus & ſiliquas tulerint, ſed marceſcere dein cœperint. Spondet proinde, ſe plura hujus rei experimenta facturum, curioſisque poſthac communicaturum; quousque etiam differt deſcriptionem tam vaſis, ad hoc negotium accommodati, (quod microcoſmicum vocat, ob effectus quosdam ſimile quid macrocoſmi naturæ exhibentes) ut & materiæ illius ad irrigandum adhibitæ: de qua tamen nondum pro certo aſſerere audet, an multum contulerit ad maturandum vegetabilium incrementum; dum ſe non ſatis per experientiam noviſſe ait, quantum temporis alias ſemina illa ad germinandum requirant. Cæterum varia hac occaſione circa plantarum vegetationem obſervare ipſi obtigit: v. g. ſi poſt factam radicationem granum ſeminis evertatur conſulto, ita ut radix ſurſum ſpectet, fieri ut hæc intra ſpatium unica nocte minus cuſpidem deorſum flectat, & modo per ſpiralem, modo ſerpentinam, modo aliam lineam fundo ſemet inſerere laboret. Expertus eſt præterea, radicem ſemper prius e grano enaſci, eamque non rumpere corticem, ſed perforare ſolum, quem deinde germen ſubſequens demum diſſilire faciat;

ciat; qua in re nonnullos e veteribus philosophis falsos fuisse pethibet, perinde ac in eo, quod autument, semen non prius germinare, quam nigro colore imbutum appareat; id quod pariter a se nunquam observari potuisse testatur.

C. BONTEKOE METAPHYSICA, EJUSDEMque de Motu liber singularis, nec non Oeconomia animalis. Accedit A. Geulincx Physica vera.

Lugduni Batav. 1688. apud Joh. de Vivie & F. Haaring.

QUos editoris cura hac editione conjunxit, tractatus posthumi sunt omnes, eorumque ultimus, qui *Physica vera* inscribitur, Arnoldum Geulincx, Professorem quondam Leidensem parentem agnoscit, reliqui vero Corn. Bontekoe, Archiatrum Brandeburgicum, eruditione pariter & fato infelici satis nobilem. Quemadmodum vero parentum amor vix solet concedere, ut liberi sui aliorum conspectui exponantur, nisi elegantius paulo comti & adornati; ita dubium nullum est, hos ipsos ingeniorum fœtus nitidiori habitu prodituros fuisse in lucem, nisi mortis acerbitas aliorum tutelæ ipsos subjecisset. Sed ipsa tractatuum argumenta videamus. Primus *metaphysicas* quasdam meditationes continet, in quibus Autor, postquam concluserat se existere & cogitare, mentis atque corporis sui proprietates paucis considerat; deinde vero ad Deum evehitur, cujo attributa contemplatur, mox tamen ad corpus seu materiam regreditur, ejusque proprietates generales ad mentem Cartesii explicat. Cum vero initio meditationum suarum supponat, omnia esse falsa, sollicite statim inculcat, plurimū differre supponere & affirmare, & illud semper licere, adeoque nec peccati, nec periculi plenam esse suppositionem, non dari DEum. Id enim tantum agi, ut ex hoc supposito quid sequatur, ostendamus; quod si jam falsa & absurda conclusio exinde emanet, suppositionis absurditatem quoque evictam esse, ejusque contradictoriam firmo stare talo. Secundus Dn. Bontekoe tractatus de *motu* agit, maximam philosophiæ naturalis partem sex capitibus comprehendens. Primum enim simplices motuum differentias recensset,

set. Secundum omnem motum a fluidis dependere probat, nec non omnia solida ex fluidis orta esse, perpetuamque fluidorum in solida, & solidorum in fluida conversionem ostendit. Tertiū causas motus ejusq; continuationem & interitū, nec non gravitatem & elasticitatē contemplatur, & projecta a fluida quadā materia deferri asserit. Utrū vero æqualis motus quantitas in mundo semper detur, ex phænomenis determinari posse negatur. Capite quarto de fermentatione & effervescentia, nec non de putrefactione agitur. Cum vero in omnibus hisce particulæ salinæ non minimam mereantur considerationem, in earum naturam inquiritur, illæque ab acidis distinguuntur, quum salinæ quidem sint oblongæ, rigidæ, pungentes & in aqua solubiles, acidæ vero breves, scindentes & aqua semper solutæ. Quintum caput explicationi fluiditatis atque firmitatis corporum insumitur, ita tamen ut Cartesium, quem in reliquis haud obscure sequitur Auctor, jam deserat, soliditatē corporum non a nuda quiete, sed a pressione fluidi ambientis, conjuncta cum certa particularum, ex quibus corpus componitur, magnitudine & figura deducat. Nactus vero occasionem de sale rursus agendi, idipsum non esse productū ignis, contra recentiores quosdam defendit, subjiciens: unicum tantummodo sal dari in rerum natura, sub multiplici tamen forma adparens ob mixturam aliarum particularum: fixum enim fieri ex additione acidi inter comburendum facta, licet natura sua volatile sit. Capite ultimo de motu, qui ignem constituit, disseritur, & vitrificationis quoque ratio exponitur. Vis autem illa dissolvendi, urendi & calcinandi, quæ in igne deprehenditur, a particulis acidis & salinis in igne existentibus derivatur. Ad quæstionem, num Sol ignis sit, negative respondetur, quippe cum ignis ex subtili & terrestri materia, Sol vero ex sola materia subtili constet.

In *Oeconomia animali* ab assumtione nutrimentorum initium ducit Auctor, & digestione considerata succi nutritii iter prosequitur, quem in ventriculis cordis per aliquam fermentationem & effervescentiam immutari negat. Deinde ad motum sanguinis circularem progreditur, qui juxta ipsius computum fere tredecim vicibus horæ spatio absolvitur, ita ut eadem sanguinis quantitas ab utroque cordis ventriculo & recipiatur & emittatur, licet in demortuis animalibus dextri cavitas fere duplo major deprehendatur.

Porro cauſas hujus circuitus inveſtigat, & diaſtolem cordis partim a ſanguine thalamis immiſſo, partim a motu reſtitutionis, qua parietes contracti reſiliunt; ſyſtolen vero a toto muſculo cordis ab influente ſucco nerveo inflato derivat, nec non aerem inſpiratum, qui elaſticitate ſua ſanguinem in arteria & vena pulmonali premit, in numerum cauſarum reliquarum refert. Cum vero a motu ſanguinis pendeat calor, nutritio & accretio, ſecretio ſuccorum, ſenſus, memoria, ingenium, ſomnus & vigilia, nec non motus tam voluntarii quam involuntarii, hinc ordine quoque de illis agit. Licet autem varias cauſas afferat, quæ calorem noſtrum conſervant & augent, fontem tamen ejusdem non cor, ſed ſtomachum eſſe prolixe ſatis aſtruit. Cætera eo redeunt: Nutritionem, quæ tota fere in ſuccorũ deperditorum reſtitutione conſiſtit, non a ſanguine fieri, quippe qui non ſit chyli perfectior pars, ſed tantum ejusdem reliquiæ motu alteratæ & calore rubro ſaturatæ a ſale volatili, quem cum aere inſpiramus, quique blandam quandam efferveſcentiam in ſanguine excitat. Secretionem omnem fieri per tubulos. Senſibus quinque vulgaribus alios tres adjiciendos eſſe, famem, ſitim & voluptatem veneream. Carteſium vulgari errore abreptum fuiſſe, cum ſenſus in externos & internos diſtinxit, & ſenſorium aliquod commune, glandulam pinealem, ſtatuit. Sufficere enim ex preſſione externa ortum in ſucco nerveo motum, qui deinde alium in cerebro excitat, cui cogitatio ſeu perceptio animæ noſtræ conjungitur. Memoriæ organum eſſe totam medullam cerebri cum ſucco nerveo, excepta ea parte, ubi ſuccus nerveus in nervos ſenſorios & motorios influit. Ingenii bonitatem conſiſtere in debita tubulorum cerebri flexibilitate, cum ſubtilitate & mobilitate ſucci nervei & cæterorũ humorum. Somni cauſam potiſſimam eſſe flacceſcentiam cerebri, & nervei ſucci incraſſationem aut defectum. Chylificationem melius procedere in dormientibus, quam vigilantibus, & hinc ſomnum a paſtu, æſtate & in calidis regionibus, eſſe ſaluberrimum. Non ſatis conſtare, quomodo motus muſculorum fiat, vero tamen proximum eſſe, muſculorũ ventres non compoſitos ex fibris, ſed tubulis tum nerveis tum arterioſis, qui a ſanguine & ſucco nerveo expandantur, ut muſculus intumeſcat. Motum reſpirationis etiam conducere ad id, ut a particulis aereis elaſticis debita ſuccis noſtris concilietur expanſio, qua

qua ablata in valetudinariis atmoſphæræ incumbentis pondus ſtatim ſentiatur. Alternas ſemper vices reſpirationis, & totidem alternas cordis motiones eſſe debere, & exſpirationem cum cordis contractione, inſpirationem cum ejus dilatatione eſſe conjunctam. Hiſce paulo prolixius propoſitis, tandem de generatione quædam adjicit Autor, & poſtquam monuerat, vix ullum dari certum conceptionis ſignum, quæſtionem reſolvit: Cur mulieribus non imprægnatis fluant menſtrua, eademque ceſſent, quando fœtum geſtant. Id enim ex eo oriri putat, quod menſtruo ſemper ſpatio propullulent ex utero ramuli arteriolarum, qui in gravidis in placentam inſerantur, in non gravidis vero ſanguinem emittant per aliquot dies, donec multo ſanguine evacuato, oſcula & extremitates eorum flacceſcant, concidant & obturentur. Fœtum in utero alto ſopitum ſomno jacere exiſtimat, eumque partus tempore inſtante demum evigilare, ex majore motu quem tunc edit, colligit. Ultimo loco illorum errorem caſtigat, qui medicamenta, lochia pellentia puerperis præſcribunt, quibus proſtratas ipſarum vires porro conſumant & tantum non exſtinguant.

Arnoldi Geulincx Phyſica ſex comprehenditur tractatibus, quorum I. de corpore; II. de motu; III. de quiete; IV. de hypotheſibus phyſicis; V. de mundo magno; VI. de microcoſmo agit. In quibus quamvis nihil contineatur, quod in Carteſii ſcriptis jam pridem fuſius propoſitum non fuerit; concinna tamen propoſitionum diſpoſitio, cum grata brevitate conjuncta, ſuam laudem meretur.

A DISQUISITION ABOUT THE FINAL CAUSES of natural things: wherein it is inquired, whether, and (if at all) with what Cautions, a Naturaliſt ſhould admit them? to which are ſubjoyn'd, by way of Appendix, ſome uncommon Obſervations about vitiated Sight. by T. H. R. B. Fellow of the Royal Society. i. e.

Diſquiſitio, qua in finales rerum naturalium cauſas inquiritur, an, & ſi, quibus cautelis a Phyſico admittendæ? Cui Appendicis inſtar raræ nonnullæ Obſervationes Viſum vitiatum concernentes annectuntur: autore Roberto Boyle, Societatis Regiæ Socio.

Londini, apud Johannem Taylor, 1688, in 8. Omnes

OMnes inter rerum naturalium perveſtigationes, nullam Philoſophum Chriſtianum decere magis, quam quæ circa fines verſatur, eo quod hac neglecta ingratitudinis crimen erga Divinum Numen incurrere detur facillime, ſagaciſſimus Autor noſter perſpiciens; ab Oldenburgio quondam incitatus, tanto lubentius tunc cogitata propria circa materiam commemoratam, eodem quo impræſentiarum communicantur ordine, in chartam conjecit, quanto imprudentius præterea a multis Recentiorum, veſtigia vel Epicuri, vel Carteſii legentibus, finium ſcrutinium e Phyſices limitibus exterminari penitus cerneret. Diſtincte autem quo Autor omne exhauriat negotium, non conſiderando, quid alibi locorum in ſuis ſcriptis occaſione data circa idem objectum ſtatuminaverit, *quatuor* proponit *Quæſtiones*, totidem Sectionibus dirimendas.

Primum, an generaliter loquendo, fines rerum corporearum a Phyſico queant cognoſci? Ubi non ſolum ab Epicuro & Carteſio negativam defendentibus, ſed & a ſcholaſticis aliisque, omnia in mundo tantum vel ſaltem primario propter hominem producta eſſe aſſerentibus, id quod Carteſio inprimis fines e Phyſico foro ejiciendi anſam videtur dediſſe, facit diſceſſum. Scilicet fines, quos Natura in rebus corporeis ſibi præfixiſſe perhibenda, quadruplicis concipit generis: alios univerſales ſeu generales, ad mundum integrum attinentes, tales videlicet, quibus immenſa Creatoris potentia & ſapientia admiranda declarentur, Ejusdemque exinde gloria ab intelligentibus creaturis deprædicetur; coſmicos alios ſive ſyſtematicos, ſymmetriam totius mundi ſpectantes, ac in numero, textura, ſitu & motu magnarum materiæ portionum fundatos, cum vaſta hæc corpora, v. g. Sol, Luna, ſtellæ fixæ, nec non globus terraqueus, ita omnino extructa atque locata ſint, ut non ſolum in præſenti perſiſtere queant ſtatu, ſed maxime quoque univerſali creationis fini bonoque totius univerſi, cujus notabiles partes exiſtunt, conducant; alios animales, animalium (& probabiliter plantarum quoque) partes concernentes, in quantum hæ commodo illorum, ut ſe tanquam individua conſervare, ac ſpeciem ſui propagare poſſint, inſerviunt; alios denique humanos, dum animalia & vegetabilia aliaque hominis ergo a natura produci dicuntur, & quidem vel mentales, reſpicientes mentem, vel corporales, ad corpus hominis

nis pertinentes, utpote ita efformatum, ut non modo conſervationem ſui & propagationem ſpeciei perpetuare, ſed dominium quoque in reliqua animalia operaque naturæ exercere, hæcque ſibi ſubjicere valeat. Etenim quamvis erroneum Autori videatur, ſenſu rigidiſſimo cum eruditorum vulgo aſſeverare, omnia in mundo viſibili propter hominem facta fuiſſe, turpius nihilominus eos impingere autumat, qui cum Epicuro vel Carteſio aliquid propter fines homini perſcrutabiles productum pernegant. Fuſius proin cum Carteſio (Epicuro fere poſthabito, utpote ab aliis jamdum ſatis confutato) objiciendo non minus, quam reſpondendo inſtituit diſſerere. Objicit, Carteſianos eandem motus quantitatem in univerſo ſemper permanere comprobaturos, de finibus Deo propoſitis in rebus naturalibus implicite ad minimum ferre judicium: ni enim conſtare ipſis ſupponerent, quid Deus movendo primum materiam decreverit, arduum omnino iis fore demonſtratu, ſcopum Ejusdem haud eſſe poſſe talem, qui augendo interdum, interdum diminuendo, quantitatem motus materiæ primum communicatam, attingatur optime. Nec ab ullo Carteſianorum evinci valere, varios inter fines, quos ex conceſſo Deus forſan in creaturarum productione ſibi propoſuit, illum haud comprehendi, quem nos intellectu ab eo exornati, merito propter ſapientiam ejusdem ac bonitatem pro tali accipimus; cum attributa hæc non ſatis diſcerni nec celebrari a nobis queant, niſi creaturæ propter ejusmodi uſus, quibus conſequendis textura earum perquam appropriata exiſtit, concinnatæ intelligantur. Immutabilitatem enim Dei quod ſpectat allegatam ab ipſis, quo motus quantitatem nunquam variari oſtendant, obſcurum videri, cur particulares Dei fines, licet nonnulli eorum viciſſitudinem intuitu modi, quo in res naturales operantur, videantur requirere, cum immutabilitate Divina minus conſiſtere queant, quam ratio ejus cauſandi, qua varias confici res curavit, quas tametſi ab æterno producere decreverit, actu tamen non niſi temporis progreſſu producat. Neque comparere, cur Deus, etiamſi motus quantitatem variet, haud æque immutabilis eſſe poſſit, ac quidem cenſetur, quando rationales animas, plerisque Carteſianorum arbitrantibus, quotidie creat, easdemque humano unit corpori; cum primis quoniam novæ hæ creatæ ſubſtantiæ, virtute præditæ determinandi

ſpiritu-

ſpirituum & conarii motiones, in ſe nihilominus corporeas a Carteſio venditantur. Arguenti autem Carteſio temeritatis hominem fines Dei cognoſcere præſumentem, reſpondet diſtinctione præmiſſa, negando temeritatis culpam commereri eum, qui aliquos ſaltem finium Dei ex nonnullis operibus ejus eruere nititur, prout obſtrictus degit; multa quandoquidem in natura adeo exquiſite in certarum operationum uſuumque gratiam deprehendi contexta, v. g. oculum viſus ergo, ut cæcutire illum oporteat, qui cum Carteſio ſapientiſſimum rerum Autorem agnoſcens, eadem tales in uſus facta eſſe non colligat; quamvis & alii fines, iique altiores, eis ſimul habeantur forſan præfixi. Carteſio quippe, omnes Dei fines in imperſcrutabili ejus ſapientiæ abyſſo eodem reconditos modo aſſerenti, minime ſubſcribit, creaturarum nonnullarum uſus perpendendo adeo manifeſtos, ut ab omnibus, cum philoſophis, tum plebejis, ſemper & ubique tales perſpecti fuerint. In Phyſica vero dum omnia rationibus certis & ſolidis fulcienda eſſe Carteſius ſubjungit, Noſter partim regerit, ſententiam hanc operibus nonnullis uſum aliquem Autori rerum inter alios propoſitum adjudicantem, optime cum rationibus phyſicis circa efformationem eorundem reddendis concordare, pariter ac ratio mechanica circa ſtructuram rotæ cujuscunque aut alterius partis horologii ſuggeri poſſit, etiamſi horologium ab artifice, ut horas diei indigitet, deſignatum fuiſſe ſupponatur; partim movet dubium, an rationes poſtulatæ ſemper eſſe debeant præciſe phyſicæ, præſertim ſi non phænomenon aliquod particulare, ſecundum ſolennem Naturæ curſum productum pertractetur, ſed de primis ac generalibus mundi cauſis, a quibus fines ſive uſus vix excludendi, agatur. Parum namque referre, utrum aliquid in Phyſica aliave diſciplina, per propria ejusdem ſcientiæ principia probetur, an ſecus, modo firmiter id fiat per communia rationis fundamenta; neque prima ipſius philoſophiæ Carteſii dogmata argumentis ſtricte phyſicis, ſed vel metaphyſicis, vel catholicis magis rationis dictaminibus, vel particularibus experientiæ teſtimoniis, v. g. dum omnis materiæ motus ad Deum tanquam cauſam refertur &c. corroborata eſſe. Atque in proclivi erat hic Autori, primam dimittere quæſtionem, ſed in alium Carteſii incidens locum, ubi cautius & magis limitate de finibus Dei ratiocinari videtur re-

reſpectu

ſpectu potiſſimum habito ad eos, qui mundum a Deo tantum propter gloriam ſui creatum profitentur, aliquot adhuc ejus hallucinationes, antequam ſecundam quæſtionem aggrediatur, pergit detegere. Deſiderari videlicet rationem, quod fines nulli, niſi a Deo ſupranaturaliter revelentur, innoteſcant; nec oſtenſum fuiſſe, quomodo ad laudem Deo pro operibus ejus tribuendam obſtringamur, ſi fines rerum nolit a nobis indagari. Omnium vero minime parvitatem hominis obſtare, quo minus in ſalutem ejus vaſtus globus ſolaris a Deo dicij queat productus, cum non ſolum excellentiſſima corporis humani machina majorem ſui, quam Sol, admirationem mereatur, ſed & anima ejus rationalis nobilitate multa millia maſſarum materiæ brutæ ſuperet, quinimo terram & hominem a Sole alios inter fines illuminari, graviſſimum Scripturæ Sacræ teſtimonium perhibeat. Minus denique reverentiæ exhiberi Deo, quando hunc tanquam virum ſuperbum ab adverſariis conſiderari Carteſius cenſet; quoniam uti humilitas virtus ſolum hominis nullum inter attributa divina locum invenit, ita nec ſuperbia in hominem ſolum cadens de Deo omnis vitii experte, e contrario laude omni digniſſimo, prædicari ulla valet, etiamſi præter alios ſcopos propriam deſignaverit gloriã, & ab hominibus ut propter opera ſua celebretur efflagitaverit. Strenue ſic Carteſio, quem plurimi alias facit, nec cum aliis Atheiſmi inſimulat, oppugnato, ut ne finium in Phyſica conſideratione repudiata, unum ex optimis argumentis Dei exiſtentiam perſuadentibus negligatur, ad *ſecundam* delabitur *quæſtionem: utrum fines in ſingulis corporibus, an aliquibo ſaltẽ peculiari ratione efformatis ſint penſitandi?* Latius hic & curioſius corpora & inanimata, & animata, nonnunquã Epicuro quoq; obviã eundo, percurrens, in quantũ finiũ contemplationi apta deprehenduntur, cogitatorum tandem ſummã tribus effert propoſitionibus: (1) a finibus & uſibus partium corporum viventium argumenta Phyſico, ad cautelas Sect. 4. annotatas attendendo, licere deſumere: (2) corpora inanimata terreſtria a principio ſeminali haud oriunda, textura parabiliori, ſi ita loqui licet, gaudere, v. g. terram, liquorem, ſilices, &c. adeoque parum fidei ratiocinationibus petitis ab eorundem finibus ſuppoſitis conciliare: (3) corpora cœleſtia immenſitatis ſuæ ac (terra quieſcente) motus celerrimi ratione, affatim Dei decantare potentiam

& providentiam, utpote per tot annorum decursum, in rapidissimo adeo motu vix conceptibili, sine destructione mutua vel regularitatis ulla jactura ab eo conservata. Et quamvis non absurde tradi concedat, alios inter Solis & stellarum usus hominis commodum designatum fuisse, dubitat nihilominus, an ex nuda corporum horum eorumque motus contemplatione argumentum æque cogens, solum vel primarium stellarum finem esse ostendens, illuminare terram ac beneficiis creaturas supra hanc degentes afficere, valeat necti, ac causæ quidem finales ex animalium structura elici queunt. Supposuit siquidem hactenus, Physicorum rationes physicis insistere debere fundamentis; alias si Scriptura Sacra in subsidium una vocanda, circa fines Dei plura licere absque hæsitantia eloqui, quam si sola adhibeatur Philosophia, ultro fatetur, multis Scripturæ locis, quæ ideo adducit, id edoctus. Verum *Quæstioni tertiæ: an & quo in sensu corporibus non intelligentibus pariter atque inanimatis actio propter finem debeat attribui?* ut satisfaciat, quia ad operationem ejusmodi cognitio, qua tamen destituuntur, necessaria videtur; duplicem perpendere jubet rationem, qua corpora propter finem operari queunt dici; etenim vel agentia finem cognoscere ac ejus gratia cum intentione agere, exemplo hominis scopum sagitta petentis; vel actionem agentis proximi revera ita dirigi ac decet, quando finis attingendus est, etiamsi hic ab agente proximo neque noscatur, neque intendatur, sed solum ab agente remoto, tanquam intelligente. Atque hoc posteriori sensu, actionem propter finem de corporibus intellectu & vita destitutis enunciari quidem posse innuit, improprie tamen, cum actio intelligenti potius causæ, etiamsi remotæ, quâ agenti immediato instrumenti solum vices gerenti, videatur esse assignanda; quod quemadmodū fieri possit absq; eo, ut miraculis vis inferatur, legum motus a supremo Numine primū præscriptarū ope enucleare laborat, multa digressionis loco, quibus mundū corporeum propter hominem esse productum confirmari valet, subjungens. Tandem *quartam Quæstionem: qua circumspectione fines a Physico ponderandi sint?* quinque evolvit propositionibus, ita tamen ut prius duplicis generis ratiocinia a finibus depromta, Theologico-Physica videlicet sive Metaphysica, & Physica simpliciter, haud confundenda esse admoneat, quorum hæc affirmativa æque ac negativa


negativa peculiari rerum naturæ superstruantur, quatenus affectionem aliquam corpori animali vel ejus parti concedendam esse aut denegandam ideo colligitur, quia per eam potius, quam per aliam finis a Natura præfixus obtineri commode vel non obtineri valeat; illa vero sive Metaphysica adsummum Naturæ Autorem referantur, in quantum hic generales fines in rebus corporeis sibi proposuisse supponitur, quemadmodum a manifesto partium oculos constituentium usu, quo ad functionem visus præstandam fruuntur, oculos a sapientissimo Ente visus gratia factos fuisse infertur. (1) Quantum corpora cœlestia in genere concernit, non tutum videri a suppositis horum finibus particularibus, ad minimum ab humanis Autori Naturæ in constitutione eorum præfixis, ad naturam eorundem argumentari. (2) In animalibus corporibus sæpius licere Physicis a partium usibus manifestis & appositis fines quosdam particulares a natura destinatos concludere, ac nonnullis in casibus a natura cognita pariter atque a structura partium, harum officia specialia tum affirmative, tum negative, conjici posse. (3) Rationi favere conclusionem, quæ a manifesta quarundam rerum aptitudine, qua ad cosmicos vel animales fines sive usus gaudent, quod ad eosdem omnino ab Agente Intelligenti fuerint ordinatæ, nectitur. (4) Haud præcipitanter nec nimis positive inferendū, hoc vel illud esse debere vel esse particularem rei usum destinatum, sive causam, quæ Autorem Naturæ, ut hac præcise extruxerit ratione, commoverit. (5) Enitendum denique Physico esse, ne fines rerum Naturæ inquirendo aut detegendo, studiosam causarum earundem efficientium indagationem parvi pendat vel negligat. Quæ enunciationes equidem singulæ operose & accurate deducuntur; omnia tamen huc transcribere cum ab instituto nostro videatur alienum, ad lustrandas Observationes annexas properamus. Harum numero quatuordecim, varias visus læsiones & depravationes exhibentium, aliæ solum nonnunquam colorem album discerni posse, ut 1 & 2; aliæ album & nigrum interdum, neutiquam tamen reliquos colores probe invicem valere distingui, ut 11 & 12, ostendunt. Observatio 3. sistit quendam in obscuriori tantum loco legere valentem, eo quod oculi ejus post cataractas, quoad notabilem pupillarum partem, membranulis veluti laceratis tegerentur. Observatione 4 duæ cataractæ in uno oculo ictum violentiorem


inſequentes delineantur. Obſervatione 5. objecta nonnulla, v. g. paxillos, ad certam nonnunquam diſtantiam obſcura videri & duplicia, indigitatur. Obſervatione 6. viſum a cataractis diu ſæpius impediri poſſe absque eo, ut nervus opticus una lædatur, traditur. Obſ. 7. oculorum alterutro amiſſo, in rerum ſitu & diſtantia dijudicandis ſæpius aberrari monſtratur, argumento perſpicuo, oculum alias utrumque, ſi objectum aliquod aſpiciatur, ab eodem affici. Obſervatione 8. multum diſtendi poſſe oculorum partes, viſu nihilominus ſalvo, ſubinnuitur. Obſerv. 9. pupillis oculorum exiſtentibus anguſtioribus, tempore diurno obſcurius & difficilius, quam poſt Solis occaſum vel durante crepuſculo, peragi viſum annotatur. Obſerv. 10. mentio ſplendoris ſive corruſcationis oculorum injicitur. Obſervatione 13. oculorum altero convulſo, res albas comparuiſſe virides, neque non literas duplices, commemoratur. Nimiam deniq; retinæ, vel principalis viſionis partis teneritatem multum homini afferre incommodi Obſ. 14. & ultima edocet.

EXCERPTA EX VIRI CLARISSIMI, DIONYſii Papini, Mathematum in Academia Marpurgenſi Profeſſoris Publici, litteris ad ---- de Novo Pulveris Pyrii uſu.

NObile certe ac generoſo pectore dignum molimen eſt, vim pulveris pyrii ad commoda & utilitates hominum referre: quum hactenus nil niſi excidia, necem ac ruinas propemodum intulerit. Propoſitio itaque in *Novellis Batavis menſe Majo 1687* in hunc finem edita, non potuit quin Sereniſſimo Principi Haſſiæ Landgravio plurimum arrideret: adeo ut dignata fuerit Celſitudo ſua, dum Caſſellis nuper commorarer, de hoc argumento mecum diſſerere. Quoniam vero oculatiſſimo Principi perſpectum eſt, quot & quantas difficultates offendant, quicunque nova aliqua inventa ad praxin primi reducere ſatagunt; in primis ſi machinæ partes exacte convenire & ſibi invicem affabre coaptari neceſſe ſit: non viſum eſt Sereniſſimæ Celſitudini, prægrandes in principio conſtruendas eſſe machinas; ſatius vero fore judicavit, ſi parva primum ſpecimina ederentur, unde præcepta ad majores deinde machinas confi-

TAB. X. *ad A. 1688. pag. 498.*





conficiendas hauriri possent: ut sic gradatim ad perfectionem inventum perduceretur, sumtusque ac præcipue temporis quam minimum fieret dispendium. A talibus igitur præscriptis cavi ne deflecterem, machinamque construxi, quæ quoniam exigua, non equidem tantos producit effectus, quantos præstabat altera illa in iisdem Novellis memorata, quæ Domino Colberto ostensa fuit: verum tamen satis ex nostro specimine dijudicari potest, quid sit ex hoc invento expectandum, dum machinæ grandiores fient: atque insuper, quoad constructionem, novas aliquas perfectiones non contemnendas obtinet hæc nostra machinula. Quapropter non abs re fore existimo, si litterato orbi communicetur, quo plures in variis regionibus ad inventum illud perficiendum excitentur, promptiorque inde publico emergat utilitas. Sic igitur rem expono. AA est tubus ubiq; æqualis, cujus altitudo est 16; diameter 5 digitorum. BB pistillum huic tubo exacte adaptatũ, cujus altitudo est 2 ferme dig. C C tubus superiori pistilli parti adferruminatus, cujus altitudo est 4 circiter digitorum; diameter vero ferme æqualis diametro pistilli, quo possit liberior flammæ hac erupturæ patere exitus. DDDD foramen in medio pistilli ipsum perforans secundum longitudinem: hujus foraminis diameter ea esse debet, ut flamma per ipsum transitura, viam inveniat circiter æque patentem, ac inter duos tubos CC, FF. EE valva huic foramini imposita, cujus diameter ea esse debet, ut foramen exacte occludat, & nihil amplius. FF tubus ex metallo levi confectus, tres digitos altus, superiori valvæ E E superficiei affixus, eandemque fere habens diametrum: hujus usus est occupare partem tubi C C, ut flamma reliquum occupante, dictus tubus CC tempore operationis ab aere maneat vacuus, atque ita minus sit periculi, ne quis aer irrumpat per foramen DDDD, antequam a valva occludatur. GG tubulus utrinque apertus, diametri & altitudinis 13 linearum: tubulus ille fundum antliæ AA penetrat, ipsique agglutinatus est. HP duo vascula metallica eidem fundo adferruminata, quorum interius P longitudinem habet 12, diametrum vero 9 linearum; exterioris vero H longitudo est 6, diameter 18 linearum: interius continendo pulveri; exterius vero continendæ aquæ dicatum est. Quo possit ejusmodi machina exerceri, sustentaculo alicui li- Tab. X. Fig. 1.

 gneo

gneo inſerenda eſt, (illius vero figuram hic non exhibeo, quoniam facile poteſt concipi, varieque etiam effingi debet, pro variis uſibus in quos vim illam adhibere animus erit) aliqua deinde particella fomitis accenſi cum 15 granis pulveris pyrii vaſculo P immittenda erit, dictumque vaſculum in tubum G G intromittendum: hujus autem tubi diameter quum media ſit inter vaſcula P & H, poterit dictus tubus inter utrumque vaſculum admitti usque ad fundum commune, quod fundum munitum corio & aqua, in vaſe exteriori H contenta, dictum tubum G G exactiſſime obturabit: adeo ut nullus ſit metuendi locus, ne quicquam aeris per foramen illud ingredi poſſit. Ne vero fundum illud pondere ſuo decidat, adhibetur vectis N O, qui mobilis circa axem in M, pondusque habens extremitati N appenſum, altero ſui extremo ſurſum verſus premat neceſſe eſt, dictumque fundum retineat: fomes ſic incluſus brevi temporis ſpatio usque ad pulverem pyrium comburitur, ipſumque accendit: flamma inde producta totam tubi A A cavitatem replet, atque ita per foramen D D D D, in piſtillo ad id excavatum, aer ſubito expellitur: valva enim E E foramini impoſita facillime attollitur, exitumque permittit: tubus etiam C C flamma itidem repletur, ea ſaltem ipſius pars quæ non occupatur a tubo F F; ac proinde aer externus ex toto illo ſpatio expellitur, neque poteſt per foramen D D D D iterum ingredi, quin prius ex tota altitudine tubi C C deſcendat: quoniam vero valva E E & tubus F F ad parvam tantum altitudinem attolluntur, & parvi ſunt ponderis, velociſſime ab incumbente aere deprimi debent; adeo ut veriſimile ſit, occludi foramen D D D D, antequam aer externus per illud queat irrumpere: nihilominus tamen experientia comprobatum eſt, tubum A A aere non prorſus evacuatum reperiri, ſed in eo remanere quintam circiter partem aeris, quem continere ſolet: ſubductoque calculo comperi, quintam illam aeris partem ſat eſſe ad efficiendum, ut machina effectum producat ſolum modo ſubduplum ejus, quem produceret, ſi tubus A A eſſet perfecte evacuatus: nihilominus tamen quum aer infra piſtillum B B ſit eo usque rarefactus; aer vero externus ſolita ſua gravitate deſuper incumbat: magna vi deorſum truditur dictum piſtillum, funemque ſibi annexum trahens, pondus ingens alteri funis extremo appenſum, mediantibus trochleis T T, in altum attollit: atque initio quidem poſſet illa vis reſiſtentiam ducen-

ducentarum & amplius librarum ſuperare, ſed deſcendente piſtillo gradatim minuitur, adeo ut compenſatione facta totus effectus poſſit æſtimari circiter 150 librarum, ad altitudinem unius pedis aſcendentium: quod quidem proportionalitate obſervata decuplum eſt ejus, quod aſcribitur machinæ in ſupra citatis Novellis memoratæ, in qua ſemuncia pulveris quindecim tantum libras ad altitudinem ſedecim pedum evehit.

Alteram etiam machinam, in iisdem Novellis laudatam, Dominoque Colberto oſtenſam, noſtræ hic deſcriptæ poſtponendam exiſtimo. Dominus enim Hugenius dictæ machinæ inventor, propter difficultates, quæ occurrunt in confieiendis ingentibus tubis æreis, laminas tantum ferreas ſtanno obductas adhibuit, tubumque ex his confectum gypſo intus obducendum curavit, donec cavitas lævis eſſet & æqualis per totam longitudinem: quum autem gypſum multis poris amplis ſit refertum, aer per ſuperiorem partem dictos poros ſubibat, partemque ſpatii vacui replebat, unde machinæ effectus plurimum minuebatur; tubus vero quem nunc adhibui, ex lamina ærea aeri impervia confectus eſt methodo quadam, quæ in prægrandibus etiam tubis conficiendis feliciter poſſet adhiberi. Præterea, machinæ meæ valva citiſſime atque exactiſſime occluditur: adeo ut omnis ingreſſuro aeri ex hac parte aditus intercludi debeat; in machina autem Domino Colberto exhibita, flamma pulveris aerem expellebat, per duos tubos lateribus magni tubi verſus ſummitatem adferruminatos, atque hiſce tubis ex metallo conflatis illigati erant duo tubi coreacei madefacti, qui erumpente aere extendebantur, ſtatimque extincta flamma iterum concidebant, & tuborũ metallicorum orificia obturabant: id autem neque tam cito neque tam exacte fieri poterat, ac per valvam noſtram perficitur. Tertia mutatio non contemnenda, qua fabricam hujus machinæ reddidi perfectiorem, in inferiori parte conſiſtit, qua introducitur pulvis: in priori enim machina locus ille cochlea erat munitus, & firmabatur ratione quadam, quæ plurimum temporis requirebat, unde non parum erat periculi, ne cito nimium accenderetur pulvis, atque effectus fruſtraretur; qua ratione vero rem nunc exequor, tam facile repeti poteſt operatio machinæ, ac vulgaris ſclopeti exploſio iteratur.

Quoniam vero machina illa Domino Colberto oblata, in nullis

nullis litteratorum Ephemeridibus, quæ talia argumenta tractant, hactenus edita est: facile quis existimet, me nullo fundamento nixum, omnia hæc temere proferre de dicta machina. Lectores igitur monendos hic arbitror, mihi tunc temporis id honoris obtigisse, ut in regia Bibliotheca apud Illustrissimum Dominum Hugenium degerem, ipsique ad ejusmodi molimina meam præstarem operam: ipse ego experimentum coram Domino Colberto instituí: ac proinde nequaquam dubitandum est, quin mihi penitissime cognita sit dicta machina. Spero igitur fore, ut ex supradictis liquido satis constet, inventum hoc duobus tribusve tentaminibus eo perfectionis jam devenisse, ut brevi insignes inde utilitates expectare liceat; modo a viris re lauta & sagacitate præditis sedulo promoveatur. Id autem primum omnium curandum existimem, ut erigatur opificium aliquod ejusmodi suppellectili instructum, ut prægrandes, parvi ponderis, & ubique æquales tubi facili negotio conficiantur: rem sine ingenti aut admodum intricato apparatu perfici posse, fere pro certo habeo, pretiumque operæ futurum esse maximum, quoniam utilitates ex ejusmodi tubis non solum ad hasce nostras machinas emergerent; verum etiam ad alia non contemnenda, quæ in posterum publico examini, si hæc benigne accipiantur, libentissime subjiciam.

* * *

Ex ingenioso, Lector Benevole, *quod modo verbis ipsius* Papini *descripsimus, invento statim redundat* novus usus antliæ pneumaticæ. *Pulvis enim pyrius in supra delineata machina nullo alio modo effectum promovet, quam aerem infra pistillum contentum rarefaciendo; tota vero vis attollens pondus ex atmosphæræ pressione deducenda venit. Hinc si construatur Cylindrus A B Papiniano plane similis, ita ut tubulus C D inferius prominens cochleam habeat, mediante qua conjungi possit cum antlia pneumatica; pistillum vero E F, cui connexus funis, qui mediantibus trochleis G & H pondus K sustinet, exacte cylindrum repleat: unius hominis non magna opera, quanta scilicet ad exercendam antliam requiritur, ingens pondus attolli poterit, eoque semper majus, quo major est diameter pistilli, cui atmosphæra incumbit. Quem usum machinæ pneumaticæ, cum ab aliis observatum fuisse nobis non constet, hac occasione obiter innuendum duximus.*

Tab. X. Fig. 2.

SCHE-

SCHEDIASMATA SACRA, SEU EXERCITATIONUM Singularium Liber. Autore JOHANNE FECHTIO, *SS. Theol. Lic. March. Badensis Consil. Ecclesiastico, Conc. Aul. & Prof. P. Ordinario.*

Francofurti & Spiræ apud Christoph. Olffen. 1688, in 8.

Quam egregia Clarissimi Autoris in rem literariam extent merita, non obscuris indiciis intelligitur cum ex primo Exercitationum ejus Tomo, qui *Noctium Christianarum* nomine insignitur, tum ex *Epistolarum ad Marbachios* thesauro maxime, qui ejus unice opera & beneficio, ceu in *Actis A. 1684. p. 287 seqq.* memoravimus, lucem publicam adspexit; nec non ex ejusdem de *Statu damnatorum* docto ac in Actis A. 1685 p. 179 recensito opere. Neque leve nunc laudis argumentum lectori candido suppeditatur præsenti hoc *Exercitationum Singularium* Volumine. Quibus quidem conscribendis occasionem præbuerunt publica disputandi colloquendique Exercitia, quæ legum autoritate motus cum studiosis Theologiæ, & Ministerii Candidatis Autor instituit. Præfatio ad Lectorem, expositis Schediasmatum singulorum argumentis, dictas modo Noctes Christianas etiam adversus *Anabaptistæ Larvati* autorem vindicat, & perspicuis simul rationibus ostendit absurditatem Calviniani dogmatis de Decreto Prædestinationis absoluto.

Quatuor autem Exercitationes libellus integer complectitur. *Prima* de Resurrectione carnis non alia ratione disserit, quam quatenus ex naturali rationis lumine illa nobis innotescit. Præstructa igitur distinctione, quæ probabilem notitiam removet ab apodictica, statuit Autor, *utique homini solis suæ rationis viribus nitenti, futuram carnis nostræ resurrectionem eousque verisimillimam reddi posse, ut quid jure excipiat, cur veritati refragetur, nisi argumentorum virtuti obicem ponere malitiose velit, vix sit inventurus.* Quam sententiam, utut recedere a communi, primoque adspectu singularitatis nomine suspecta videatur, communi tamen utiliorem, commodioremque convincendis & expugnandis seculi nostri atheis, id est, Dei mysteriorumque divinorum contemtoribus existimat. In explorando & dijudicando argumentorum, quibus suadetur ea, robo-

pag. 39. 422.

re ſic verſatur, ut ab infirmioribus ad ſolidiora atque firmiora pedem proferat. Et primo quidem loco disquirendum ducit, quid pag. 41. Gentilium *Ritus*, circa tractanda vel honoranda, aut aſſervanda de- 423. mortuorum corpora uſitati, hac in cauſa valeant. Deinde vim expoſiturus, qua polleant *Exequiæ* ritusque in illis obſervati, de hoſtiis mactatis, de conviviis funebribus, de ferculis rogo impoſitis, de ornamentis defunctorum agit aliquanto prolixius. Porro ubi evol- 84. vit, quid valoris *Inſcriptionibus* Gentilium ſepulchralibus tribuendum; & Philippi Camerarii ſententia expenditur, fidei hujus probandæ cauſa ad inſcriptiones aliquot provocantis. Hinc, quid ipſa defunctorũ poſt mortem *Conditio*, paganis credita, præſtare valeat, docetur; quo capite & de inferis, de campis Elyſiis, de præmiis mor- 144 tuorum & pœnis, nec non de ipſo infernali igne, quem Chriſtiana fides tenet, an corporeus ſit nec ne, utrum agere in animam eam- 161. que affligere poſſit, uberius actum legas. Rurſus *Exempla* eorum contemplaturus, qui in vitam aliquando revocati perhibentur, primum ea producit, quorum fit in Poetis gentilibus mentio: fabulam ſcilicet Arcadis vel Nyctimi, Caſtoris & Pollucis, Herculis, Alceſtidis, Proteſilai, Euridices, Æſculapii, Glauci, Hippolyti, Pelopis: quidve in ſingulis ἱστορικὸν, quid μυθικὸν habeatur, exponit erudite. His ſubjiciuntur Apulejo, Plinio, Athenæo, Plutarcho aliisque Hiſtoricis Gentilibus memorata: Cleomedis nempe Aſtypalæi, Hermotimi Clazomenii, Romuli, Æſopi, Epimenidis, Ariſteæ Proconneſii, Eris Armenii, fœminæ ab Empedocle, & puellæ abs Apollonio Thyanæo reſuſcitatæ, Antylli, Theſpeſii, Palicorum, Timonis, Lydi, Timoſthenis, & ſimilium. Cumque poſitionibus diſtinctis definiiſſet, an & quo robore concludi ex adductis pro reſurrectione poſſit, ad defunctorum *Manes* etiam progreditur, 285. quidve ex iis vel ſponte ad ſuos regreſſis, vel artibus quibusdam e- 308. vocatis, pro evincenda reſurrectionis ſpe ſequatur, examinat. Agmen exemplorum claudunt Sacra, & juſto ordine ex hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſeculis depromta. Quorum inductione perfecta, diſtinctæ rurſus aſſertiones declarant, quantum & his ad fidem reſurrectioni con- 418. ſeqq. ciliandam ſubſit ponderis.

Secundæ Exercitationis argumentum voluit eſſe Carnis Chriſti Omnipræſentiam, quatenus ex naturali ratione vel oppugnatur ea, vel

ea, vel defenditur. In cujus procœmio Autor meminit, oblatũ a Collega ſibi fuiſſe libellum manuſcriptũ ſuperiori ſeculo, qui primo oculis legentiũ objecerit Diſcurſum, unioni divinæ atq; humanæ in Chriſto pag. 446 naturæ perſonali, & profluenti inde Idiomatũ, præſertim omnipræſentiæ communicationi oppoſitum: & rurſus alium, argumenta in priori adducta ex iisdem Philoſophiæ, quam laudarat prior, fundamentis refellentem. Illum autorem prætuliſſe titulo, *Jacobum Scheckium* D. Tubingenſem; hunc *Joh. Ludovicum Havenreuterum*, Profeſſorem Argentoratenſem. Poſtquam igitur autorum dictorum vitas, ſcribendi occaſionem, & argumentum ipſum curatius expoſuiſſet noſter, Diſcurſus illos integros cum ſubjectis notis addit, docetque inter alia, Scheckium, quamvis initio viſus fuerit dogma Lutheranorum oppugnare, meliora tamen poſtea edoctum ſerio egiſſe pœnitentiam, & Calvinianorum fraudes agnoviſſe, ætateque jam confectum contendiſſe a Theologis, ut ſuo reſipiſcentis nomine Calvinianam hæreſin refutarent: idque Jacobum Andreæ in ſolida Refutatione Compilationis Cinglianæ etiam præſtitiſſe. Unde liquido apparet, quam temere nobis Lutheranam fidem profeſſis, *Ho-* 473. *ſpinianus*, *Wendelinus*, & alii in ſuis ſcriptis Scheckium opponant. 483.

Exercitationum *tertia* delineationem complectitur doctrinæ de Sabbatho, ex confeſſione Auguſtana, libriſque cæteris Symbolicis repetitam. Defendendum hic ſumſit Autor, *Hebdomadale Chri-* 608. *ſtianorum ſabbathum, nec quoad diem, nec quoad diei otium, vocari morale ulla ratione poſſe aut debere, ſed eſſe in ſe ritum mere adiaphorum atque liberum.* Morale interim præcepti tertii relinqui, quod ali- 623. quo tempore, quodcunque etiam illud ſit, ad ſacra publica coire oporteat, in iisque Deum & res divinas docendo, diſcendo, atque celebrando, cultum Deo ſpiritualem præſtare, idque facere ut poſſis, tantisper donec ſacra peracta fuerint, ab ordinariis laboribus quieſcere. Quod placitum non ſolum cum tertio decalogi præcepto, ejusque ſenſu vero, a Luthero in minore pariter ac majori Catecheſi declarato, putat optime conſiſtere; verum unanimi etiam 667. ſqq. & conſtanti conſenſu ab antiquis Eccleſiæ Lutheranæ Doctoribus plerisque omnibus, traditum fuiſſe & defenſum. Sub finem diſſertationis monet denique, doctrinam hanc de Sabbathi hebdomadalis ἀδιαφορίᾳ, neque truncare uno præcepto decalogum, neque infir-

mis præbere offendiculum, neque ad variorum in Sabbatho laborum licentiam, ejusque profanationem aperire viam, neque sufflaminare ulla ratione pietatis studium, aut festorum devotionem imminuere.

Ultima denique Exercitatio JOHANNIS GEBHARDI Theologi & Antistitis Rötelensis vitam exhibet, luculenta & diserta Oratione descriptam eo fine, ut hæc tam exquisiti Theologi imago, incitamento quam plurimis esse possit similem vel in animo eruditionem, vel in vita innocentiam, vel in officio industriam omni conatu, omni ardore adipiscendi. Annexæ huic leguntur ejusdem Gebhardi *Assertiones de Socero Mosis*, & *Quæstiones de Apostolorum Concilio*. In fine operis habentur non *Exercitationum* modo & *Autorum*, qui vel notati hic leguntur, vel laudati, vel correcti; verum etiam *dictorum* Scripturæ explicatorum, atque *rerum* accurati indices.

HISTOIRE DE SIAM NATURELLE ET Politique &c.

Historia naturalis & politica Regni Siam in quatuor partes divisa, in quarum prima de situ & natura regionis; secunda de legibus & moribus incolarum; tertia de religione; quarta de Rege qui nunc rerum potitur, ejusque aula & familia tractatur.

Lutetiæ, apud Claudium Barbinum, 1688, in 4.

INclarescit indies nationis Siamicæ parum antehac notæ celebritas, postquam Christianissimi Galliarum Regis magna ad illã promovendam propensio, factæque impensæ, multos scriptores ad res illius tradendas excitarunt. Videbamur plus satis Actis nostris anno 1687 pag. 107 seqq. & hujus anni p. 6 & sqq. de illis inseruisse, dum Legationem *Dom. de Chaumont*, & Itinera Jesuitarum recensuimus. Hæsimus itaque in referenda Autoris hujus, qui se in præfatione *Nicolaum Gervasiũ* vocat, historia, tædium veriti; unde etiã factum est, ut enarrationẽ uberiorẽ Diarii ab *Abbate de Choisy*, qui Chaumontio inter primarios in illa Legatione adfuit, A. 1687 editi, omiserimus.

Cum

Cum vero Gervasius non solum librum hunc suum dignum æstimaverit, quem Regi inscriberet, sed & is qui præloquium addidit, profiteatur, nihil in hoc opere reperiri, quod in præcedentibus relationibus exhibitum sit, aliquam ejus notitiam lectoribus invidere noluimus. Contenta & partes libri summatim indicat ipse titulus. Commendat autem autorem simplicitas styli, & narrationis verisimilitudo, ab experientia quam per annos quatuor, quibus in Regno illo vixit, ex conversatione & linguæ peritia, postea etiam Lutetiæ, ex familiari cum Legatis Siamensibus colloquio acquisivisse perhibetur. An vero omnia hujus libri, ut præfatio promittit, prioribus scriptoribus indicta manserint, diligenti collatione explorandum esset, quam nostri laboris & instituti constat non esse. Præmittitur elegans tabula Geographica Regni Siamici & adjacentium, eorum maxime, quæ illi tributum pendunt. De nomine *Siam* notatur, quod indigenis plane ignotum sit, qui patriam suam fastu, ut videtur, barbarico non nisi generalibus vocabulis appellant, quæ regnum potens & magnum significant, quamvis etiam a vicinis vincatur. Idem observamus in urbis Regiæ nomine, quam non nisi excellentem aut mirandam, ut itineris Jesuitici scriptor Tachardus memorat, vocare solent; Gervasius tamen Sijuthiam ab incolis nominari refert, unde peregrini *Juthiæ* & *Odiæ*, fortasse & regni nomen *Siam* fecerint. Ex natura & moribus gentis notabilis est, quanquam orientalibus illis non insuetus, animus ad servitutem abjectissimus, qui omnes stimulos ad libertatem & cultum vitæ perdidit, cui consequens est summa victus tenuitas, & voluptatum ignorantia aut neglectus, cum inertia ad quærendas opes, quarum tamen augmenta multæ dotes naturæ, quibus regio illa locupletata est, facile præberent. Ita animati & assuefacti, dimidiam anni partem in operis Regi præstandis consumunt. Cæteri ejus reditus ex portoriis & vectigalibus capiuntur, quæ omnibus mercibus & proventibus, sola oryza, quæ frumenti & panis locum habet, excepta, imponuntur. Quæ de religione gentis Autor tradit, lectu omnino digna sunt. Ens supremum ab illis agnosci non negat, sed tale, quod nihil operetur: creata enim omnia fortuito & ab æterno coaluisse autumant, quæ per intelligentias, non spirituales modo, sed & aliquatenus corporeas & sexu distinctas regantur. Animabus

autem hominum non modo transitum in plurima corpora, & prout merentur nobiliora, verum etiam divinitatem pro præmio statuunt, ita tamen, ut illum in gradum evectus, denuo in corpus aliquod humanum illapsus miracula insignia edat, & religionem ac leges populum doceat, quo præstito ad æternam beatitudinem omni cura vacuam rediturus. Sed pleraque talia a Tachardo aliisque annotata sunt, ut vel in excerptis nostris d. l. p. 112. videre licet. Regi tamen & proceribus subtilem istam Theologiam tribuit Autor, cum plebs ex quodam *Sommonokodomo* Deum fecerit & colat, quem sapientiores hominem fuisse, sed sapientem & magnũ non diffitentur. Sacerdotum, quos *Talapoinos* vocant, magnus, & pro populi in regionibus vastis & pene desertis numero mediocri nimius est: disciplina olim quam nunc melior, ita ut populari quodam omine & desiderio, reformatio instare credatur. Insciticæ suæ pœnas Regi qui nunc imperat, dederunt, cum linguæ veteris, cui in sacris usus est, & in cujus notitia maxima illorum sapientiæ pars consistit, ignari deprehenderentur. Sic plurimi ex illis ad servilem conditionem & semestres operas redacti sunt, quarum alias immunes habentur & ex stipe quotidiana vivunt. Leges sive præcepta morum duplicis generis prædicant. Alia mentibus hominum veluti inscripta esse agnoscunt, quæ fere cum Decalogo conveniunt; alia magno numero Divo illi suo accepta ferunt, in quibus esse dicuntur, quæ Evangelicam perfectionem repræsentant, & conjecturam suggerunt, majores gentis Christianæ religionis axiomatibus imbutos fuisse. Quanquam vero Autor nihil certi ea de re pronuntiat; constat tamen, Jesuitas ex India post Xaverii mortem in regiones illas penetrasse. Successerunt *Missionarii*, quos vocant, alii & qualemcunque notitiam Christianismi, cœtusque quosdam plantarunt, neque tamen tales, qui frequentiæ populi, barbaris & inveteratis opinionibus præoccupati, respondeant. Laudatur interim Regis, qui nunc vivit, magnus in Christianos favor, quanquam omnibus religionibus & sectis, propter commerciorum utilitatem, licentiam indulgeat, & populus illam pro stupore suo haud difficulter ferat. *Constantius* ille, cognomento Phaulkon vel Falco, quo intimiori rerum & consiliorum administro Rex utitur, (ut hoc ex Tachardo repetamus) natione Græcus, est, ex *Cephalenia* Venetorum insula, qui mercaturæ causa

causa in Angliam, & inde in Regnum *Siamicum* delatus, summum Regis favorem meruit, retenta religionis libertate, qua ita pro temporum ratione usus est, ut a Græca ad Reformatam, cum in Britannia versaretur, & postea suasu Jesuitarum ad Romanam transierit. Ex ultima historiæ parte, de Rege & aula multa haud injucunda annotari possent. Nomen Regis, quod & alii observarunt, dum vivit, nemini scire aut enunciare fas est. *Chãou* vocant, i.e. Regem, & epitheta magnifica addunt: hunc tamen, qui jam regnat, *Narate* nominari, idque familiariter se indagasse Autor memorat. Ex illo reliqua, qui volunt, petere possunt.

LIBRI NOVI.

Ungria Restaurada. Con 44 laminas. en Barcelona, 1688, in 4.

Jo. Ciampini, Magistri Brevium Gratiæ ac in utraque Signatura Referendarii, Conjecturæ de perpetuo Azymorum usu in Ecclesia Latina vel saltem Romana. Romæ, 1688. in 4.

The Council of Trent examined and disprov'd by Catholick Tradition &c. by Dr. Stillingfleet. London, 1688. in 4.

Il Clero Secolare nel suo splendore, overo della vita comune clericale Trattato di Pompeo Sarnelli. In Roma, 1688. in 4.

Histoire de Louis XII, par Mr. Varillas. A Paris, 1688 in 4.

Commentarius Caroli Patini in antiquum monumentum Marcellinæ e Græcia nuper allatum. Patavii, 1688. in 4.

The Measure of the Earth: bein an Account of several Observations made for that Purpose by divers members of de Royal Academy of sciences at Paris. Translated out of the French by Richard VValler. London, 1688. in fol.

Traité des Statues. A Paris, 1688. in 12.

Histoire de l' Empriſonnement de Charles IV Duc de Lorraine, detenu par les Espagnols dans le chateau de Tolede. 1688. in 12.

La Morale de Confucius, Philosophe de la Chine. A Amsterdam, 1688. 12.

Presages de la Decadence des Empires. 1688. in 12.

Relation de l' Inquisition de Goa. A Paris, 1688 in 12.

Questions Theologiques de la Madame Henriette de Guiche, Princesse d' Angoulême, avec les reponses de Mr. Pontier. A Paris 1688. in 12.

Traitẽ du Droit de la Guerre & de la Paix, composé par Hugo Grotius. Traduit par Mr. le Courtin. A Amsterdam, 1688. in 12.

Sentiments Des-interessés sur la Retraite des Pasteurs de France, ou Examen d' un

d'un livre, qui a pour titre: *Hiſtoire & Apologie de la Retraite des Paſteurs, à cauſe de la perſecution de France.* A Deventer 1688. in 12.

Defenſe de l'Apologie pour les Paſteurs de France, contre le livre intitulé: *Sentimens Deſintereſſez ſur la Retraite des Paſteurs &c.* A Francfort. 1688. in 12.

La vie de M. Hale, Grand Juſticier d'Angleterre, traduite de l'Anglois de M. Burnet. A Amſterdam, 1688. in 12.

Poeſies Paſtorales, avec un Traité ſur la Nature de l'Eglogue &c. par Mr. de Fontenelle. A la Haye, 1688. in 12.

Hiſtoire de l'Academie Francoiſe, avec un Abregé des vies du Cardinal de Richelieu, Vaugelas, Corneille, Ablancourt, Mezeray &c. A la Haye, 1688. in 12.

Stephani Broderici Narratio de Prœlio quo ad Mohazium A. 1526 Ludovicus Hungariæ Rex periit; cum Commentario Joh. Caſpari Khunii. Argentorati, 1688. in 8.

Incunabula Typographiæ: ſive Catalogus librorum proximis ab inventione Typographiæ annis, usque ad A. 1500 in quavis lingua editorum: accurante Cornelio a Beughem. Amſtelod. 1688. in 12.

Ejusdem Bibliographia Mathematica & Artificioſa. Amſtelod. 1688. in 12.

Caſparis Sagittarii Antiquitates Ducatus Thuringici. Jenæ, 1688. in 4.

D. Joh. Bohnii Tractatus de Renunciatione & Lethalitate Vulnerum. Lipſiæ, 1688. in 8.

Samuelis Pufendorfii Epiſtolæ duæ ſuper Cenſura in Ephemeridibus Eruditorum Pariſienſibus & Bibliotheca Univerſali, de quibusdam ſuorum ſcriptorum locis lata, ad Dn. L. A. Rechenbergium. Lipſiæ, 1688. in 4.

Obiter, Lector Benevole, *indicamus, Domini* Pufendorfii *Commentariorum de Rebus Suecicis Libros XXVI, in Actis A. 1686. pag. 429 recenſitos, & hoc anno ex Latina in Germanicam linguam translatos, Lipſiæ apud* Joh. Frid. Gleditſchium *venum proſtare.*

ERRATA.

Pag. 301. lin. ult. pro *quam*, lege *quæ*. Pag. 463. lin 19. pro *ſuaſeo*, lege *ſuas eo*. Pag. 460. lin. 23. pro *Hennenberg*, legendum fuerat *Hohenberg*. Sed malumus illam conjecturam noſtram aboleri aut ſaltim ulterius expendi, poſtquam vidimus, Bertoldum illum, cui Conradus IV Imperator moriens provinciarum adminiſtrationem demandavit, & de quo Dn. Sacyo loco citato ſermo fuit, a Raynaldo etiam in Annal. Eccleſ. aliisque *Marchionem de Honebruch* appellari.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anni M DC LXXXVIII.

L' EGEO REDIVIVO, O' SIA CHOROGRAphia dell' Arcipelago &c. i. e.

Mare Ægæum redivivum, ſeu Chorographia Archipelagi, cum brevi deſcriptione Græciæ, Moreæ, Candiæ, & Cypri. Auctore Franciſco Placentia, Neapolitano, J. U. Doctore, Geographiæ Profeſſore Mutinenſi &c.

Mutinæ, apud E. Solianum, 1688, in 4.

IN Deſcriptione hac Autor, qui dum Archipelagum redivivum nobis ſiſtere conatus eſt, ipſe operi immortuus in vivis eſſe deſiit, induſtriam ſuam Lectori adeo approbatum ivit, ut quicquid ad pleniorem *Moreæ inſularumque Maris Ægæi*, quarum iconiſmos ubique præmiſſos invenies, notitiam facere, aut apud antiquiores, (Poetas præcipue) aut recentiores ſcriptores, quorum 179 allegatos numeravimus, conſignatum reperiri poſſit, in Archipelagum hunc confluxiſſe dixeris. Nec his contentus, tam propriæ peregrinationis obſervationes, quam nauclerorum famoſiorum, *Claſii* imprimis & *Almirii* Hamburgenſium, quibus exactior tractuum orientalium indagatio, Atlantibus quondam augendis inſervitura, demandata eſt, relationes paſſim interſpergit; notata ſubinde Autorum circa locorum ſitum, & diverſas appellationes, diſcrepantia: inter quos *Laurenbergii* maxime tabulas Geographicas ſæpius erroris inſimulat, utpote qui, teſte *Sponio*, in ſitu locorum collocando pag. 329. ex impetu magis quam juxta veritatem procedens, rem intricaverit

potius, quam extricaverit. Post succinctam *Græciæ* descriptionem, primum *Moreæ* delineatio se objicit, appellatione ejus, post pag. 6. complures alias, vel a *Mauris*, qui eam diu tenuerint, vel a folii *mori* forma accersita, subjunctaque divisione in 8 provincias, 23 promontoria, & 16 sinus, inter quos sinum *Patracicum*, hodie etiam *A-* 14. *steriacum* dictum, continuæ fere procellæ navigantibus formidabilem reddunt. *Venetorum* quoque gesta recensentur, (inter quæ famosus ille murus inter sinum *Corinthiacum* & *Saronicum*, 36000 operariis adhibitis per 6 milliaria ductus, & 136 turribus distinctus eminet) & quomodo A. 1538 Turcis succedentibus cedendum sibi duxerint; non omissis, quæ circa proximam locorum olim amissorū recuperationem contigerunt; ubi simul *Mainotarum* circa promonto- 33. rium *Matapan*, olim *Tænarium*, inter montana habitantium, & præter 36. arcus vel sclopeta, quibus libertatem tuentur, nihil possidentium mentio injicitur. De *Isthmi* etiam *Corinthiaci* toties incassum tentata perfossione non incongruum judiciū affertur; licet evitato 500 milliarium circuitu, ingens ex compendioso 42 stadiorum itinere, ortum versus navigaturis commodum accedere potuisset. Deum tamen tam admirandam dextræ suæ structuram examinari ulterius aut ullo modo corrigi noluisse. Insulas Moreæ adjacentes dum recen- 48. set Autor, de *Echinadibus*, quas celebris illa Christianorum contra Turcas victoria A. 1571 illustravit, (hodie *Curzolari*) etiam agit, ab *echinis* animali terrestri vel aquatili ita dictis; quale piscium genus rotundū & spinis armatum, mare Adriaticum & Tyrrhenum ineffabili copia suggerat; simulq;, licet nonnisi crudi comedantur, sapidissimos Venerique excitandæ aptissimos esse, & de iis in Tractatu suo *de augendis viribus & servanda castitate*, sub anagrammatico nomine 56. *Ferenzano Capaccis* se egisse innuit; veluti etiam inter *Strophades* *Sphacteriam* & *Proten* diversas, & non cum *Sapientia* easdem insulas esse, ex *Bucintorii Furlani* Capitanei maritimi testimonio, contra 70. *Doglionum* in *Amphitheatro Græciæ* contendit. Ipsius Archipelagi, (hodierno idiomate Græco *Aspro-Tzalasa*, seu *mare album*, & a Turcis *Ach-denghsi*, quod idem denotat, dicti; veluti *Kara-denghsi*, ni- 91. grum, & *Kysbyl-denghsi*, rubrum mare indigitat) ambitus a *Spada* occidentali, usque ad S. *Sidero* orientale *Candiæ* promontorium, 16640 92. stadia seu 2080 milliaria; longitudo 420; latitudo 340 milliaria complectitur.

plectitur. Insularum, quæ cum scopulis & syrtibus 5000 numerum excedunt, tres classes constituuntur, *Sporadum* videlicet, *Cycla-* pag. 96. *dum*, & *Neutralium*, descriptionis *illarum* a *Scarpanto*, *istarum* a *Sifano*, *harum* a *Scio* Rhodum usque, initio facto. Antequam vero ipsam 101. seqq. singularum Insularum descriptionem aggreditur Auctor, de continuo maris æstu, cui mare Ægæum expositum est, ejusque causa, ut & de naturalibus, & ritibus, variisque eorum mutationibus quædam in genere præfatur. Sed dum, quoad ritus Sacramentales, a 106. Latinis admodum discrepantes, communem cum Protestantibus in *tertia persona* baptizandi consuetudinem, (e. g. ut loco: *ego te baptizo* &c. dicatur: *baptizetur servus Christi*, *Johannes*, *Franciscus* &c.) ibi obtinere asserit, qua veritate id fiat, non satis apparet. Fidem matrimonialem non satis sancte coli inde liquet, quod com- 107. merciorum causa in alias aliasque insulas trajicientes, diversas ibidem uxores clam sibi jungere soleant. In funerum deductione tam conjuncti quam amici, inter susurros & lugubres lamentationes, vitam moresq; defuncti commendant, verbis *Kacodopito Kaimene* subinde repetitis: complura insuper vasa lignea *Gavette* dicta, & uvis passis hordeoque cocto referta, cum aliquot lagenis vini, præferri curant, quæ omnia, defuncto in sepulchrum demisso, inter invitatos distributa absumere, & epoto mediocri poculo vini, id quod forte supereſt, in cadaver omnium conspectui expositum conjicere moris est: exequiis finitis, domum ad lautissimam cœnam invitati revertuntur: quem consolationis modum quadragesimo die, non 108. nulli etiam quotannis majori apparatu & gaudio repetunt. Ob repentinas, quæ incolis tam a Turcis quam Christianis imminent invasiones, cavernas ad 3 & 4 milliaria protensas, quarum structuram Autor vix capere potuit, paratas habent: harum foramen ingressum aperiens plantis, sarmentis & fruticibus affabre obstruunt, & deinde per meatus subterraneos ex opposita parte iterum egressi, præsens periculum feliciter evadunt. Verum alioqui ipsissimæ miseriæ typum exhibent, paucis exceptis, qui aliquod auri argentive præsidium in futuram necessitatem repositum habent. Munditiei interim ita studiosi sunt, ut vel pauperrimus quisque de utensilibus ex candidissima terra (*majolica*, seu porcellana) & stanno ipsum argentum mentiente confectis, sibi prospiciat.

pag. 110. CANDIAM, licet cum Archipelagi insulis nihil commune habeat, cum tamen istius olim domina fuerit, intactam Auctor relin-
113. quere noluit, circuitum ejus 478 milliaribus comprehendi statuens. Ex monte vero *Polo* seu *Piloo* tres hemisphærii nostri partes, *Sudum* nimirum *Asiæ*, *Malium* in Morea *Europæ*, & *Roxatim* in Barbaria *Africæ* promontoria, se conspiciendas sistere tradit. Aristotelem æqualē *Candiæ* ab *Asia* & *Europa* distantiam statuentem, ut & aliorum autorum de ea opinionem, ex *Almirii* Hamburgensis autoritate refellit. Ita &
114. montes *Jovis* & *Idam* diversos esse, licet *Baudrand* pro uno eodemque habeat, monet. Dum occasione montis *Idæ*, Cybeles sacerdotes *Corybantes*, etiam *Dactylos*, eo quod musica instrumenta digitis pulsarent,
116. dictos esse memorat, piscium quoque eodem nomine insignitorum meminit, digiti formam præ se ferentium, qui inter scopulos nascentes, & durissima testa armati, optimi alias
122. saporis, nisi ferro infringantur, esui non sint. Circa promontorium *Melleca* (cujus a *Drepano* differentiam contra Atlantes ex propria inspectione adstruit) certis anni temporibus duos rivulos
124. scaturire, confluentes deinceps, qui ferro injecto intra duas horas optimi cupri formam imprimant. Ad *Labyrinthum* intra montem excavatum per angustam semitam accessuro, perito hodogeta, qui fa-
125. cem accensam præferat, opus esse. Insulis vicinis pariter descriptis, quomodo post varias rerum vicissitudines, *Bonifacius* Montisferrati Marchio, cui a *Balduino* Imp. Constantinopolitano assignata fuerat,
130. Candiam Venetis vendiderit, refertur, refutatis, qui a *Balduino* immediate ipsis donatam esse scribant. Quibus omnibus variorum motuum, & novissimæ obsidionis Turcicæ compendiosa historia, ex testium, qui interfuerunt, fide subjungitur.

148. Inter insulæ SCARPANTO, olim *Carpathus*, complura naturalia, marmor & corallia optimæ notæ referuntur, nec non equi omni custode remoto hinc inde vagantes, qui præternavigantibus sæpe in cibum lautissimum cedant. In CARCHI, olim *Chalce*, S. *Nicolai* ab incolis benigne excepti beneficio, instrumenta rustica perpetuo duratura acie donata perhibentur, quam in præsens usque tempus integram retinuerint; unde
155. etiam filiabus dotis loco cedere soleant. Superius laudatus *Almirius Hamburgensis* columnam lapideam $7\frac{1}{2}$ pedes longam in LIMONIA observavit, ex cujus inscriptione Græca maximam partem obliterata,

literata, non sine magno labore hæc saltem notare potuit: ΚΟΣ---ΒΟΤΑΗ------ΔΟ-------ΘΕΟΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟΙΣ---ΚΑΣΙ. NISARE pag. 163.
editissimus mons *Lambros*, ignem & fumum cum incredibili fœtore spirans, celebrem reddit; ad cujus radices intolerabilis caloris scaturigo se prodit: nec non in vicina planitie lacus salsugineus sufficiente adjacentibus etiam locis salis copiam subministrat. Densum, quod a sinistris radicibus protenditur, nemus ingressi, quocunq; etiam morbo laborent, post aliquot dies plene convalescunt, idque virtute montis, fontis, & lacus; quam tamen statō saltem tempore, a Solis nimirum in Arietem ingressu, usque ad alterum æquinoctium per-
sentiscunt. Scabrosi & abrupti insulæ CALOIERO scopuli, in 168.
supremo apice Eremitis quibusdam habitaculum præbent. Tres ejusmodi Religiosi superiori seculo ex eleemosynis, quas lintre exiguo, ope pali in mare demisso, & sub reditum iterum in altum attracto, in proximis insulis alternatim collegerunt, satis diu ibi se aluisse feruntur, donec Turcicorum piscatorum forte sibilum, (quo signi genere revertens subinde Eremita socios ad se attrahendum advocare consueverat) imitantium insidiis, relicti duo socii misere trucidarentur; quanquam prædones in abitu, sub redeuntis Eremitæ conspectum, improvisa tempestate submersi dignas crudelitatis suæ pœnas dederint. LANGO, olim *Cos*, quicquid 174.
alii Autores clima ejus parum salubre accusantes dicant, cultam satis & frequentatam Autor asserit: a delicatissimo vino *Hippocoe*, a valle *Hippon* ita dicto, variisque arborum & fructuum generibus eam insuper commendans, certæ arboris sycomoro admodum similis meminit, sub cujus spatiosissima umbra vel 2000 & plures personæ commode commorari valeant, non paucis opificum tabernis,
& sedilibus sub ea dispositis. Lanam, sericum & gossypium tractan- 180.
di artificium ibi inventum perhibent, veluti etiam *Hippocratis* inde oriundi filiam magiæ studiosissimam, nostris quoque temporibus sub diversis larvis, & ante non ita multos annos sub immensi serpentis, majorem armentorum partem absumentis forma apparuisse.
Vasorum fictilium, quæ SAMO famam conciliaverunt, renovatio- 195.
nem, si per Turcorum barbariem liceret, non adeo difficilem fore, Græci indigenæ affirmant. Mirum est, quod in medio insulæ hor- 200.
ti reperiantur, diversis fructibus abundantes, quibus ad satiem frui

licitum est, exportare vero quippiam ausurus occulta quadam vi,
201. donec vel relinquat vel absumat, inde egredi prohibeatur. *Caravanam* Turcicam, mense Augusto superioris anni circa Samum a Capitaneo Veneto *Venerio* animose invasam, morosa vero reliquarum navium, quas in partes vocaverat, cunctatione elapsam, & adeo prædam, qua pinguior nostro tempore Christianis obtingere non potuerit, simul ereptam esse, merito dolendum est; quamvis turpis illa trium Capitaneorum socordia ultimo supplicio expian-
209. da fuerit. *Onagros* in PSARA & vicinis insulis *Malæ bestiæ* dictis, prognatos, si in alias, vel propinquas etiam, transferantur, seu ob mutatum aerem, seu aliam occultam causam, non diu ibi vivere, ejusdem *Clasii Hamb.* testimonio comprobatur. NICARIA, olim *Icaria*,
212. ab exquisitissimi vini albicantis, (quod in vitibus ad altissimas arbores exurgentibus generatur, veluti in Campania, *Terra di Lauoro* di-
214. cta, videre est) insigni copia commendatur. Incolæ *natatoriæ* artis peritiam a teneris sibi comparare satagunt; nec ad matrimonium temere admittitur, nisi qui ad 8 minimum cubitos sub aquam demersus, ex profundo aliquid secum afferat, edito ita valoris sui specimine. Quin & honoratiores, filias suas elocaturi, habilissimis Insulæ juvenibus ad certum diem convocatis, diutissime omnium sub aquis perseveraturis eas promittunt; ubi quidem omnes in spectatorum, & ipsarum puellarum conspectu denudati, in mare se dejicere
215. properant. Non solum autem naufragorum merces, sed & tantam *spongiarum* copiam hac agilitate sua ex fundo maris in terram efferre didicerunt, ut annuum eorum tributum Turcis solvendum, in totius Turciæ usum facile sufficiat. Mulieres præterea curas domesticas, quæ viris alias incumbunt, in se suscipere itidem moris est.
218. MANDRIA, olim *Minyia*, ob molestas piratarum incursiones ab habitatoribus suis derelicta, a tragico, quod *Johannæ Liviæ*, pulcherrimæ & 15 saltem annorum puellæ, anno hujus seculi 20 obtigit, fato famam abstulit. *Manfredonia* enim Apuliæ urbe direpta, *Osmani* gynæceo reservandam Turcæ secum abduxerant. Sed *Cussaim* & *Amurat*, Generalis *Chalil*, & Bassæ Epiri *Daut* filii, amore ejus capti, clandestino raptu a reliqua classe noctu avectam, in dicta insula libidini suæ explendæ destinaverant. Sub diluculum vero raptu detecto navigia, quæ ex fuga eos reducerent, submissa conspicati,

cati, cum omnem elabendi viam sibi intercluſam animadvertissent, tam formidine pœnæ, quam cœco affectus impetu abrepti, virgine prius obtruncata, violentisque sibi ipsis manibus illatis in mare se præcipites dederunt. Cadavera in conspectum Bassæ allata, eum adeo commoverunt, ut a gemitu & lachrymis temperare sibi non potuerit. PATHMUS præ reliquis Archipelagi insulis hoc singulare pag. 224.
habet, ut tam Christianæ quam Turcicæ naves, tempestatis seu piratarum persequentium periculo urgente, in portum admittantur, nec alteri alteram invadere integrum sit. In monasterio quodam, 222.
S. Johannis, a quo nomen habet, dexteram asservari, & peccati cujusdã mortalis conscium, si ingrediatur, a manu invisibili modis miseris percuti, Græci Religiosi asserunt. Uti Boream versus sterilitate, ita 226.
Austrum versus non contemnenda fertilitate, & tanta *gossypii* abundantia gaudet, ut tibialia ejus materiæ, quibus Italica longe cedant, vilissimo pretio veneant. Quatuor ab ora Austrina stadiis caverna, *Theoskeposti*, h. e. *tegmen Dei*, hodie dicta ostenditur, in qua *Apocalypsis* conscripta perhibetur. Meditationibus suis ibi 227.
vacanti *Johanni* Dæmon aliquando apparuisse, eumque ut secum nataret, invitasse; Johanne vero, ut præcederet, se enim secuturum, regerente, in saxum eandẽ formam, qua in mare se demisit, retinens, & unum saltem a continenti passum distans, mutatus esse dicitur. LERIAM (cujus incolas *Phocylides* universos malos pronunciavit, ex- 232.
cepto Patrocle, qui tamen quoque *Lerius* sit) & proximas insulas, perfectissimæ *Aloes* (quæ, quod succus & non gummi sit, male *Succotrino* a quibusdam appelletur, cum hoc etymon ab insula *Socotora*, ubi pariter proveniat, ipsi debeatur) maximam copiam producere, & mirari se dicit Autor, quod non crebrior apud Scriptores ejus mentio fiat, cum experientia teste, etiam illi, quæ ex Indiis affer- 237.
tur, præferri mereatur. CALAMO, olim *Claron*, præter optimæ *Aloes* proventum, adeo animosas nutrire oves, ut nulla canum custodia stipatæ contra lupos seipsas tueri non dubitent. STAMPALIA, 239.
olim *Astiphalea*, & Θεῶν τράπεζα vocata, amœniorem insulam Naturam ipsam architectari non potuisse, quæ uti ab omnibus ad victum necessariis sufficienter instructa sit, ita quibusvis præternavigantibus de panibus bis coctis hordeaceis largiter prospiciat.
NANFIO, olim *Anaphe*, a serpentibus aliisque id genus venenatis a- 261.
nimalibus

nimalibus immunem esse; quin serpentes terram inde aliorsum deportatam vix attingentes, & quævis reptilia venenosa circulo ex ea
pag.264. formato circumdata subito expirare. SANTORINI, olim *Theresia*, *Callista* vel *Caristo*, *A. 1570* repentina terræ concussione in duas partes divisam, incolentium pars in cavernis artificiose constructis habitat, quarum superficiem culturæ beneficio admodum frugiferã ex-
266. periuntur. Ob ligni penuriam vix bina vice per annum panem, eumque carbonis instar nigrum & durissimum, *Schise* dictum, coquunt. Ventri alias obedientes, omnisque virtutis nescii, ignobili & vitioso otio vitam transigunt. Ipsam quoque insulam, ob scopulos ignivomos, non male infernum repræsentare ajunt. Ita A. 1647 nocte quadam Dominicæ, terribili fragore, qui *Chium* usque penetrans conflictus maritimi suspicionem ibi excitaverat, audito, sequenti die mare ingenti multitudine pumicum, qui navibus egressum ex portubus impediverint, opertum comparuit; ab aere infecto quoque multi perierunt, vel visu privati fuerunt, post aliquod tempus tamen citra ullum remedium restituto. Quin ipsam *Chium*,
200 milliaribus inde dissitam, & *Smyrnæ* parte malum istud corripuit,
ubi vasa argentea & calices sacri rubiginem contraxerunt, & dissipata demum sponte malignitate ista ad pristinum nitorem redierunt. Sylvæ etiam subterraneo igne conflagrantes, pastoribus &
270. armentis non leve damnum intulerunt. Ante primariæ urbis ruinam *Polpo*, piscis spinis & ossibus carens & per Italiam satis notus, 60 cubitorum longitudinem excedens, circa insulam visus, 5 triremes Venetas *Baruto* reduces, hominibus servatis, eversas submersit. MILO a molarum copia nomen sortita, ob proventuum abundantiam a diversis nationibus, Gallis maxime, Consulem ibi habenti-
277. bus, frequentatur. Ipsi incolæ *Venetias*, aliaque Europæ & Asiæ emporia versus, commercia exercent, quem in finem filios Italice & Turcice doceri curant; externa cæteroqui verborum civilitate summam in agendo perfidiam velantes. Mulieres contra invenustæ & balbutientes, (quibus præsertim literæ L pronunciatio impossibilis accidit) gratiosa officiorum, erga exteros præcipue, promtitudine, sollicitaque vestium concinnitate, formæ damna rependere
286. studeut. SIFANO, olim *Acis*, magnetis, qui tribus per annum vicibus eruitur, ut & auri plumbique fodinis superbit, quas poste-

posteriores tamen, ne fodiendi onus sibi a Turcis imponatur, incolæ perpetui silentii involucro obtegunt. TINE, olim *Tenos*, quam pag. 314.
ceu *rosam inter spinas* Veneti hactenus una cum *Cerigo* conservarunt, a *ceparum*, quæ plane dulces absque omni acritudinis aut gravis odoris molestia, instar pomorum crudæ manducantur, copia celebratur. Nec in minori pretio *porrum* habetur, quod ceu singulare munus a Græcis distribuitur. Sic & *cucurbitæ crudæ* cum lacte acido comestæ, quæ vel equi ilia rumperent, Turcis citra noxam in delitiis sunt. SDILE, olim *Delos*, pro admirandorum regia, omnisque stuporis effigie venditatur. Famosam veterum academiam fuisse, ex di- 323.
versis, quæ supersunt, ruderibus & inscriptionibus conjicitur. MI- 334.
CONE, in qua quadruplo plures fœminæ ac viri degunt, a puellis optima indole & liberali facie præditis commendatur, quas pro levi pretio exteris vendere ipsi patres non verentur. In NICSIA (o- 342.
lim *Naxus* audiit) *capræ* certam herbam montanã, *Ledum* Matthiolo dictam depastæ, viscosam & tenacem ejus rosam aruncis adhærentem domum referunt, quæ in gummatis speciem coagulata & pilis simul resecta, ob odoris suavitatem & alias occultas virtutes *Laudanum* vocari meruit. Indigenæ ut & Turcæ *vaccina* imprimis vesci 346.
gestiunt, cujus esui frequentiori etiam robusta Turcarum corpora Autor tribuit, postquam ejusmodi edonem *Neapoli* ultra 20. libras uno prandio absumentem, nec tamen plene satiatum vidisset. Longævitatem aeris temperati beneficio ultra seculum produci posse, duorum Nobilium Venetorum exemplo probat, qua tamen incolas omni vitiorum genere inquinatos, & odio imprimis adeo pertina- 347.
citer indulgentes, ut ad mortem usque mutuo colloquio abstineant, indignos plane judicat. Mulieres miræ superbiæ & ambitionis arguit, eo ineptiæ delabentes, ut decem vestes unam super alteram induentes, & arctiores calceos pedibus inconditis adaptantes, ad eundum fere inhabiles evadant. PARIS, olim *Paros*, serpentibus iti- 356.
dem vacua, formosos & ad quodvis artificium idoneos incolas habet, & fœcundas mulieres, etiam post sexagesimum annum pariendi adhuc facultate præditas. SCIO, olim *Chius*, post varias, qui- 371.
bus agitata fuit, vicissitudines, annuo, quod Turcis solvit, 10000 Scutatorum tributo intercedente, aliquali præ omnibus his insulis libertate gaudet, suoque quasi jure vivit. *Genuensium*, quibus

olim paruit, veſtitu & moribus incolæ utuntur, maximi *Gallorum* oſores Hiſpanis potius, & in genere Turcis magis quam Chriſtianis favent. Aſtuti alias, & crapulæ otioſisque confabulationibus & latrunculorum ludo dediti, & ita revera Græci. Mulieres ab extrema candidiſſimarum facierum pulchritudine, decoro veſtium ornatu, ingeniique feſtiva hilaritate, non ſine mixtura tamen levitatis, commendantur. *Latini* 30, inter quæ *Jeſuitarum* Collegium eminet, *Græci* vero 500 templa, hi ſub Archiepiſcopi, illi ſub Epiſcopi ju-
pag. 377. risdictione poſſident. Frumenti optimique vini ferax inſula eſt, feracior futura, niſi aquarum penuria laboraret, quam quotannis ſub veris initium, ſupplicatione publica a Turcis, Græcis, Latinis &
385. Judæis inſtitui ſolita, exorare convenit. Uberrimo præterea *maſtices* proventu, creberrimaq; ejus in remotiſſimas regiones exportatione claret; quod gummatis genus ex *lentiſcis*, & non propria quadam planta, qui Atlantum error eſt, collectum, præſentiſſimum ſtomachi purgandi dentibusque conſervandis proficuum remedium, Græcis tam viris quam fœminis aſſidue maſticare, & panes coctu-ris cum farina commiſcere familiare eſt; quod ultimum *Ceſmigir Baſſi*, h. e. Culinæ Sultani præfectus, ſingulare ita domino libidinis incentivum procuraturus, maxime ſibi commendatum habere dicitur. Commercium ejus ad ſolum *Sultanum* ſpectat, adeo ut nec poſſeſſori unam lentiſcorum, ſub manus amputandæ pœna, extirpare liceat. Ex *reſinæ Laricenæ* ſeu *terebinthinæ*, ſucci item ex pomis citreis, auratis & Punicis expreſſi copia, haud exiguum lucrum ſuppetit. *Perdicum* denique tanta ibi nutritur multitudo, ut a conductis paſtoribus certo fiſtulæ ſigno paſtum gregatim educantur, ſingulorum ſibilos adeo accurate diſcernere edoctæ, ut nec ſtu-
390. dioſiſſima imitatione tentata inde diverti ſe patiantur. Rigidæ juſtitiæ documentum præbet, quod Chriſtiano vel Turca occiſo, ſi facta inquiſitione auctor cædis inveſtigari nequeat, a primaria urbe, impoſita ſingulis ædibus ſua rata, 12000 *Aſpri*, ceu ſanguinis pretium, exigantur. TENEDO mutatis vicibus modo a Turcis, modo a Venetis ſubjugata, in illorum tandem poteſtatem deditione minus ho-
414. neſta A. 1657 conceſſit. De culpa in *Joh. Contarenum*, & *Hieronymum Loredanum* ab autoribus rejecta, dubitandi cauſam noſter non habuit, cum e noſtratibus non deſint, qui ſub porticu Palatii Ducalis Veneti lapi-

ti lapidem quadratum, de proſcriptione dictorum Nobilium *ob fortalitium Tenedi cum notabili Chriſtianæ Reip. & patriæ præjudicio Turcis relictum*, teſtantem viderint. STALIMINE, olim *Lemnos*, pag. 431.
quæ itidem Leonem modo Venetum, modo Lunam Turcicam iterata ſubjectione coluit, quam poſteriorem etiam ab A. 1657 adhuc reveretur, partam a *terra ſigillata* famam hodienum conſtanter tuetur. *Galeni* deſcriptione cum D. *Stephani Albacarii*, a *Busbequio* eum in finem iſthuc ablegati, relatione collata, modum effodiendi Auctor accurate recenſet. Die nimirum VI Auguſti, ſub Solis ortum, Miſſa a Calojeris, ſive Religioſis Græcis dicta, per 6 horas ſaltem, præſente Gubernatore, ex anguſta Montis *Vulcani* fodina gratiſſimũ odorẽ ſpirante, effoſſa terra ab uno tantum operario eluitur, lota in ſaccis, quo humiditas percolari poſſit, ſuſpenditur, & in majuſculas minuſculasve ſphæras diſpertitur; quæ ſiccatæ, &, veluti etiam pocula inde formata, *Sultani* ſigno impreſſo notatæ Conſtantinopolin mittuntur, ubi ab Imperatore Turcarum inter Principes Chriſtianos eorumque Miniſtros, pretioſiſſimi inſtar muneris diſtribuuntur. Ut ita in inſula eam vendendi poteſtas nemini, nec Gubernatori ipſi conceſſa ſit, cui aliquam ſigillatæ particulam ſibi reſervare quidem, ſed non niſi per donationem in alium transferre integrum eſt. Maſſæ vero ex tritico & lacte compoſitæ, & ad Solem ſiccatæ, (quæ tam belli quam pacis tempore cibi vicem ſupplet, & fami, ubi *Bouhourt*, & ſiti, ubi *Trachana* nomine venit, ſedandæ aptiſſimi) non minus celebre quam lucroſum commercium ibi vi- 492.
get. Occaſione SCHIATTI, unius ex Inſulis *gregariis*, famoſiſſimi iſtius piratæ Turcici *Barbaroſſæ* vita paucis delineatur; quomodo ſcilicet in inſula *Metelino* matre Græca natus, & *Ariadenus* dictus, una cum fratre *Orutio* ſub diſciplina *Camali* piraticam artem didicerit, & uterque poſt complura profectuum ſuorum ſpecimina, *Algerii*, ubi inter duos fratres de regno contendentes bellum inteſtinum gliſcebat, prudentiam ſuam graviſſimorum negotiorum capaciſſimam comprobandi commoditatem invenerint; quomodo *Orutius* opera ſua ſeniori Principi addicta, & juniore victo, ipſe deinde regnum ſibi aſſeruerit, & in bello cum Hiſpanis, *Orani* & *Mazaquibir* cauſa geſto, interfectus fratrem ſucceſſorem habuerit, qui porro a *Solimanno* Archithalaſſi dignitate ornatus, & *Terror navium* dictus, poſt infinita toti tantum non Italiæ illata damna, A. 1545, ætatis anno

80 Constantinopoli facilem Averni descensum nactus fuerit.

pag. 522. NEGROPONTE, olim *Eubœa*, optime culta, & ob commercia ab Asiaticis non minus quam Europæis frequentata, anno 1470 Venetis a Turcis ereptafuit. *Paulum Ericium*, qui urbem dediturus *capitis* salutem sibi pactus fuerat, *Muhamedes* II vivum dissecari jussit, *capiti*, inquiens, non reliquo corporis trunco gratiam se promisisse; pulcherrimam vero ejus filiam *Annam*, cum primariæ concubinæ dignatione oblata pudicitiam illius expugnare non potuis-
525. set, amore in furorem verso, uno acinacis ictu trucidavit. In eadem urbe, quæ nec major nec minor *Tubinga* sit, mercatu quavis Dominica instituisueto, ob ingentem omnium fere insulanorum, & vicinorum ex Bœotia, tanquam ad publicas nundinas confluxum, &
538. vilissimum rerum pretium, nihil visu jucundius esse fertur. Æstus *Euripi* naturam pluribus Autor persequitur, quod videlicet motu irregulari 18 vel 19, regulari 11 dies quovis mense, & quidem ordinarie ad 1, rarius 2 pedes intumescat: quot vero vicibus æstus ille reciprocetur, Scriptores non convenire; esse qui 2. 7. 11. 12. 14 vicibus fluxum & refluxum contingere scribant, *Loirium* vero post integrum diem huic explorationi impensum, singulis senis horis quater illum observasse, sed adeo violentum, ut ultro citroque molendinorum rotas circumagitaverit; quod si igitur hodierni Scriptores & testes αὐτόπται adeo inter se discrepent, facile hinc patere, quantum fi-
599. dei vetustioribus tribuendum sit.

Insularum Archipelagi descriptione finita, RHODUM quoque & *Cyprum* silentio præterire Autor non sustinuit. Quoad priorem, imprimis circa *Colossi* structuram multus est, & variis dubiis, quæ Autores de eo moveant, discussis, ex computo Chronologico Christum anno 3961 ab O. C. præcise natum esse concludit. Ubi simul de centum Colossis minoribus aliis, quibus Rhodus aliæq; mundi partes inclaruerint, in libro *Gran Cifra* dicto diffusius se egisse innuit. Cumque a tot Colossis Rhodiani *Colossensium* quoque appellationem abstulerint, num opinioni Pauli-
613. nam Epistolam ad eosdem perscriptam statuentium accedere debeat, hæsitare se quodammodo fatetur. His & *Equitum* Rhodianorum memoriam, & subsecutam insulæ in Turcarum manus consignationem subjungit, cui *Judæus*, *Græcus*, & *Eques* Lusitanus in electione Magistri postpositus, causam præbuerint; non oblitus *Paulæ Tocle-*

Tocletæ, juvenculæ Græcæ, quæ tempore obsidionis, cum de centurionis cujusdam, popularis & amasii sui, internecione edocta, 4 filios cultro transfixisset, vestibus sanguine ejusdem rutilantibus induta, cum hasta in *Janizerorum* agmen irruerit, & post egregia fortitudinis specimina, infinitis vulneribus confecta occubuerit. Urbem pag. 633. hodie Turcæ, Judæi, & Græci incolunt, his tamen posterioribus sub pœna capitis noctu ibi commorari prohibitis. Eadem ratione etiam CYPRI veterem & hodiernam faciem descriptam sub finem Libri videre est. *Amiantum* adhuc ibi reperiri, & *lacus* cujus- 662. dam, ambitu suo 9 milliaria complectentis, summitatem mense Augusto in durissimum sal concrescere, ex quo & aliis impositionibus 500000 *Zecchini* Venetis olim annuatim obvenerint; quæ summa a Christianis Græcis, Latinis & Asiaticis, & Judæis, 6 *Piastris* pro quovis capite solvendis, immane quantum augeatur. Omnis porro generis frumenti, pulveris Cyprii, avicularum sale & aceto conditarum, notissimi per Italiam gulæ delicii, ceratii, serici, gossypii, panni cilicii undulati, & cannabis, magnam satis copiam in Asiam, Europam, & Africam exportari; sed & gravissimis incommodis, a fluviorum raritate & siccitate, frequenti aeris infectione, terræ motibus, cicadis, & intensissimo calore æstivo accidentibus insulam obnoxiam esse. *Arnaldæ* denique *di Rocas*, bellissimæ juvenculæ, fa- 659. ctum commemorari adhuc meretur, quod insula A. 1570 a Turcis occupata, libidinosos Sultani, quibus destinabatur, insultus elusura, pulveri pyrio navis, qua vehebatur, igne immisso, ex incredibili pretiosarum opum vi Constantinopolim transportanda, magnam partem heroico ausu corruperit. Sed ne justo diutius in Archipelago hoc circumvagemur, vela tandem contrahimus, etiam hanc qualem qualem operam in colligendis notabilibus, Benevoli Lectoris ingratiis collocatam non fore, haud vane, quod speramus, persuasi.

ISOLA DI RODI, GEOGRAFICA-STORICA &c. i. e.

Insula Rhodus cum aliis adjacentibus Geographice & Historice descripta: studio P. Coronelli Ser. Reip. Venetæ Cosmographi, & P. Parisotti Academiæ Cosmographicæ Argonautarum Historiographi. Tomus I Archipelagi.

Venetiis, 1688, in 8. Ex-

EXactiſſimi Operis Coſmographici, impoſterum lucem publicam aſpecturi, ſpecimen quaſi Deſcriptio hæc inſinuat. Certæ nimirum Academiæ, quæ *Argonautarum* appellationem ſibi impoſuit, laudatiſſimum inſtitutum eo tendit, ut accuratiſſimi *Globi*, cœleſtis & terreſtris, aliæque tabulæ Geographicæ, Topographicæ, Hydrographicæ, Ichnographicæ, majoris & minoris formæ, cum deſcriptionibus Geographo-Hiſtoricis & Aſtronomicis, conficiantur. Quem in finem tres Societates, *Venetiis*, *Pariſiis*, & *Romæ* pangere viſum fuit, *illic* P. Joh. Baptiſta *Moro* Minor. Convent. Hungariæ Provinciali; *iſthic* Abbate Laurentio *au Rue Payenne au Marais*; *hic* vero P. Antonio *Baldigiani* Societatis Jeſu, Profeſſore Mathematum in Collegio Rom. ad id conſtitutis, ut qui bonum publicum literarium ita promoturi in illas recipi geſtiunt, literis deſiderium ſuum ipſis exponere valeant. Et eorum quidem, qui in dictis urbibus, in *Germania* item & *Polonia*, nomen ſuum jam dederunt, catalogus 196 Sociorum nomina complectens, præfixus eſt, ſimilisque cum appendice eorum, qui numerum ſubinde aucturi ſunt, quovis trimeſtri excudendus promittitur. Antequam vero Globi æri jam inciſi divulgentur, Venetiis in Congregationibus Academicis conſpectui publico exponuntur, ut Eruditorum monita emendationi neceſſariæ proficua eo aptius colligi poſſint. Cæterum ita proſpectum eſt Academiæ huic Aſſociatis & Aſſociandis, ut & globis, & mappis Geographicis multo viliori pretio, per intervalla tamen prænumerando, quam extranei, potiantur.

pag. 3. In ipſa Deſcriptione *Rhodianos* itidem, uti in *Archipelagi Redivivi* recenſione indigitatum eſt, pro *Coloſſenſibus*, ad quos Paulus ſcripſerit, haberi obſervavimus. Recenſetur, quomodo urbs obſi-
141. dione Turcica trimeſtri, qua durante 169 Equites occubuerunt, liberata, per integrum annum 1481 horrendis terræ motibus con-
157. cuſſa fuerit: nec non quomodo anno ſequenti *Zizimus* ſolium Turci-
166 cum ſibi tertio genito licet, patre tamen imperante nato, præ fratre *Bajazethe* jure deberi ratus, ſed fortunam adverſam expertus Rhodum confugerit; hinc a Magno Magiſtro in *Galliam* ablegato,
179. & a Rege, *Innocentio VIII* P. R. donato mors accelerata fuerit. Cum inter ſecundas ſæviſſimæ peſtis cauſas Judæorum quoque tolerantia referretur, decreto publico omnes Judæi *Nizzam* relegati, intra 40 dies

dies inſula excedere juſſi ſunt, adultis Chriſtianiſmum amplexuris poteſtate ſolum remanendi relicta; parvulis vero & minoribus, invitis etiam parentibus, baptizandis, eo quod hi Chriſtianorum ſervi & mancipia liberos in poteſtate non haberent. Licet vero quæ- pag. 182.
ſtione hac de re poſtmodum in frequenti Doctorum Concilio agitata, Judæorũ liberos, utut mancipia forent, citra illorum voluntatem baptizari non poſſe, concluſum fuerit; Magni Magiſtri tamen decretum hic adſtruitur, eo quod parentes poteſtatem ſuam in jure naturali fundantes, legem divinam, per univerſum orbem baptizandi Apoſtolis impoſitam, abolere nequeant. Ex occupatæ A. 1522, dedi-
tione prævia, inſulæ hiſtoria memorabile eſt, quod *Andreas Al-* 207.
mar, Eques, qui *Solimannum* obſidionis (in qua 600 equites ſingulos, 500 hoſtes ſibi oppoſitos habuiſſe fertur) ſolutionem meditantem, ſpe filia ipſius potiundi ineſcatus, ſagitta cum ſchedula proditorie emiſſa revocaverat, licentia ad Sultanum ingrediendi impetrata, de Chriſtiana pelle prius exuenda, quam Muhammedanam induere cogitaret, admonitus fuerit, & ſic vivus excoriatus æquivocæ propoſitionis ſenſum addidicerit. Qua ratione Magnus Magiſter, poſt 216.
diſceſſum in Candia hybernarit, & Pontificis, Imperatoris Caroli V, Baſſæ Ægypti adverſus Sultanum inſurgentis, Gubernatoris ad fidem olim abnegatam redire cupidi, Metropolitani & aliorum, cum quibus per *Antonium Boſium* Equitem in Græca lingua verſatiſſimum ea de re egit, favore fretus, haud vanam *Rhodum* recuperandi ſpem conceperit; quomodo contra Dux *Albanus* ſententiam ſuam rogatus, propoſitum quidem approbaverit, ſed ob inquietum Turcarum genium, licet recuperetur inſula, conſervari eam non poſſe judicaverit, & re ipſa difficultate una ex altera oborta, & aliquot annorum deliberando elapſorum mora intercedente, omnia illa conſilia
primo aſpectu læta in fumum abierint, prolixe enarratur. His præ- 234.
terea de ipſius ordinis *Equitum* (quam appellationem non a *Balduino* I, ut quidam volunt, ſed a tempore ingreſſus in Rhodum obtinuerunt, antea *Hoſpitales* a noſocomio Hieroſolymitano S. Johannis, & *Cuſtodes S. Sepulchri* dicti) notitia quædam ſubjunguntur; Magnorum Magiſtrorum (qui anno 1630 d. 10 Jun. quo Cardinalibus *Eminentiæ* titulus ſtabilitus eſt, ab *Urbano* VIII *Eminentiſſimi* axiomate decorati fuerunt) catalogo annexo, quorum ab anno 1099 usque

usque ad *Gregorium Caraffam* A. 1680 electum, LXII numerantur. Aliarum denique circa Rhodum insularum (inter quas
pag. 280. *Stanchio* in pago *Pucrà* natalem *Hippocratis* ædiculam religiose etiamnum conservat) rerumque memorabilium, ut & Castelli *Bodrù*, quod pro veterum *Halicarnasso* habetur, descriptione Libro huic coronis imponitur.

CONTROVERSIARUM ADVERSUS JUDÆOS Ternio; in specimen operis jam affecti, quo R. Isaaci Chizzuc Emouna *confutatur: Authore Jacobo Gousset.*

Dordrechti, apud viduam Caspari & Theodorum Goris, 1688, in 8.

DOctissimus ac disertissimus libelli hujus author, *JACOBUS GOUSSETIUS*, Ecclesiæ quondam Pictaviensis Pastor, dehinc exul, mox Anglorum, nunc Dordracenorum hospes, novum *Controversiarum Anti-Judaicarum Systema* meditatus, speciminis loco hunc edendum duxit *Ternionem*. Præmisit autem præfationem *de opera Judæis ad Christianam fidem convertendis navanda*. Opinatur illic, usum argumentorũ e Rabbinis κατ' ἄνθρωπον depromptorum, exiguum esse aut plane nullum. Magnificentius enim indies sentire de magistris suis Judæos, eorum pridem authoritate fascinatos, dum eos ab ipsismet adversariis diligenter legi, commendari sæpius, creberrime allegari cernant. Si veterum dicta contra modernos urseris, responsuros esse, genuinam illorum sententiam a se solis ceu hæredibus petendam esse. Quod si quemquam e Synagoga Rabbini alicujus authoritate motum abduxeris, eum tamen illuc postliminio reversurum, ubi illum ipsum Rabbinum pluresque alios, odio ac contemptui fidei Christianorum immortuos esse animadverterit. Licet vero tunc, Rabbinorum effatis missis, directis argumentis uti volueris, hominem tamen id non laturum esse, utpote cui inconstantiæ absurdæ reus videberis, ubi eos, quos veritatis testes hactenus laudaras, illius plane ignaros esse, asserueris. Ex solis igitur Scripturæ Sacræ, imprimis V. T. libris disputandum esse

esse, concludit, idque se facturum spondet in opere illo, in quo expoliendo & consummando totus nunc est.

Nec nomen illius, nec œconomiam diserte indicavit. Presse tamen, (uti videtur,) sequetur vestigia methodumque libri *CHISSUK EMUNA*, quem clarissimus Πανεπιστήμων *Johannes Christophorus Wagenseilius* Latine vertit, & *TELIS IGNEIS SATANÆ* inseruit. In singulis quippe hoc Ternione contentis exercitationibus integrum aliquod caput Isaaci ex versione Wagenseilii Latina exscribit, addita responsione, qua ad puvillum excutiuntur singula a Rabbino dicta.

Ἀποσπασμάλιον *primum* exhibet *Caput XII* e priori R. Isaaci libro. Nititur heic Judæus protevangelium Gen. III, 15. nobis extorquere. Gousſetus contra, ubi probasset, sub serpente latuisse Satanam, per *semen mulieris* Jesum Nazarenum notari, duplici argumento evincit. Horum alterum desumitur *a malo*, quo semen hoc Satanam afficit, dum *illius caput conterit*. Tantundem, (inquit Noster,) contritio capitis in Satana, quantum in serpente, valere debet, nisi & aliquid amplius. Atqui in serpente contritio capitis mors est. Ergo & in Satana mors est. Sed mors gravissima spirituique conveniens, qualis nempe intelligenda in comminatione illa *Gen.* II, 17: *Morte morieris*.

(Hoc enim loco æternam totius personæ mortem interminari DEum, colligit Gousſetus inde, quod non alia mors respondeat gravissimo læsæ majestatis divinæ crimini, nec notio *mortis* generalis ad corporalem expresse restringatur. Judæus equidem locum *Gen. II, 17.* ex *Gen. III, 19* ceu parallelo explicandum regesserat. Negat Noster itaque, comminationem parallelam haberi in isto: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Non (inquit) spectat illa sententia edicti executionem, sed ex adverso, ut illius executionem avertat, commutat ipsum in declarationem gratiosam, morti eos limites dantem, ut ejus non persona tota, sed personæ pars, eaque minoris momenti, subjectum sit; quæ declaratio, dum corpus ferit, animam salvam ac beatitudinis capacem præstat. Hac fini jam antea de semine mulieris spes facta fuerat.)

Supposito igitur, semen mulieris debuisse caput Satanæ conterere, h. e. morte eum æterna afficere, monstrandus erit e muliere

natus, qui id præstiterit. Atqui nemo fidelium id facere potis est; vocantur enim ii non ad vulnerandum Satanam, sed ad ei resistendum, *Eph. IV, 27. Jac. IV, 7. 1. Petr. V, 9.* Christus autem præstitit, *Ebr. II, 14,* & præstabit consummative in extremo judicio, *Apoc. XX. 14.*

Alterum Gousseti argumentū ex *collatione malorum*, quæ sibi mutuo serpens & semen mulieris inferunt, petitum est. Semen mulieris serpentem *capite*, serpens semen mulieris *calcaneo* vulnerat. At longe gravius lethaliusque vulnus est, quod capite, quam quod calcaneo recipitur. Jam vero diabolus Sanctis lethalia vulnera infligere potest, ni a DEo prohibeatur. Sancti autem æqualia ei vulnera, nedum graviora, infligere nequeunt. Contra vero Jesus totum Satanam in immensæ mortis barathrum conjecit; Hoccine fuit, caput Dæmonis frangere? cum Satanas ex altera parte Messiam non nisi in talo, h. e. inferiori personæ suæ parte, nempe humana natura, læserit.

Ἀποσπασματίῳ secundo *caput* Isaaci *XIV* refellitur, seu dictum *Gen. XLIX, 10.* ab Increduli objectionibus vindicatur. Probat heic Gousletus, שבט aut *Sceptrum* notare debere, aut *tribum*. At & *sceptrum* e Juda dudum recessisse, dudum quoque Judæos *tribus* nomen sibi vendicare atq; asserere nequivisse, ex quo genealogias suas plane perdiderint, sine quibus nemini stirpem jactanti creditur, *Esræ II, 59. 62.* Concludit itaque, Messiam venisse, &c. Multoties hæc abs aliis dicta, prolixius excerpere nolumus. Singularia vero & paradoxa esse videntur, quæ de vocibus שִׁלֹה & יִקְהַת commentatur. Derivat nempe שילה ex pronomine ש *qui*, & futuro radicis לחה. Quemadmodum שְׁמוּאֵל *Samuel* idem est ac שְׁמֵעֵל ὁ ἀπὸ θεοῦ, *1. Sam. I, 20.* interjecto nimirum Vav, ut in מוֹאָב *Moab*, pro מֵאָב ὁ ἀπὸ τοῦ πατρός, *Gen. XIX, 37.* Porro לָהָה significare *fatisci, languere, molestia, agritudine deficere*, confirmat ex *Gen. XLVII, 13.* וַתֵּלַהּ Et *defecit* terra fame; itemque ex Prov. XXVI, 13. כְּמִתְלַהְלֵהַּ *sicut simulans se agritudine languidum*, & jaculans interim fundis & sagittis: Sic homo fallax, &c. Contendit etiam harmoniam radicis לאה. Censet autem *Gen. XLIX, 10.* secundam radicalem ה ἀποκοπῆς ἕνεκα mobilem fieri, ideoque puncto Mappik debuisse insigniri, (uti in citatis vocibus וַתֵּלַהּ & כְּמִתְלַהְלֵהַּ aut in וַתָּכַהּ *Job. XVII, 7.*) nisi ante se requireret Cholem,

lem, quod solenne sit in Futuris ante literas Mobiles, nullum vero post se Mappik unquam patiatur. Haberemus h. m. Tertiam Futuri Kal יָלַהּ. Nam Jod Futuri schevari posse, ex יְהוּ & יְהִי constare autumat. Jungatur nunc יָלַהּ pronomen ש, quod scheva sub se admittit, tum *Eccles. II, 22. III, 18*, tum in ipso Samuelis nomine proprio שְׁמוּאֵל. Concurrent hoc pacto duo Schevajim, quæ in Chirec magnum contrahenda erunt, (uti fit in בִּימֵי וַיְהִי לִיהוּדָה בְּיָקַר) sicque loco שְׁלַהּ habemus שִׁילֹה SCHILO, quod proinde notabit *molestia ægritudineque Laboraturum*, aut איש מכאובות *Virum dolorum* Es. LIII, vel τὸν παθητὸν, Act. XXVI, 23. Eodem loco habetur vox æque obscura יִקְהַת, cujus dageschi forte argumento esse videtur Gousseto, radicem illius esse נָקָה; adeoque יִקְהַת notare *purificationem*. Verba igitur ולו יקהת עמים vertit: *Et ejus est purificatio gentium*, utpote opus Messiæ, *Mal. I, 11. Dan. IX, 24.* Lamed nimirum sumpto, uti *Deut. XXXII. 35.* לי נקם *Mei est vindicta*. Eadem ratione explicat ista, *Prov. XXX, 17. Oculum subsannantem patrem*, וָתֶבֶז לִיקְהַת אֵם *& contemnentem purificationem matris, evellent corvi, &c.* Ibi enim (inquit,) DEus est pater; mater est sapientia nos sæpe ut filios suos in hoc libro compellans & præcepta sua commendans, etiam sub pœnarum interminatione, ut e. g. Prov. VIII, 32. Ejus doctrina est purificatio nostra; nam veritas sanctificat & fides in eam. Sub finem exercitationis applicat hoc dictum Autor Clarissimus Jesu Nazareno nostro, urgetque venisse hunc durante *Schebbet*, seu tribu; fuisse *Schilo*, h. e. ad extrema patienda vocatum; in eo denique solo fuisse causam *Jikkehath* sive puritatis gentium; Esse itaque Messiam a Jacobo prædictum.

Ἀποσπασματίῳ III. Gousletus *caput XXI.* R. Isaaci aggreditur, adeoque in dictis *Jes. VII, 14, & IX, 5.* vindicandis occupatur. Præprimis heic notatu digna videtur etymologia vocis עַלְמָה, qua notari arbitratur *virginem illibatam*, quæ hactenus fuit נעלמה *tecta* vel occultata, quia איש לא גלה את ערותה *vir non retexit nuditatem ejus.* Objiciunt Judæi alias, עלמה *Prov. XXX, 19. meretriculam* ἀναπηρήτως significare. Respondet *Gousletus* inter alia, totum Proverbiorum locum allegoricum esse. Si enim ad literam interpreteris, nil fere in eo memoratum iri, quod *mirabilis rei* titulo a Salomone mactari mereatur. *Viam* ergo

aquilæ in cœlis esse viam Jesu Christi ascendentis in cœlum. *Viam serpentis in saxo* denotare viam ejusdem in saxo, in cujus cavitate sepultus, nullum fœtorem reliquit, quo, cadaver illic situm fuisse, noscereturr; *Viam navis in mari* esse Christi per populum Judaicum deambulationē, quæ pene in indocilibus illis ac inconstantibus non majora sui vestigia reliquit, ac navis in mari. *Viam viri in virgine* transitum esse ejus per matris loca, illæsa ipsius virginitate. *Adulteram* deniq; illam *impudentem* esse eandem, quæ *Apocal. XVII.* plenius describitur. Salomonem igitur stupere h. l. ad duorum contrariorum, Christi & Anti-Christi, *mirabilia.*

Plura ex Excerptis illis excerpere supervacaneum fore existimamus. Satis quippe salivam modo dicta movebunt Actorum lectoribus, ut opus ipsum, (quod ob floridum diffusumque perspicuitatis studiosi Authoris stylum, rerumque ac controversiarum abundantiam in volumen haud parvæ molis excrescet,) propediem ad umbilicum perductum typisque exscriptum legere discupiant.

Calci Ternionis adjicitur p. 153—162. *Monitum de Philippi a Limborch pro veritate religionis Christianæ contra Judæum collatione*, recensita a nobis supra pag. 212. Laudat Goussetus, quod Limborchius ex Factis veritatē evangelii solide adstruxerit; quod Synedrium vel nullum vel fallaciæ obnoxium fuisse evicerit, quod liquido demonstrarit religionis Judaicæ legisque ceremonialis abrogationem aliaque, in quibus Christianos omnes ὁμοψήφους habeat. Culpandum autem duxit, quod oblitus promissi sui, (*nullius peculiaris dogmatis inter Christianos controversi patrocinium susceptorum sese*,) duos cumprimis errores in Christianismo graviter impugnari solitos enixe ac prolixe obtruserit, atque tum defenderit vim liberi arbitrii, qua homo sese ad Deum convertat, sine gratiæ internæ ac efficacis auxilio, tum gravissimas illas Christologiæ partes *de unione hypostatica*, *de duabus naturis in una persona Jesu*, *de subsistentia absque naturarum confusione*, *de fide in Jesum ut in verum DEum*, *ejusque omnipotentia divina*, inter ἐντάλματα ἀνθρώπων referre ausus fuerit. Tandem igitur Judæos monet, ut, si argumentis Limborchii optimis adducti œconomiæ legali ab ipso DEo evangelicam substitutam fuisse crediderint, non ex ipsius relatione, sed ex N. T. evangelicæ fidei articulos discant.

GEOR-

GEORGII VVOLFGANGI VVEDELII, MED. D. Consiliarii & Archiatri Ducalis Saxonici, & Prof. Publ. in Academia Jenensi, PHYSIOLOGIA REFORMATA.

Jenæ, apud Joh. Bielkium, 1688. in 4.

CElebratissimū inter Medicos nostri temporis nomen, G. Wolfg. Wedelius, ante aliquot annos Physiologiam Medicam scripserat. Eam nunc, ita ut erat, rursum edere aut interpolare cum non placeret, Physiologiam Reformatam maluit componere; inq; ea non vel a se, vel ab aliis scripta reformare, aut censorem agere constituit, sed novo opere alia & commodiore methodo dogmata primæ ejus in medicina partis proponere; quanquam subinde digredi a se æque ac aliis non dubitaverit.

Initium tractationis facit a Principiis Rerum in genere, in qua Chymicorum sententiam perspicue explicat, eosque secutus asserit, materiam primam esse terram & aquam, materiam secundam sal substratum & affine terræ, sulphur substratum aquæ, mercurium substratum singulis: & hæc quidem nominat externa & communia, specifica vero & individualia, item interna docet esse, tum formam primam sive animam, quæ sit primum movens unicuique regno inditum, licet maxima cum differentia; tum formam secundam, semen, i. e. vim multiplicandi, & fermentum, i. e. vim immutandi. Atque ea principia Chymicorum reipsa eadem esse contendit cum elementis Peripateticorum, Cartesianorum, Helmontii, nec nisi verbis differre opiniones eorundem. Cap. I.

Quæ applicaturus, hominem in genere, objectum Physiologiæ Medicæ contemplatur, proque illius partibus essentialibus duabus, hujus etiam partes duas, in statum naturalem hominis inquirentes, constituit: unam, & potissimam quidem, dicatam corporeæ machinæ; alteram animæ, in quantum cooperatur corpori, ejusque ministerio utitur & ipsa. Hinc partes corporis anatomes auxilio lustrat, distinguens eas (1) *in solidas*, quales ossa, & horum species dentes, vel analoga, ut ungues; *in molles*, uti carnes pulposæ, & reliqua omnia, quæ diduci, tendi, laxari, remittere, premi queunt, Cap. II.

veluti venæ, arteriæ, viscera, membranæ, cutis & reliqua; *in fluidas*, ut humores. Inde (2) *in motas*, quales solidæ; *in mobiles*, quales molles sunt; *in moventes*, quales fluidæ. Cumque hæ partes conjunctæ sint, (*tertia*) fluit distinctio in *continentes* quæ molles; *in contentas*, quæ solidæ; *in impellentes*, quæ fluidæ. Quem in finem notat, partes solidas mollium, molles fluidarum, humidas spirituum esse stamina seu columnas, & spiritus a fluidis partibus non differre nisi conceptu. Ab his digressus invenit (4) *alias albas*, utpote ex solidis ossa, ex mollibus nervos, venas, arterias, fibras, pinguedinem, intestina, vesicam, uterum &c. ex fluidis serum; *alias rubras*, nimirum carnes, parenchymata, renes, lienem, cor, hepar, & κατ' ἐξοχὴν sanguinem; *alias medias*, quales sunt ex extimis cutis & ungues, ex internis pulmones, qui ruborem suum debent sanguini. (5) Deprehendit *alias* esse *ultimas*, veluti solidas, *alias medias*, uti molles, *alias primas*, nimirum fluidas, quæ primum incipiunt vivere, primo mori. (6) Observat partes *alias* esse *similares*, & magis simplices, *alias dissimilares* & compositas; & (7) inter similares *quasdam primi ordinis*, quales ex fluidis sanguis & serum, ex mollibus caro & fibræ, commune hospitium, sedem, originem & fontem in corde habentes, ex quibus omnes reliquæ partes oriantur.

Cap. III.

Quoniã vero hæ partes sunt propter vitã factæ, ideo proxime agit de vita, anima, luce, calore, motu primo, spiritu vitali. Animam saltim sensitivam lucem esse ait stellarũ æmulam: hinc vitam consistere (1) in luce seu micula, quæ habet principium movendi a DEo inditũ; (2) in motu gemino tum primo seu motione, quæ est motus intrinsecus seu vitalis, h. l. cordis, tum secundo seu latione i. e. motu locali; (3) in motu cordis; (4) in motu cordis & partium, primo & secundo, vitali & animali; (5) in spiritu, quo mediante anima movet, qui quidem unus est substantia, gradu tamen subtilitatis differens, nempe vitalis & animalis. Nimirum vitalis magis impellit sanguinem, cava, efficit motum primum, impellit magis partes sanguineas: Spiritus animalis magis impellit lympham, porosa, efficit motum secundum & reflexum, impellit magis partes sereas, vulgo spermaticas; (6) in calido, quod ex luce & motu resultans est substantia, innatum & influens, balsamicum & sulphureum, blandum & mite; (7) in calido & humido, quod calido substratum est, unitum,

unitum, proportionatum, radicale; (8) in sanguine & sero vitali. Rejiciuntur ergo tum opiniones aliæ, tum inprimis eorum, qui vitam ponunt in alcali & acidi concursu perpetuo, indeque oborta efferveſcentia blanda; item Carteſii, vitæ radicem in glandula pineali quærentis. Quæ de humido injecta, ut clariora evadant, peculiariter humores vitales exponit, quos definit partes corporis humani fluidas, a calido vitali impulsas, partibus omnibus pro vita impertienda communes. Eos in primos & ortos; aliterque distributos exponit, obscuritatesque, quibus tam veteres, quam recentiores eam doctrinam involverunt, discutit. Motum humorum primorum, scilicet sanguinis & lymphæ in circulũ fieri adstruit; & sanguinem quidem circulari per vasa & poros, per ἀναστόμωσιν venarum & arteriarum mediatam, per sepimentum nimirum commune membranaceum sanguinis, & illi motui cor præesse. Lymphæ motum sequi motum sanguinis, sed per diversas vias, huicque motui præesse glandulas, cisternas, stagna, & lacus nativos. Perinde etiam circulari spiritus, & vitalem quidem cum sanguine, animalem cum lympha; hujusq; notitiam esse clavem arcanorũ microcosmi, sive in physiologia, sive in pathologia, sive in therapeutice occurrentium. Circulationis illius affines actiones, juvamenta, immo suo modo præsides sunt pulsus & respiratio, quæ sunt causæ sociæ & symbolicæ; de quarum motionum modo ac usu dum agitur, rejicitur frequens recentiorum assertio, ab aere inferri sanguini particulas, seu spiritus nitrosos aereos. Hinc resultant vitæ modi varii. Est quidem vitæ una radix, modi tamen plures seu temperamenta ex miscela qualitatum communium orta: temperamentum autem mixti substat temperamento viventis. Connascitur modus vitæ & disponitur radicaliter a primo ortu, remote eum determinant astra, & ex his Sol & Luna præcipue; progressione vitæ graduali alius atq; alius fit, sed tamen cum latitudine sua. Neq; enim fundamentũ habet opinio communis perhibens, transitum illum scalarem esse, & septenario aut novenario etiam numero contineri. Etenim sunt quidem anni climacterici, sed unicuique homini proprii, non communes, sed singulares. Extraordinarius vitæ modus in sympathia & antipathia fundatur, sive connatus sive acquisitus, raro mutabilis: connatus ab impressione archeali matris implantatur, acquisitus debe-

Cap. IV.

Cap. V.

Cap. VI.

C. VII.

debetur impressioni archeali animi & phantasiæ, seu motæ ab alio, seu conceptæ intrinsecus.

C. VIII. Vitæ hactenus descriptæ fomenta necessaria, quæ eandem propagant & continuant, sunt (1) calidum & humidum; (2) sanguis & serum; (3) spiritus & lux vitalis: propagantur ea per nutritionem ex similibus; & spiritus quidem expetunt nutrimentum volatile & lucidum, partes fluidæ seu humores vitales lucidum & humidum, partes fluidæ & solidæ γλίσχρον. Chylus vitæ pabulum & fomentum mediatum est, non ultimum, sanguis vero & serum sunt genuinum, & ultimum: concurrunt pro nutriendis partibus æqualiter, sed non absolute, seu partes aliæ sanguine, aliæ sero nutriuntur. Serum & ipsum alimentum est, & alimenti vehiculum. Succus nutritius nervorum, aut idem est cum sero seu lympha, aut nullus. Fermenta vitalia fermentatione specifica & seminali in partium substantiam concedunt. Laboratoria, in quibus apparan-

Cap. IX. tur fomenta vitalia, dici possunt coctio prima & secunda. Nam cum calidum & humidum, spiritus archeus, robur necessarium, vires requisitæ, ex alimenti defectu deficere incipiant, sensatio duplex oritur, nimirum fames & sitis, quæ pro sexto & septimo sensu merito habentur. Quæ sensatio est archeo universali propria; defectum infert & indicat instrumentaliter ventriculus, & sæpe vitiose, appetens magis præsente acrimonia salina proportionata, succenturianturque nervi copiosi in ventriculo. In coctione igitur prima, tanquam primo laboratorio sulphur aqueum alibile ex assumtis ab archeo liquatur & separatur. Ventriculus immutat ingesta recludendo ope caloris tam vitalis, quam communis sibi concessi & influentis, extrahendo partem selectiorem, quæ in chylum cedit ope menstrui, quod est principaliter lympha vitalis, deinde humidum potulentum adeoque ascititium, fermentando beneficio fermenti salino-sulphurei; tum domestici, quod est lymphæ vitalis progenies, tum extranei in saliva advenientis. Alterum laboratorium est coctio secunda, quæ ibi incipit, ubi desinit prima. Desinit prima, ubi confectus est chylus; incipit secunda, ubi ex illo fit sanguis, de cujus materia, rubedinis ratione, causa efficiente, organo, causis adjuvantibus plura occurrunt.

Cap. X. Quibus traditis invitatur ad ipsam vitalem machinam considerandam

derandam, referens huc ipsos labores ulteriores, quos vel chylus, vel sanguis potius obire continuo debet, in corde, pulmone, hepate, liene, ventriculo, intestinis, mesenterio, pancreate, cerebro, renibus, vesica & extremis. Scite hic declaratur, uti machina corporea sequatur leges hydraulicas, pneumonicas, chymicas & mechanicas, quomodoq; singulæ partes juxta leges eas suas functiones impleant. Cap. XI. Hæc machina regitur ab anima, quæ in homine gemina, una organica, qua sola pollent bruta, nec ea hominem superant, altera inorganica, nimirum mens & ratio sui & infiniti ac immensi capax, immortalis, alligata corporis machinæ, non absolute sicut organica, sed tantum secundum quid & ministerialiter. Hinc sensuum externorum internorumq; ministerio utitur, de quorum organis, ob- Cap. XII. jectis, modis sentiendi haut proletaria dicuntur. Propria animæ inorganicæ operatio est cogitatio, & quidem cogitatio absoluta veri, intellectus, cogitatio respectiva boni vel mali, voluntas vocatur. Cogitatio voce articulata expressa sermo est, de quo non pau- C. XIII. ca differuntur. Deliberatorum executio motu secundo sive latione perficitur, cujus differentiæ, organa, causæ impellentes adducuntur, C. XIV. inter quas materiæ subtili primæ partes tribuuntur. Ad fatigatum motu corpus reficiendum datus est somnus, qui fit a cessatione impulsus naturali. Cessat enim elater cerebri, ex spirituum, lucis animalis, membranarum, pororum, a quibus ille est, concentratione.

Ex hactenus dictis recte se habentibus consequitur vitæ inco- Cap. XV. lumitas, quæ est machinæ εὐφορία naturalis, tamdiu durans, quo- C. XVI. ad omnia in corpore substant & parent archeo. Ultima tractatio est de multiplicatione generis, in qua proponitur, semen veluti conditorium animæ, formæ, elateris, luculæ novæ productæ ab alio; semen a mare, ovum a fœmina conferri ad generationem; fœcundum seminale corpus ad ovarium accedere per uterum in elaterem tunc citatum, cujus pars essentialis & integralis est ovarium; ovum fœcundatum non ita longo post tempore ex ovario in uterum provolvi amplexu membranaceo ejusdem peristaltico; fœtum formari ab actuali idearum actuatione, non ex vermiculo in semine maris latente, ut docuit Leuenhoeck; sanguinem & serum cedere in nutrimentum & augmentum fœtus, qui nutrimentum suum accipit a matre per placentam, qua connectitur.

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE Febribus, auctore A. V. L. Med. D.

Lugduni Batav. apud Cornel. Boutesteyn, 1688, in 8.

VEram de natura febrium doctrinam in Democriti puteo latuisse hactenus, non immerito suspicari quis posset. Nec enim in alio quam in hoc argumento, æque desudasse auctorum sedulitatem videas. Enimvero penitiori indagine quilibet præ aliis putat se publico profuisse, aperiendo cogitata sua cum rationum fulcimentis, tum experientiæ solido superstructa. Quæ quidem scribendi methodus longo post se intervallo relinquit antiquiorum institutum, quod credulæ vetustatis suffragio unice nitebatur. Id quod fusius in præsentis libelli præfatione expositum est, cujus summam huc transscribere nunc aggredimur. Octo punctis autem res omnis continetur. Primo etymologia traditur; II°. communis definitio febris examinatur, ostensa falsitate, quod febris consistat in calore & quidem præter naturam, item quod in corde primum accendatur, mox per totum corpus deferatur, ut inde functiones lædantur. Nec minus rejicitur Barbetti descriptio, qui febrim auctam sanguinis circulationem pronunciavit. Ut vero certius quid hac in re statuere auctor possit, III° sanguinem cum ratione multiformium particularum, ex quibus massa ipsius conflatur, tum ratione fermentationum in eo observatarum considerat. Unde patescere opinatur, in mixtura sanguinis turbata febrim omnino consistere. Et hæc assertio illorum quoque est, qui Cartesii castra sequuntur, quos inter nobilissimus Dominus *Craan* est, ad cujus mentem scriptus hic libellus, ceuin titulo indicatur. Et sane pleraque in hoc tradita sparsim docentur in notis ejus ad Regii Praxin, seu Lumine Rationali Medico superius a nobis recensito A. 1686 p. 555. Cæterum IV° loco causas febrium auctor rimaturus (1) continentem affert, quam ait ætheream materiam aliam, quam quæ fluere consuevit per nostrum sanguinem, unde ejus mixtura turbetur. (2) antecedentes duas memorat peregrinum ætherem in sanguinem immittentes, inflammationem scilicet & exulcerationem. (3) procatarcticas a rebus 6 non-naturalibus dictis deducit, quibus subjungit ictus, lapsus, vulnera, vermes. Differentias V° explicatas præter necessitatem

tatem putat multiplicari. Permultas enim a symptomatibus (v.g. dum febres vocantur siticulosæ, deliræ, vomitoriæ &c.) permultas a morbis, quos vel sequuntur, vel comitantur (quales sunt arthriticæ, pleuriticæ, peripneumoniacæ) nomen accipere. Utilem vero esse distinctionem in lentas & acutas, in benignas & malignas. Sed has non dici tales, quasi quod tritis non cedant remediis, sed quod præcipitatio humorum massam sanguineam constituentium talis facta sit, ut spiritibus vitalibus per auras dissipatis nil nisi vappa seu caput mortuum remaneat, unde pereat spes restitutionis. Porro dividi commode in endemias & epidemias, in intermittentes (quo & vagæ pertineant) & continuas varias. Galeni autem divisionem in putridas & non putridas justissime rejici, cum in omni febre mixtura sanguinis turbata, i. e. putredo adsit. Quartanas & quintanas continuas febres non appellari, cum materia massam sanguineam per triduum mixtura sua privans, & quarto vel quinto die de novo sanguinem perturbans, in rerum natura dari non possit. Quæ autem causa varietatis in febribus sit, ut nunc intermittens, nunc continua affligat, & cur periodos adeo exactas, ut horologii superent certitudinem, observent, explicare cum ratione auctor contendit. Pestem vero vel paucis solummodo symptomatibus, vel plane non ab ardentibus & malignis febribus discrepare existimat. Hinc VI° phænomena in febribus obvia accuratius, atque ab aliis vidit, explanaturus, prolixam eorum seriem brevi linea adumbrat, & memorantur pulsus nunc debilis, nunc vehemens, celer, frequens, intermittens, inæqualis &c. refrigeratio totius corporis, rigor, livor labiorum & unguium, pandiculationes, oscitationes, sudores, lacrimæ involuntariæ, alvus adstricta, item muscæ, aranearum telæ oculis obversantes, sitis inextincta, dolores capitis pungentes, pulsantes, nec non phrenitides, vigiliæ, deliria, anginæ, pleuritides, peripneumoniæ, aphthæ, æstus ingens, corporis jactationes, respirationes crebræ, suspiria, cibi fastidium, cardialgia, nausea, vomitus, cordis palpitatio, strabismi, singultus, tusses humidæ & siccæ, quandoque sensuum stupor, somnolentia, lipothymiæ, dolor cinguli instar circa præcordia, sapor insipidus, sudores frigidi, ructus, dysuriæ, diarrhœæ, urinæ modis variis variantes. De hisce singulis causam auctor brevissima expositione reddit. Mox VII° prognosin sub-

sin subjungit cum experientia, tum auctoritate aphorismorum Coi nitentem. Atque hic obiter quæstionem solvit de febre ad incisionem peccantis materiæ crassæ studio excitanda. Scilicet temerario, nec Medicum Christianum decente ausu id consilium iniri. Nam revera medicamenta febrim producentia non dari: aut si dentur, forsan febrim & mortem eadem hora esse adductura. De cætero VIII° omnem curæ cardinem in eo versari tradit, ut mixtura sanguinis turbata suo ordini restituatur, caveaturque ne jamjam turbetur ulterius. Non alia autem hactenus innotuisse orbi literato remedia illud efficientia, præter diaphoretica ob pororum suorum constantiam aptissima. Quatuor tamen cautelis in illorum usu utendum monet: (1) ut hora una vel altera ante paroxysmum præbeantur, (2) ut vacuo a cibis solidis aliisque medicamentis ventriculo propinentur, (3) ut plane ab iisdem abstineatur, si sanguis intemperie pituitosa laboret, (4) ut febre jam superata, doses sudoriferi aliquot adhuc repetantur, quo sanguinis mixtura reddatur constantior. Medicamenta hinc nonnulla subdit, quæ inter Theriaca, Mithridatium, diascordium, sal volatile cornu cervi, ungulæ alcis, viperarum, spiritus salis Ammoniaci, nitri, sulphuris &c. reperiuntur. Præter autem diaphoretica, fatetur esse quoque vomitoria in auxilium apta, fomitem scilicet ex suo latibulo excussura. Verum cum non raro animam prius quam febrim evomat æger, juniorque Medicus cum ad curam, tum ad famam suam scrupulose attendere debeat; priorum potius usum suadet. Deinde venæsectionem in synocho ad uncias octo, decem vel duodecim instituendam jubet, exceptis tamen languore confectis, item gravidis & puerperis; quamvis & his sub certa lege eandem esse concedendam arbitretur. Purgationem per se non indicari; adstrictiorem tamen alvum haud mora solvendam medicamentis a se propositis. Quod si his nihil proficiatur, fortiorem catharsin esse negligendam, substituto clysterum emollientium usu. Inter symptomata sitim profligari facile medicamentis ex nitro & camphora maxime petitis: vigilias emulsionibus papaverinis & unguentis similibus, aut denique opiatis. In quartana reliquis omnibus contumaciore, corticem chinæ de China præ aliis laudat. Tandem euporista quædam cum externa tum interna recenset febrim jugulantia, eorundemque agendi

agendi modum succincta ratione explicare annititur; quo facto diætæ præscriptio libelli finem constituit.

GUILIELMI SALDENI ULTRAJECTINI DE Libris varioque eorum usu & abusu libri duo.

Amstelodami, ex officina Henrici & Viduæ Theodori Boom, 1688. in 8.

TRactatum hunc Clarissimus Auctor Otiis suis Theologicis, quæ in actis nostris Calendis Nov. 1684. recensuimus, præmittere olim decreverat. Verum cum nimis eum excrescere, & argumentum non mere theologicum, sed generalius continere animadverteret, animum postea mutavit, & istas de librorum usu ac abusu lucubrationes in peculiaris opusculi formam redigere maluit. In anteloquio non solum styli ac methodi qua usus est rationem reddit, verum etiam *Anonymum* quendam Gallum, qui septimam Simonianæ Criticæ editionem procuravit, & in actis nostris Cal. Febr. 1686 p. 100 memoratus est, ob asperiorem Otiorum suorum Theologicorum censuram breviter perstringit, seque ejus scommata generose contempturum profitetur.

In ipsa tractatione primum Scriptores cum cantoribus illis Horatianis comparat, quibus hoc vitium,

inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati,
Injussi nunquam desistant.

Deinde de veteri libros compaginandi & exornandi more disserit, & viros quosdam polygraphos, nec non fœminas eruditione illustres recenset, earumque studia literaria contra *Lipsii* querelam, & Talmudicos nullam mulieri nisi in colo sua sapientiam permittentes, defendit. Hinc ad librorum copiam progreditur, & insignes quasdam bibliothecas memorat, quibus in paralipomenis suis adjungit primarii cujusdam in Belgio viri librariam supellectilem, quam sedecim circiter librorum in folio millibus, & quadringentis Bibliis constitisse, ex ipsius Filio *Adriano Pavio* cognovit.

In media bibliothecarum recensione in primum artis typographicæ inventorem inquirit. Postea quæ *Cartesius* & alii contra li-

brorum, quæ indies accreſcit, multitudinem afferunt, ita diluit, ut uſum ab abuſu diſtinguat. Exemplis eorum, qui literarum uſum Reipublicæ noxium cenſuerunt, in prædictis paralipomenis addi cupit Noricæ oppiduli in Italia incolas, qui in hunc usq; diem ſolicite cavere perhibentur, ne quisquam niſi plane illiteratus ad civitatis ſuæ gubernacula admoveatur; unde quatuorviri illi, quibus integer Senatus conſtat, *li quattri illiterati* appellantur. Adverſus hujusmodi literarum hoſtes adducit dictum Caſparis Colignii, celebris illius Amiralii in laniena Pariſienſi trucidati, qui literarum imperitiam non ſolum religioni, ſed & ipſi reipublicæ magnam caliginem in Gallia offudiſſe pronunciavit; ut alia, quæ pro commendandis literis affert, argumenta ſilentio involvamus. Cauſas præterea, cur nonnulli Scriptores a componendis & edendis libris abſtinuerint, exponit, & libros non propriæ gloriolæ, ſed publicæ utilitatis cauſa ſcribendos eſſe monet, plurimaque bonorum librorum commoda recenſet; quod dum facit, varios ſententiarum & exemplorum floſculos colligit, adductis inter alia exemplis *Hyperii*, qui ne ullam e ſcriptis ſuis laudem captaſſe videretur, ea demum poſt mortem prodire voluit, & *Gatakeri*, qui amicorum precibus flecti non potuit, ut effigiem ſuam exprimi pateretur, nec ullum ſibi monumentum poni voluit præter ea, quæ ipſe ſibi egregiis libris exaratis ſtatuerat.

Ad prudentiam in ſcribendis libris obſervandam requirit maturam deliberationem, & calamum non præcipitem, notans peccaſſe nonnunquam contra hanc legem *Hieronymum* & *Eraſmum*, qui tamen in epiſtola quadam culpam in typographos rejicit, qui fœtum conceptum matureſcere non permiſerint, ſed invita Lucina per abortum ejicere coegerint. *Johanni* quoque *Foxo Burneti* verbis nimiam feſtinationem, qua in errores nonnullos prolapſus fuerit, exprobrat, & cauſam, cur libri nonnulli tam cito pereant, non aliam eſſe dicit, quam quod tam cito nati fuerint. Producit inſuper *Johannem Morinum*, quem exercitationum ſuarum de patriarcharum & primatum origine feſtinantius evulgatarum paulo poſt pœnituit, & alios Scriptores, quos in provecta ætate juvenilium ſcriptorum puduit. Non diffitetur tamen, dari nonnunquam homines tam ſubiti & vividi impetus, quibus longe meliora fortuito excidant, quam quæ alii vix longo & diuturno labore excudunt. Deſiderat porro

porro in Scriptoribus lenitatem, B. noſtrum *Lutherum* arguens, quod cum magno reformationis diſpendio, nimia in ſcribendo aſperitate & vehementia uſus fuerit.

Longum eſſet omnia referre, quæ de bono ordine in ſcribendis libris obſervando, deque ſcribendorum ſoliditate & perſpicuitate memorat. Brevitatem plurimis veterum ſententiis commendat, & refert *Frobenium* conqueſtum, quod in nundinis Francofurtenſibus ne unum quidem exemplar librorum *Auguſtini* de civitate Dei cum notis *Lud. Vivis*, ob neglectam in iis brevitatis legem, divendere potuerit. Comparat Scriptores imperitos & tamen verboſos cum iis, qui corpore tenues veſte ſe dilatant. Deinde & media quædam brevitatis aſſequendæ oſtendit, ac inter alia erambem ab aliis Scriptoribus jam toties appoſitam non recoquendam eſſe monet, qua occaſione de plagio literario plurima cumulat. De lectione librorum hoc in genere contra *Grunewaldum* & alios obſervat, quod præter Scripturam S. alii quoque libri, ne gentilium quidem exceptis, legendi ſint. Poſtea refellit calumniam *Ægidii Camarti*, qui ex *Surio* narrat, Lutherum Melanchthoni & Caroloſtadio ſuaſiſſe, ut ab omni ſecularium literarum uſu abſtinerent. Plane vero abhorret a ſententia, quam ex Hebræorum Magiſtris *Voiſinius* in proleg. Theol. Jud. adduxit: memento fili, majorem ſemper præceptorum Rabbinicorum, quam legis Divinæ curam eſſe habendam. Utilem librorum legendorum ordinem antequam præſcribat, eos exagitat, qui libros ad pompam & ſpectaculum ſibi comparant, & maximam eruditionis ſuæ partem in eo collocant, quod inſtructiſſimis bibliothecis gaudeant. Lectionem autem, ne fructu ſuo careat, non modo repetitione, meditatione, oratione, collatione, & continuatione, ſed etiam adverſariis juvandam eſſe cenſet, in quibus colligendis lectores non ſpongiis omnia attrahentibus, nec clepſydris omnia dilabi ſinentibus, ſed ventilabro ſimiles eſſe cupit, quod palea excuſſa bonum triticum retinet. Ultimo denique libri primi capite, de inſigni quorundam in libros affectu agit, & eos imprimis recenſet, quibus libri omni pretio cariores extiterunt.

His libro ſecundo eos opponit, qui ſingulari odio libros proſecuti ſunt. *Andream* autem *Naugerium*, qui quotannis ſtato die Martialis quædam volumina cum execratione Vulcano dicavit, non tam

tam librorum, quam petulantiæ & impudicitiæ hostem fuisse judicat. Inter causas μισοβιβλίας refert ignaviam, avaritiam, innovandi pruriginem, thrasonismum & invidiam, quas dum evolvit, multa lectu haud injucunda immiscet, quæ repetere hic non licet, ne contra laudatam ab Autore brevitatem peccasse videamur.

STEPHANI BRODERICI NARRATIO DE prælio, quo ad Mohatzium anno 1526 Ludovicus Hungariæ Rex periit, cum Commentario Joh. Caspari Kuhnii.

Argentorati, apud J. F. Spoor, 1688, in 8.

MEmorabilis omni ævo rerum Hungaricarum catastrophe, quam immenso Dei Ter Optimi Maximi in orbem Christianũ beneficio hodie contuemur, Magno cuidam Viro dubio procul ansam dedit, ut funestum prælium Mohatzianum, a quo reliquæ inde ad ætatem usque nostram calamitates agminatim in Hungariam fluxerunt, in memoriam publice revocandam esse censeret: cujus adeo monitis unice obsecundatus Clarissimus Kuhnius, scriptum præsens, brevi commentatione illustratum edidit. Autor ejus est *Stephanus Brodericus* (aliis *Broderithus*) regni Hungariæ tunc temporis Cancellarius, & Episcopus Vaciensis; Regi Ludovico infaustæ illius expeditionis comes, atque ex tot, qui aciei interfuere, regni Episcopis solus prælio superstes: vir *Jovio*, ab eruditi vi ingenii, & dexteritate in omni rerum actione; *Editori* vero nostro, ab amore in patriam regemque suum, a fide, ab animi candore & moderatione, toto argumenti contextu vel maxime elucentibus, commendatissimus. Ipsam narrationem, a *Joanne Sambuco* olim recognitam, subnexam alias habemus *Bonfinii decadibus rerum Hungaricarum*; exscriptam præterea fere integram a *Caspare Ens* in *rebus* suis *Hungaricis*. Cujus ideo recensu Lectorem eruditum distinendum esse non arbitramur: nisi quod commendationi ejus, *Editoris* suffragio & suo merito notamus, non intra vulgaris narrationis modum *Broderici* operam consistere, sed præter luculentam ipsius prælii descriptionem, Hungariæque designationem geographicam, altius

altius præterea statum infelicium illorum temporum repetere; personas hujus tragœdiæ præcipuas characteribus suis distinguere; Lectorique adeo ad causas tam lugubris exitus indagandas viam expeditissime verissimeque sternere; eumque omnino historici prudentis & infucati partes ita implere, ut quod imitentur, qui manum conscribendis historiis admovent, rectius exemplar habere non posse oppido dicendum sit.

Commentationi suæ *Editor* procœmii loco de genere scripti & autore præmittit, quæ supra compendio retulimus. Post de iis quæ prælium antecessere, deque statu rerum per Hungariam, Europam Christianam, regnumque Turcicum disserit: ut post Matthiæ Corvini excessum, sub Uladislao successore, quietis studioso, militaris disciplina & robur Hungaris sensim perierit; Regeque a suis odio & contemtim habito, Procerum & Magnatum increverint factiones, luxus, avaritia & ambitio: utdeinde sub Ludovico adhuc puero mala hæc aliaque in extremum regni exitium adoleverint; Rege, utut optimæ indolis, & ad virtutes quasvis sua sponte mire proclivi, negotiis tamen curisque regni per pravam educationem non assuefacto, Optimatum insuper injuriis undique exposito, & gliscentibus interim per cæteram Europam bellis dissidiisque, ab auxiliis externis summeq; necessariis destituto: ut Solimannus Turcarum Imperator, regni florentissimi viribus & sua virtute subnixus, miseræ Hungariæ graviter incumbere cœperit, & ex violato (sive vera, sive ficta injuria) qui pacem Hungaris ex mandato Domini sui offerebat legato suo, causam bello & occasionem quæsiverit, quod mox Hungaris, nuptiarum Ludovici cum Maria Caroli V sorore solennibus occupatis, cum Belgradi (quod dum hæc scribimus felicissimis Electoris Bavariæ Potentissimi auspiciis, summaque militum Germanorum virtute, infensissimo hosti maxima ipsius clade extortum, Invictissimum Leopoldum nostrum glorioſa lauru circumcinxit) & Sabatiæ expugnatione exorsus est; interceptum quidem mox expeditione Rhodiensi, at quinquennio post, cum Hungaros tanto suo damno nihilo humiliores, & pacem cum ipso dedignantes experiretur, summis iterum viribus resumtum. His jungit Procerum Hungariæ tunc temporis præcipuorum, Palatini, Vaivodæ Transylvani, & Pauli Thomorii Archiepiscopi Colocensis cha-

sis characteres: quem posteriorem, Ducem fatalis hujus expeditionis, historicis passim alias pessime audientem, *Brodericus* ob excellentem virtutem extollit; *Kuhnius* etiam a culpa cladis acceptæ absolvit, & *Cuspiniani* suffragio, excitatorum ad defendendam patriam ignavorum Hungarorum summam laudem tribuit. Succedunt his, quæ ante pugnam Mohazianam partium utrinque fuerint consilia, & præluforiæ aciei velitationes, actionesque aliæ & apparatus, viresque: ubi quantum scriptores alii a *Broderico* diversi sint, (quorum complura Thomorium attinent, eique patrocinantur) aut quæ ipse non prodidit, *Commentator* studiose enarrat & supplet; paremq; operam præstat circa præliũ ipsum, & quæ illud insecuta sunt.

Illustrat commentationem subjecta appendix gemina, de causa rei tunc male gestæ, & paralleliſmo cladis illius cum nupera, quam DEi benignitas eodem loco Turcis, ordine rerum actionumque prospere converso, referri fecit.

RAYMUNDI VIEUSSENS, DOCTORIS MEDICI Monspelienſis, Tractatus duo. Primus de remotis & proximis Mixti principiis, in ordine ad corpus humanum ſpectatis. Secundus de natura, differentiis, ſubjectis, conditionibus & cauſis fermentationis, in quo præcipua, quæ in ipſa fermentatione obſervantur, phænomena explicantur.

Lugduni, apud Johannem Certe, 1688, in 4.

QUam præclare Nobiliſſimus Autor de Orbe literato mereatur, accuratas non minus atque frequentes cadaverum humanorum ſectiones ſtrenue adornando, utpote quorum quadringenta circiter, quindecim intra annos in noſocomio Monspelienſi aperuit eum in finem, ut internorum affectuum morboſorum cauſas plane detegeret, non modo Neurographia ejus, quatuor abhinc annis in lucem emiſſa, & in Actis noſtris A. 1685, p. 334. recenſita, luculenter comprobat; ſed & evidentius Anatomia Corporis Humani integra, variis iconibus ad vivum fideliter delineatis atque æri inciſis illuſtrata, partium uſus mechanica ratione evolutos exhibens, neque non

non Obſervationes Anatomico-Practicæ, internorum morborum naturam, differentias, cauſas, & diagnoſtica atque prognoſtica ſigna enodantes, impoſterum ab eodem edendæ, prout in Frontiſpicio Tractatuum præſentium Lectori promittuntur, declarabunt. Rationes interim prædictis in operibus, ac præſertim in obſervationibus Anatomico-Practicis adducendæ, cum chymicis præcipue principiis ac fermentationis legibus innitantur omnes, perſpicuam hanc principiorum Mixti, non ſecus ac fermentationis explanationem publici ante ea juris merito facit Noſter, haud erubeſcens fateri, cogitata quædam celeberrimi Gallorum philoſophi, Petri Sylvani de Regis, hic crebro a ſe, quo telam cœptam exacte pertexeret, uſurpata. *Tractatu primo* in Mixti principia, cum remota, tum proxima Cap. I.
inquirens, illa Elementorum nomine indigitat, veluti partes materiæ primæ, ſpectatas qua primis formis tunc donatas, quando primum ipſa materia prima vi motus a Supremo Numine producti diviſa fuit. Qua diviſione prima peracta, quemadmodum partes materiæ inde propullulantes, vel tenuiſſimæ, diverſiſſimis aut tantum non omnis generis figuris præditæ, & motu perniciſſimo agitatæ; vel mediocres, rotundæ & mediocriter veloci motu donatæ; vel craſſæ, figuris maxime irregularibus inſtructæ, ac omni fere motu deſtitutæ, concipiuntur: ſic non niſi tria Elementa admittenda eſſe, quæ in ſe ſive abſolute, & in ordine ad alia corpora & ad ſenſum conſiderata, recte definiri queant corpora ſimplicia & ſenſibilia, reliqua corpora cuncta componentia, ita quidem ut ſingulorum formã peculiaris particularum magnitudo, figura & motus, tanquã genuinum formarum primarum fundamentum, conſtituant. Elementorum horum primum Ignis ſive Animæ Mundi, ſecundum Ætheris, tertium denique Terræ nominibus vulgo inſigniri, eaq; etiamſi diutius, quam alia corpora, formas ſuas ob qualitates parum ſibi invicem contrarias conſervent, frequentibus nihilominus mutationibus eſſe expoſita, & tertium elementũ in ſecundum, ſecundum in primum, & primũ in ſecundum atque tertium indeſinenter mutari. Sed proximorum mixti principiorum quo natura & numerus determinentur, eademque corpori humano commodius adaptentur, Formæ eſſentialis primum, hinc Mixti, Partium demum Corporis Humani conſideratio præmittitur. Circa Formam Corporum eſſentialem, tum Cap. II.

hæc in genere seorsim sumpta ab anima, veluti modorum partium essentialium corporũ combinatio, a qua omnes corporum proprietates emanent (destructa siquidem eadem proprietates omnes adeoque formam ipsam, a qua proveniunt, illico evanescere) expenditur, & vel innaturalem & artificialem, vel exteriorem & interiorem, vel simplicem & compositã dirimitur; tum speciatim naturalis & interior indagatur, in ordine ad omnes mixti proprietates lustrata a tribus distinctis combinationibus modorũ & partium essentialium, & integrantiũ, majorum pariter atq; minorum, mixti dependens, a forma essentiali artificiali, oriunda a modis quibusdã sensibilibus & in modis tantum integrantiũ majorum mixti partium fundata, multum discrepans. Mixtũ vero, corporis humani ceu speciei gratia necessario præcognoscendum, in genere corpus e partibus exhibetur compositum generis diversi, & quidem triplicis, primigeniis videlicet sive elementis, essentialibus seu principiis proximis, & integrantibus tum majoribus tum minoribus, mixto quantitatem, non essentiam largientibus. Quod idem in se, respectu saltem habito ad partes ejus vel continuo agitatas, vel quiescentes, vel de motu & quiete simul participantes, aut liquidum, aut durum, aut molle declaratur, singula præter occasiones ab elemento primo & secundo in aere ambiente ubique obviis potissimum producta; mixtum vero in ordine ad sensum sive tactum, cum modo relative durum, molle & liquidum, modo læve & asperum, calidum modo & frigidum, modo siccum & humidum denominetur, sensationes hæ singulæ in ordine vel ad mixtũ, a quo efficienter producuntur, vel ad organum tactus, vel ad tactum ipsum explanantur. Partes denique corporis humani quod concernit, vulgatis earum divisionibus susq; deq; habitis, ad mixtorum potius macrocosmum componentium exemplum, in duras, molles, liquidas, læves, asperas, calidas, frigidas, siccas & humidas discriminatæ illustrantur, ac duræ & molles in specie, proprietatũ earundem explicandarum gratia, poris triplicis generis, nempe magnis, mediocribus, & exiguis gaudere observantur, quorum isti maximam partem exilienti ex arteriis sanguini admittendo, eique in venas refundendo dicati sint; illi phlegma defæcatissimum, terra, sale & sulphure impræg natum a sanguine excipiant; hi vero a primo saltem & secundo elemento, nec non a maxime volatilibus sanguinis, & præ-

Cap. III.

Cap. IV.

Cap. V.

Cap. VI.

& prædictæ substantiæ fluidæ partibus, utpote transpirationis insensibilis materia, penetrentur. Phlegmatis scilicet defæcatissimi nomine illam venire substantiam, qua partes duræ & molles nutriantur & augeantur, quæque in se sit pinguis ac moleculis insensibilibus vorticoso motu continuo agitatis donata, & vel innata, partibus nominatis a prima productione inhærens, ac ratione partium aut crassiorum, aut tenuiorum, modo humidum radicale sive primigenium, modo calidum innatum & spiritum insitum, tam naturalem, quam vitalem & naturalem, essentia invicem omnino convenientes, constituens; vel adventitia a sanguine suppeditata, & jacturam fluidæ innatæ resarciendo, itidem vel humiditatem adventitiam, vel adventitium calorem concilians, ac spiritum influum animalem, vitalem & naturalem efformans. Unde sanguis cum vitæ fons sit naturaliter constitutus & ordinate motus, alimentum, vigorem & motũ singulis corporis partibus impertiens, quo munia intra sanguinem a proximis mixti principiis exequi solita, & inferius dilucidanda elucescant, hujus solius explicationi præ aliis corporis liquoribus insistitur; essentiam ejus non minus, ac motum duplicem, circulationis & fermentationis, evolvendo. Essentia sanguinis determinatur, quod corpus sit liquidum, pingue, rubrum, in corde formatum, reliquis corporis partibus calorem, humiditatem, nutrimentum & motum præbens, vitamque adeo conservans, cujus moleculæ sive corpuscula e terra, phlegmate, sale & sulphure videantur conflatæ, ac respectu ad magnitudinem habito, tenues, mediocres & crassæ, tribus elementis quodammodo respondentes intelligantur. In specie, sal triplex sanguini inesse, tribus experimentis indicatur: sal nempe fixum e latice aquoso Ascitici cujusdam extractum, magnam in lingua acrimoniam excitando, quam levis tantum evanidaque aciditas comitetur, valdeque cum acido quodam spiritu fermentescendo, de salis acris sive alcalini in sanguine præsentia naturali testari; sal autem pingue ex hominis sani sanguine exustionis, lixivii & evaporationis ministerio elicitum, aciditatem minime molestam præbere gustandam; urinæ denique salsedinem, & terrestre sal neutrum ex ipsa extractum, dum ignis vi in vapores solvitur, neutrum sanguinis sal demonstrare. Circulatio vero sanguinis, quoniam a corde tanquam centro corporis per arterias ad

C. VII.

C. IIX.

rias ad peripheriam,& ab hac per venas ad centrum denuo progreditur, partes hæ ſingulæ luſtrantur prius, quam rationes ſanguinis
Cap. IX. circuli indagentur. Scilicet Cordis,veluti muſculi digaſtrici, tum exactiſſima traditur Deſcriptio, Tabulis æneis novem ſingulas cordis humani partes ad vivum repræſentantibus illuſtrata; tum motus aliquid elaſticitatis æq; involvens ac arteriarum motus,ita delinea-
Cap. X. tur, ut elatere in genere, tanquam vi occulta & extrinſeca, cujus opere corpora inflexa naturalis tenſionis ſtatum recuperare nitantur, a primo & ſecundo, vel a primo tantum elemento, corporibus quibusdam duris & flexibilibus, longis nempe & in ſpiras ſive circulos efformatis,diverſimode communicata, (quatenus corpora flexibilia dura, elateris capacia, longa tribus modis, ſpiralia vero duo-
Cap. XI. bus ſaltem illum acquirere demonſtrantur,) exacte cognito, nec non octo ſuppoſitionibus præmiſſis, inter omnes conſtet, contractionem ventriculorum & auricularum cordis, poſt primam eorundem in Protoplaſtis noſtris contractionem factam, a colore ſive motu vorticoſo ſubſtantiæ fluidæ intra mediocres illorum poros reconditæ, ab impulſu ſpiritus animalis,& a niſu materiæ primi ſecundique elementi, ceu tribus cauſis ſeſe invicem juvantibus & quaſi unica vi agentibus, proficiſci; dilatationem vero ab elaſtica illorum vi priori oppoſita, inter contrahendum acquiſita,& ab impulſu ſanguinis ventriculos & auriculas magnosque cordis poros ſubeuntis, velut a binis cauſis invicem concurrentibus præſtari. Exinde facillimum explicatu eſſe phænomenon, quod eruditiſſimorum plurium virorum ingenia hactenus valde contorſit: cur in apoplecticis & in animalibus, quibus nervi octavi paris & bini intercoſtales ſub ingreſſum in cavitatem pectoris præſcinduntur, cor ad aliquot horas, imo & aliquando ad dies integros regulares contractionis & dilationis motus obeat? Cor nempe ſemel contractum, citra ullum ſpiritus animalis ſubſidium, virtutis ſuæ elaſticæ ope & ſanguinis impulſu dilatari,dilatatum autem vim elaſticam priori oppoſitam ſibi comparando,ac motum propterea verticoſum ſubſtantiæ fluidæ vegetiorem obtinendo, viciſſim æqualiter contrahi, ſucC. XII ceſſive tam diu, quoties nullo impedimento objecto,ſanguinis auriculas ejus & ventriculos æquali permeare paſſu conceditur. Arteriarum vero origo, natura, ſtructura & diſtributio pariter exhibetur, ac ve-

ac venarum,quarum illæ inſtar tuborum teretium e cordis ventriculis exilientes,ſanguini excipiendo & ſingulis corporis partibus affundendo dicatæ,quatuor conſtent tunicis duris & flexibilibus,fibras duplicis generis,longas & annulares,imo perexiguas quasdã propa- C. XIII.
gines nerveas alicubi intertextas oſtendentibus; hæ autem ſive venæ arteriis ubique duplo fere ampliores, tubi exiſtant ſanguini ab arteriis corporis partibus affuſo recipiendo,& ad ventriculos cordis revehendo deſtinati, unam ſolummodo tunicam propriam communi tectam, duram maximeque flexibilem habentes, perexiguis quibusdam propaginibus nerveis alicubi tantum intertextam, vena pulmonari juxta ſiniſtram cordis auriculam,& vena cava prope auriculam dextram ſaltem exceptis, utpote ibi locorum ſatis carneis,& fibras nerveas quamplurimas recipientibus, ita quidem, ut vena cava ibidem in membranoſum quoque, craſſum & transverſim ſitum expandatur proceſſum, auriculæ dextræ cordis motum æmulando, valvulæ modo clauſæ, modo apertæ vices gerentem. Ex jam dictis uti clare intelligitur,arterias a motu ſanguinis expanſivo, ab
impulſu a corde ipſi communicato, & a vi elaſtica inter contrahendũ C. XIV.
acquiſita, dilatari; contrahi vero a motu vorticoſo fluidæ illarum ſubſtantiæ, impulſu ſpiritus animalis, & a virtute elaſtica priori contraria: ita quin circulatio ſanguinis non cordis ſaltim, ſed & arteriarum debeatur impulſui, vix dubitationi relinquitur locus. Inveſtigatur potius pluribus, quas mutationes ſanguis diverſas corporis partes transfluens patiatur,quæq; munia in iisdem præſtet; itẽ cur venæ, ubi nullis carneis fibris donantur, haud pulſent, id quod ſanguini in venis e locis ſemper anguſtis in latiora migranti, poC. XV. tiſſimum acceptum fertur. Tandem Fermentatio ſanguinis, quam calor ab eadem proveniens neutiquam ſanguinis vaſis, nec liquiditatis motui, nec circulationis adſcribendus prodit, motus venditatur adventitius ac expanſivus,a moleculis, (quibuscunque aliis craſſis, mediocribus & tenuibus, quacunq; ratione invicem combinatis, excluſis) tantum mediocribus, ſalino-acribus & ſalino-acidis, utpote ſolis aptis pugnando inter ſeſe, fermentationi calidæ excitandæ re- C. XVI.
ſultans.Hujus locus primarius,neq; arteriæ& venæ,neq; arteriæ ſolæ, neq; pulmones,ſed unicũ ſtatuminatur Cor,tanquã viſcus ſanguinis fermentationi ciendæ absque ullo peculiari fermento conveniens,

non

non minus ob ventriculos ita conformatos, ut fermentativa ſanguinis eos ingredientia principia, expedite in ipſis penetrare ſeſe adeoq; fermentari queant; quam ob parietes eorundem ventriculorum valde craſſos & denſa membrana exterius obductos, ejusmodi motus niſui, utut vehementi, ſatis reſiſtentes. Unde cum chyli in ſanguinem mutatio verum ſit opus fermentationis, quam ſanguis in corde patitur, polypis namque cordis craſſioribus laudabilem ſanguinis & chyli fermentationem impedientibus, ſanguinem ob chylum minus mutatum evadere aquoſiorem, hydropi modo particulari, modo univerſali incurabili producendo proportionatum, Cor veram ſanguinis officinam eſſe, ac fermentationem ſanguinis, æque ac circulationem, ad hominis conſervationem efflagitari col-
C. XVII. ligitur. Sic prolixiori formæ eſſentialis, mixti & corporis humani partium, præſertim ſanguinis, cordis arteriarum & venarum, tractione finita, ad proximorum mixti principiorum contemplationem, veluti corporum ſimplicium & ſenſibilium mixtum immediate componentium, fit tranſitus, quæ luſtrata vel in ſe, prout e particulis revera in omnibus inter ſe ſimilibus & ab omnibus aliis diverſæ naturæ ſegregatis conflantur, vel ad ſenſum tantum ſimplicia e corpuſculis ad ſenſum ſolummodo homogeneis coagmentata, numero determinantur quatuor: terra, phlegma, ſal & ſulphur; ſpiritu quocunque, utpote vel ſale acri, vel acido, vel ſulphure in pauco
C. XIIX. phlegmate ſoluto, a principiorum claſſe ſemoto. Tot ſiquidem e plantis & animalibus experientia teſte elici, quamvis in aliis quamplurimis, v. g. foſſibilibus, adeo ſtricte ſimul uniantur, ut arte nulla ab invicem ſeparari queant, quin nativæ ipſorum figuræ prorſus mutentur, aut ſaltem non omnia, ſed tria tantummodo vel duo texturam eorum ingrediantur. Terra in ſe corpus durum denominatur & friabile, e pluribus particulis inſenſibilibus mediocriter rigidis, obtuſis, maxime irregulari figura donatis, ſimulque unitis
C. XIX. conflatum. Phlegma corpus liquidum pluribus particulis inſenſibilibus, lævibus, flexibilibus, undantibus ſimulque unitis conſtare
Cap. XX. concipitur. Sal corpus durum, e particulis inſenſibilibus, longis, rectis, rigidis, acutis ſimulque unitis contextum effertur, vel acre, vel acidum: quorum illud particulis ſuperficiem ſimul aſperam & inæqualem habentibus donetur, nec Spagiricis quibusdam ſentientibus

tibus e ſale acido ignis vi immutato, & cum partibus quibusdam terræ ſtrictiſſime unito confici, ſed naturale potius dari, quamplurimarū plantarum pluriumque fructuum ſucci acres ſine igne extracti, v. g. ſinapi, allii, cæpæ, aperte indicent; hoc vero ſive acidum C. XXI.
moleculis ſuperficiem una lævem & æqualem obtinentibus inſtruatur. Quod utrumque ſal ſi in mixto aliquo dominetur, ita ſe in- C. XXII.
vicem contemperando, ut aptum idem reddant, neutram, ſeu ab acrimonia & aciditate diſtinctam ſenſationem, ſalſedinem dictam, in guſtus organo producendi, ſalſum ſive neutrum audire, e particulis longis, rectis, rigidis, acutis, partim aſperis, partim lævibus conflatum. Voce alcali inſigniendum eſſe ſolum ſal acre e planta kali elicitum; etenim vulgatum ſalis acidi & ſalis alcali ſignifica- C.XXIII
tum illorum naturam minime indicare, nec diviſionem ſalis in acidum & alcali, omnia ſalia, v. g. neutrum, utpote neq; cum acido fermentans, neque conſtantem in lingua aciditatem excitans, comprehendere, multo minus membra diviſionis datæ oppoſita eſſe, cum unum idemque ſal relative ſumptum modo acidum ſit, modo alcalinum, v. g. ſal marinum reſpectu ſpiritus nitri, quocum non fermenteſcit, ſal acidum, & reſpectu olei vitrioli, cum quo valde fermentatur, ſal alcalinum haberi, item ſal abſinthii recens cum ſpiritibus acidis fermenteſcere, non item aliquamdiu aeri expoſitum. Sulphur denique corpus dicitur liquidum e particulis inſenſibi- C.XXIV.
libus, lævibus, flexibilibus, ramoſis ſimulque unitis coagmentatum; de quibus principiis ſingulis porro, quomodo in ſe, & in ordine ad ſenſum ſimplicia, in ordine vero ad mixtum diverſimode compoſita ſive mixta ſpectentur, item qua ratione producantur, & in ſpecie vel in aere volatilia, vel in ſanguine craſſa, mediocria, & tenuia, modo innata, modo adventitia, deprehendantur, quibusq; muniis in hoc fungantur, latius diſſeritur, digreſſionibus ad ſaporum doctrinam (p. 227.) aliaque phænomena plura, v. g. cur febres modo intermittentes (p. 245.) modo continuæ (p. 272) excitentur, item cur macilenti homines rariſſime, obeſi ſæpiſſime corripiantur apoplexia, (p. 211.) haud inſcite factis.

Tractatu vero *ſecundo* ad ſcrutinium fermentationis Autor Cap I.
ſe transferens, hujus primo contemplatur naturam, in adventitio ac expanſivo partium heterogenearum & inſenſibilium motu absque

ſenſibili cauſa excitato, ipſisque corporibus fermenteſcentibus, cum vehemens eſt, aut diu perſtat, vel eſſentialem mutationem, vel inſignem alterationem inducente poſitam, a qua ignis vel alterius extrinſecus agentis vi liquoribus inducta ebullitio toto diſcrepet cœlo, velut ſimplex tantum motus partium earundem integrantium, finita ebullitione locum, ſitum & nexum priſtinum recuperan-

Cap. II. tium. Fermentatione inde in latentem & ſenſibilem, vehementem & moderatam, calidam & frigidam diſcerpta, pro diverſis his ſpeciebus facile intelligendis, non modo definitiones & exempla adducuntur, ſed ratio quoque earundem fiendi a diſpoſitione varia & ſtructura interiori particularum ſalis acidi & acris, aut corporum aliorum vires eorum ſupplentium, perſpicue deducitur. Scilicet notato (1) ſalia acida inſenſibilibus partibus modo magis, modo minus rigidis atque acutis, gaudere, adeoque vel majorem, vel minorem ad fermentationes excitandas vim habere; (2) acria ſalia, ſive Neotericorum alcalia, & alia mixta ſale acri imprægnata inſenſibilibus gaudere particulis, ratione quarum pro diverſa mole ſua, figura & ſuperficie, vel ſtrictius, vel laxius invicem combinatarum poros aut anguſtos, aut laxos obtineant, & ipſa denſa vel rara, dura aut mollia conſtituantur; (3) ſuperficiem concavam pororum ſalium acrium & analogorum ipſis corporum, vel aſperam eſſe & inæqualem, vel lævem & æqualem. Vehementem proin fermentationem excitari concipitur, a particulis acidi valde rigidis & acutis, cum ſale acri denſo duroque anguſtiſſimis poris prædito concurrentibus, propter conatum & renixum utrobique magnum, quo ob cauſam contrariam mediocri ſaltem exiſtente, mediocrem quoque fermentationis cieri motum. Præſente vero ſalium acidorum conatu magno & ſalium acrium taliũ, quorum ſuperficies concava maxime aſpera & inæqualis, renixu pariter magno, calorem ſimul inter fermenteſcendum, imo & aliquando ignem atque flammam concipi, ratione inſenſibilium materiæ ſubtilis partium a magnis & numeroſis obſtaculis, ut circa centrum ſuum rotent, coacta-

Cap. III. rum. Hinc corpora tum dura, cum mollia & liquida fermentationi fere ſubjici commemoratur, modo heterogeneis conſtent partibus, aut cum aliis diverſæ naturæ corporibus intime miſceantur; homogenea namque corpora quævis e partibus in mole, figura, rigiditate & flexi-

flexibilitate prorſus ſimilibus conflata, ex ſe ipſis fermentationem concipere haud valere. Nec corpora dura heterogenea ita ſolida, ut ſui omnino plena ſint, adeoque meaculis interioribus careant, fermentationis eſſe capacia, ob materiam ſubtilem ipſorum interiora permeare tunc minus potentẽ, cujus niſibus quoq; dum corpora denſiora & liquida viſcida magis obſiſtant, quam quidem corpora dura rariora & liquida alia, difficilius quoque præ his in fermentationem abripi. In genere autem quemadmodum hac ratione duo ad fer- Cap. IV.
mentationem requiruntur, partium nempe inſenſibilium diſſimilitudo, & diſpoſitio earum poroſa; ita in ſpecie, cum heterogenea duo corpora invicem miſcentur, ut fermentatio producatur, duæ conditiones adſint neceſſe eſt, particularum videlicet unius, & pororum alterius peculiares quoad magnitudinem & figuram diſpoſitiones, propter quas inſenſibiles partes unius corporum duorum invicem fermenteſcentium ſola materia ſubtili comitatæ alterius poros ingrediantur; qualis habitudo vel inter acria ſalia & liquores acidos, v. g. ſal tartari & oleum vitrioli; vel inter ſalia quædam multum ſalis acidi ſimplicis continentia & liquores quosdam acidos, v. g. ſal marinum & oleum vitrioli vehementiſſimum; vel inter corpora plura omnis ſalis ſenſibilis expertia & liquores acidos, e. g. corallium & acetum; vel inter liquores quosdam omni ſale ſaltem ſenſibili deſtitutos, & alios ſale acri imprægnatos, v. g. ſpiritum vini & ſpiritum urinæ; vel denique inter corpora quædam poroſa ſenſibili omni ſale carentia, & liquores quosdam nullum itidem ſal intra ſe recondentes, v. g. calcem vivam & aquam communem, ſoleat deprehendi: teſtimonio luculento, a vero aberrare illos, qui omnes fermentationes a ſalibus acribus, alcalibus ipſis vocatis, & ſalibus acidis tantummodo pendere autumant. Præter recenſitas tamen conditiones intrinſecas, aliæ advertuntur extrinſecæ, fermentationis motum multum promoventes, variæ ſcilicet aeris, aquæ, aliorumque fermentabilia corpora ambientium conſtitutiones; moderato quippe aeris calore exiſtente, v. g. ſpirante auſtro, fermentationes omnes vigeſcere, eo quod hic craſſiores materiæ ſubtilis partes, & ſpirantes e terra halitus calidos ſecum advehat, quæ corporum fermentantium poros ſubeuntia, internas eorum particulas valide concutiendo, mirum in modum fermentationem juvent. Per ac-

cidens magis esse, quod auster aliquando transpirationem nimium provehendo, sicque corpora exsiccando, fermentationem impediat, non secus ac e diverso per accidens saltem, a frigore moderato, poros terræ convenienter constringente, fermentatio tempore hyberno in plantarum radicibus, majus tunc incrementum capientibus, adjuvatur, etiamsi frigus alias nimium halituum motus sufflaminando, & succos congelando, interiorem terræ fermentationem penitus extinguat. His aliisque conditionibus lustratis, causæ porro fermentationis investigantur, quarum efficiens & immediata subtilis seu primi elementi asseritur materia, tenuitatis summæ & motus perniciissimi intuitu sola apta, ut tum interioribus fermentabilium corporum particulis pro fermentatione excitanda immediate applicetur; tum effectus ipsos in fermentatione obvios producat, ita quidem, ut fermentatio a subtili efficiatur materia, quatenus insensibiles quædam corporum fermentescentium particulæ ea sola comitatæ totamque velocitatem adeptæ, quam ipsis communicare potest, in poros aliis eorundem corporum partibus interjectos irruant, eosque vel attritu, vel impetu suo ita exagitent & ab invicem sejungant, quo fermentationis motum vehementem aut diu perstantem essentialis mutatio, vel insignis alteratio insequatur. Adeoq; putredinem perfectam nihil aliud, quam ultimatum fermentationis gradum, quem mutatio corporis fermentati in aliud diversæ naturæ corpus immediate excipit, videri.

Cap. V.

Tandem phænomena in fermentatione occurrentia enodantur præcipua: v. g. corpora vehementi aut diuturno fermentationis motu dissolvi, ob ipsarum partium, aliarum diversi generis partium nisu supra modum agitatarum locum, situm & nexum amittentium. Nec fermentationem esse perpetuam, respectu pororum tandem adeo amplificatorum, ut ingressui secundi elementi globulorum impetum materiæ subtilis infringentium simul pateant. Item in fermentationibus aliquando præcipitationem contingere, aliquando non, prout pori primi & secundi elementi materiæ, vel admittendæ, vel plane cum aliis extrudendæ, accommodantur. Fermentationes vero alias coagulationes excipere, v. g. dum spiritus vini spiritui urinæ admiscetur, propter ramosas sive sulphureas spiritus vini particulas, spiritus acris volatilis urinæ poros ingrediendo partes hu-

Cap. VI.

TAB. XI. *ad A: 1688. pag. 557.*





tes hujus adeo arcte connectentes, ut, pori interjecti quia exigui redditi paucam admodum primi & secundi elementi copiam, liquorum prædictorum fluori conservando imparem recipiunt, mixtura fere integra duriusculum in corpus abeat.

Sub calcem denique adjicitur Observatio, divaricationes decimæ nervorum conjugationis in fine cap. 6. lib. 3. Neurographiæ, inconsulto cum divaricationibus primi paris nervorum spinalium obstrictam cum his connexionem, fuisse confusas patefaciens: truncos quippe in explicatione Tab. XIII. litera I. I. designatos, & pro nervis primi paris nervorum spinalium acceptos, revera nervos decimæ conjugationis esse; hoc vero nervorum spinalium par, quod in Tab. XIV. pro secundo accipitur, & nervos recisos B. B. immediate sequitur, primi eorundem nervorum spinalium paris locum occupare debere, adeoque viginti & novem tantum nervorum spinalium paria numeranda venire, quorum primum e vertebrarum specu, inter primam & secundam cervicis vertebram egrediatur. Præterea non ita pridem peculiaria quædam circa ramum molliorem nervorum septimæ conjugationis, ab Autore quoque detecta fuisse, a nemine antehac observata, subinnuitur, quæ breve intra tempus cum publico communicare gestiat.

COMMENTARIUS CAROLI PATINI IN ANtiquum Monumentum Marcellinæ.

Patavii, ex typographia Seminarii, A. 1688, in 4.

TRiennium necdum integrum effluxit, cum Viri Clarissimi, & antiquitatum longe studiosissimi, Caroli Patini commentarium in tres Inscriptiones Græcas, quæ Smyrna allatæ tum paulo ante fuerant, breviter, ut solemus, & summatim recensebimus. Recensitus autem is fuit in Actis mensis Decembris A. 1685. p. 581 & seqq. ubi Tryphænæ potissimum Monumentum, tanquam cæteris magis notabile, tam a Patino jam laudato, quam a nobis quoque ex parte, expositum deprehenditur. Commentario isti nunc alium commentatium submittit idem indefessus antiquitatum scrutator Patinus, in antiquum Monumentum Marcellinæ, quod & ipsum Smyrna, æque ac

Tryphænæ illud, Venetias perlatum est. Intellexerat is ex amico quodam, Venetiis statuas aliquot marmoreas apud mercatores exteros, qui ex Peloponneso eo redierant, venales prostare. Desiderio itaque videndi comparandiq; illas incensus, acquiescere non potuit prius, quam voti damnaretur sui. Acceptis, quæ æquo pretio redemerat, marmoribus aliquot, Marcellinæ imprimis marmore, utpote faberrime omnium sculpto, mirifice fuit delectatus, & quia illud insignem Theologiæ gentilis antiquitatem præ se ferebat, temperare sibi non potuit, quin hoc quoque monumentum, quod &
TAB. XI. nos hoc loco ad exemplar Patavinum ære exprimi curavimus, commentario aliquo illustraret. Marmor hoc in honorem Ulpiæ Marcellinæ, Ulpiæ Marcellæ, uti Patino quidē videtur, filiæ, Sacerdotis maximæ Deæ Veneris Uraniæ, a populo Smyrnensi ac Magnesio, prout ex Inscriptione zophori & βάσεως patet, erectum est. Cur id honoris datum Marcellinæ a populis istis fuerit, se nondum assequi fatetur Patinus. Cæterum Marcellina in medio stat marmore, gestu & habitu aliquid sanctitatis ostentante; ex utraque parte stant duæ puellæ formæ non inelegantis, quarum altera, quæ Marcellinæ a sinistris est, Patino aram ei vel basin offerens videtur, cui inscriptum est, ΕΡΩΤΙ ΟΥΡΑΝ: altera lugens, atque aliquid folio aut hastæ largiori cuspidi simile tenens; sed quod nescire se idem Patinus ingenue fatetur. Aræ Cupidinis simulacrum impositum est, & quidem non nudi tantum atque alati, ut fingi pingique alioquin solet, sed & tanquam tibicinis, quod sibi nunquam alias observatum idem Antiquarius scribit. Pone aram arbor est, cujus ex ramis serpens prominet, quæ jam cupressus videtur Patino, jam myrtus Veneri sacra. In ulteriori marmoris parte tabella observatur cum duabus arculis, in quibus thus in honorem mortuorum incendi suetum, repositum fuisse, Patinus conjicit. Imaginibus hunc in modum expositis, Græcas voces in marmoris suprema & infima parte extantes singulatim illustrat Patinus; & primo quidem multas affert Inscriptiones, in quibus Marcellorum ac Marcellarum, Marcellinorum item ac Marcellinarum honorifica fit mentio, quemadmodum nec Marcellæ ejus dememinisse potuit, quam tanquam singularis sanctimoniæ viduam tantopere ab Hieronymo celebratam fuisse constat. Dein, cum Marcellina ἀρχιερεία ἀφροδίτης οὐρανίας, h. e. sacerdos summa Ve-

ma Veneris cœlestis dicatur in marmore, ex aliis Inscriptionibus, iisque qua Græcis qua Latinis, ὀφθαλμοφανῶς ostendit, etiam fœminas olim sacerdotio seu ministerio Deorum fuisse adhibitas. Porro cum Venus cognominetur h. l. Urania seu cœlestis, occasione hac arrepta, centum & triginta præter propter cognomenta, eaque partim Græca, partim Latina, quibus Venus ab omnibus fere gentibus culta, fuit insignita, secundum seriem alphabeticam recensēt & explicat. Tandem quia in ara marmoris ΕΡΩΤΙ ΟΥΡΑΝ legitur, Cupidinis seu Amoris cœlestis cultum antiquissimum fuisse probat, distinguendumque ab aliis Cupidinibus esse docet, siquidem secundum Ciceronem lib. 3. de Nat. Deorum, tres sint Cupidines, primus ex Mercurio & Diana, secundus ex Mercurio & Venere, tertius Anteros ex Marte & Venere prognatus; secundum Platonem vero duo, alter vulgaris, alter Uranius sive cœlestis.

* * * * *

Si conjecturas superaddere conjecturis licet, quod & alias non semel circa antiqua id genus monumenta, citra malevolentiam omnem, & ea, qua fas est, modestia, nos fecisse meminimus, ecquid obstat, quo minus & Patinianæ monumenti hujus explicationi nonnihil cogitationum nostrarum adjiciamus? Neque enim dubitamus fore, ut Clarissimus Patinus, quem Virum miræ humanitatis non minus, quam raræ eruditionis esse novimus, ἐπιβάλλον μέρος hoc nostrum in bonam partem rapiat. Is p. 1. commentarii sui nondum assequi se fatetur, cur Marcellinam amplissimo ἀρχιερείας honore prosecuti sint Smyrnenses ac Magnesii. At dubium nobis nullum est, id honoris Marcellinæ ob familiam Marcellinam, præclare de utroque populo meritam, fuisse collatum. Nam uti patricii Romani, qui Magistratus summos in Græciæ Italiæque civitatibus, & per universam Græciam Asiamque gesserant, ob laudabiliter administratas functiones, vel ob ludos splendide exhibitos, statuis fuerunt honorati, (quod exemplo *Cassiciorum* confirmat Reinesius noster in Syntagmate Inscriptionum, classe V. n. LXV. f. 393.) ita uxores quoque illorum vel filiæ, ob ingentia virorum ac patrum merita, honoribus summis sunt mactatæ. *Statuas enim* (verba sunt Seldeni ad Marmor Aureliæ Faustæ) *in publico habere apud Græcos, uti & Latinos, maximum erat, quod ab aliqua civitate bene*

meren-

merentes, aut virtutis, aut benevolentiæ præmium poterant accipere, atque ideo hunc honorem largiri penes eos solos fuit, qui reipublicæ præerant, nec eam apud antiquos aliquis unquã sine illorũ decreto assequebatur. Fœminis autem quis major a Senatu vel populo quocunq; obtingere poterat honor, quam si ἀρχιερείας magnæ alicujus Deæ constituerentur? Eundem Ἀρχιερείας honorem apud Smyrnenses indepta est Nymphidia, uti apparet ex marmore, in quo donaria in exstructionem & ornatum Gymnasii Smyrnensis collata, recensentur apud Reinesium libro citato class. II, n. LXIIX p. 286; & Aurelia Fausta, teste marmore Oxonienſi II jam allegato in commentario Humphridi Prideaux f. 47. & seqq. ubi & de fœminis sacerdotibus inferioris ordinis agitur. Marcellinam hanc, quæ ἀρχιερεία Ἀφροδίτης οὐρανίας fuit constituta, celeberrimus Patinus Ulpiæ Marcellæ, quam Thyatireni ἱερείαν τῆς Ἀρτέμιδος, h. e. sacerdotem Dianæ elegerant, filiam fuisse conjicit. At enim in marmore non legitur ΟΤΑ. Θ. ut Patinus interpretatur, sed ΟΤΑ. Θ, quod nobis est ΟΤΑΛΕΡΙΟΥ ΘΥΓΑΤΗΡ. Et vero Romæ non Valerii tantum Marcelli, sed & Valerii Marcellini id temporis, testibus Inscriptionibus Gruterianis, floruerunt. Et en Inscriptionem ex eodem opere pag. DCCXI n. 12. in qua Valerii alicujus Marcellini expressa fit mentio: D. M. VAL. MARCELLÆ. VAL. MARCELLINUS. ET. AUR. RUFFINA. PARENTES. FILIÆ. KARISSIMÆ. MERENTI. FECERUNT. VIXIT. M. X. D. VIII. Accedit, quod filiæ in Inscriptionibus per patrum potius quam matrum nomina notantur, quemadmodum & par est, a potiori denominationem fieri. Sed nemini id opinionis nostræ obtrudimus, cum ipsimet conjectores hic agamus. Instrumentum autem illud, quod nescire se ait clarissimus Patinus (tenet id altera Marcellinæ ministra, non lugens, sed meditabunda, vel devota ac submissa, quales sacrificantes esse decet) ipsissimum est sistrum, ab Iside inventum, atque in sacris ejus nunquam non adhibitum. Erat enim illud *oblongum, manubriatum in ima sui parte, cancellatum trajectis virgulis, imo laminæ & nihil præterea*, prout illud describit Laurentius Pignorius lib. de Servis p. 81. ubi & sistri alicujus figura, quanquam ab hac quodammodo difformis, cum aliis instrumentis tinnientibus exhibetur. Clarius id pateſcet ex descriptione Apuleji, quæ extat Lib. XI Metamorph.

tamorph. Nam Isidem sistratam ibi describens: *Dextera*, inquit, *ferebat æreum crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonorem &c.* Verba hæc ad instrumentum ære expressum accommodari posse omnia, nobis quidem videtur. Est enim infra manubriatum, supra in morem balthei recurvatum, nec desunt virgulæ intermediæ, quæ volubiles versatilesque fuere, atque adeo ad tinnitum edendum aptæ. Sed sistrum, inquies, ad sacra Deæ Isidis pertinet, non item ad sacra Veneris Uraniæ. Hujus dubii evolutionem idem Apulejus, qui sistrum Isidis tam belle descripsit, eopse libro nobis suppeditat, dum Isidem, cujus sacris initiandus erat, ita loquentem ad se introducit: *En assum tuis commota, Luci, precibus, rerum Natura parens, elementorũ omnium domina, seculorum progenies initialis, summa Numinum, regina Manium, prima cælitum, Deorum Dearumque facies uniformis: quæ cæli luminosa culmina, maris salubria flamina, Inferorum deplorata silentia, nutibus meis dispenso. cujus Numen unicum, multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo, totus veneratur orbis. Me primigenii Phryges Pessinunticam nominant Deûm matrem; hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem; Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam; Siculi trilingues Stygiam Proserpinam; Eleusinii vetustam Deam; Cererem Junonem alii, Bellonam alii, Hecatem isti, Rhamnusiam illi; & qui nascentis Dei Solis inchoantibus radiis illustrantur, Æthiopes, Ariique, priscaque doctrina pollentes Ægyptii, cerimoniis me prorsus propriis percolentes, appellant vero nomine Reginã Isidem.* Nimirum ut Isis eadem est cum Venere Urania, si rem ipsam spectes (quemadmodum vel ex solo hoc Apuleji loco claret) ita sistrum in cultu Veneris cœlestis æque, atque in sacris Isiacis, adhibitum fuisse, nil miri est. Cur autem in cultu Deorum suorum crepitaculis ejuscemodi, ut & crotalis, cymbalis, tibiis & tympanis usæ sint Gentes, breviter nos docet Arnobius lib. VII. adversus Gentes, dum ait: *Vos æris tinnitibus & tibiarum sonis persuasum habetis Deos & delectari & affici, irasque aliquando conceptas eorum satisfactione molliri.* Cæterum non in sacris duntaxat, sed in bello quoque adhibitum fuit sistrum; quemadmodum & Amazonibus sistra tubarum loco in expeditionibus bellicis fuisse legimus. Vid. Turnebus Adversar.

versar. lib. 26. c. 33. & Salmasius ad Vopiscum in Carino. Sed ad ministras Marcellinæ Ἀρχιερείας redeundum. Hæ calamistratæ & pulchre indusiatæ videntur Patino. Nobis vero vittatæ sunt, uti & Marcellina ipsa, sic persuadente ipsa oculari imaginum inspectione. Id enim, quod capillum supra frontem continet, *reticulum* est *muliebre*, quod olim non *texta* tantum, teste Varrone, vocatum est, sed & *capital a capite*, *quod sacerdotulæ in capite id habent*, ut & *Rica, a ritu, quod Romano ritu sacrificium fœminæ cum faciant, capita velant*; verba sunt Varronis ipsius lib. IV de LL. Neque enim calamistrati quidpiam in capitibus sacerdotularum duarum apparet. Et constat, inter ornamenta sacerdotum vel maxime referri vittas, diadematis virorum quoad formam non absimiles; sicuti & ipsæ hostiæ, imo & res inanimæ Diis consecratæ, aræ puta, galeæ, comæ virginũ &c. vittis fuerunt contectæ. V. Barthius ad Statium Tom. III. p. 813. Deinde nec indusiati quid hic conspicitur (est enim indusium ab *intus*, eodem Varrone teste.) Conspiciuntur autem forinsecus duæ vestes, altera inferior vel tunica, altera superior, quam camisiam nos agnoscimus, cum & ipsa vestis sacrificantium fuerit, ostendente id Octavio Ferrario lib. III. de Re Vestiar. c. V. Quod alteram Sacerdotulam (ut Varronianum verbum retineamus) attinet, fert illa omnino aram Ἐρωῖ ἐρωνίῳ sacram, prout ipsa Inscriptio nos docet. Nam & in sacris Deæ Isidis, quæ eadem cum Venere cœlesti est, a sacerdotibus aræ gerebantur. Sic enim Madaurensis l. c. de illis: *Secundus* (antistes sacrorum) *manibus ambabus gerebat altaria, i. e. auxilia, quibus nomen dedit proprium Deæ summatis auxiliaris providentia &c.* Nec aræ tantum gerebantur in sacris illis, sed & cistæ mysticæ, seu canistra, a cannis fissis, ex quibus contexta erant, sic dicta. Sic enim post pauca pergit idem Philosophus Platonicus: *Ferebatur ab alio cista secretorum capax, penitus celans operta magnificæ religionis.* Et talis cista in hoc quoque monumento apparet, sed a clarissimo Patino forsan non animadversa. Nam serpens ille versus Marcellinæ caput se protendens, ex calatho vimineo seu cista mystica se eo protendit, sub foliis non myrteis aut cupressinis (nam harum arborũ folia non tantæ sunt amplitudinis,) sed fortean ficulnis. Erat enim ficus Cereri sacra, inde & Græce ἱερὰ dicta, quam Ceres a Phytalo hospite, ejusque primo inventore acceperat. Quid autem in

autem in cistis id genus mysticis reconditum fuerit, Clemens Alexandrinus evulgavit in admonitione adversus gentes. Sic enim ibi de cistis Cereris Eleusiniæ, ex versione Danielis Heinsii: *Quales autem sunt cistæ eorum mysticæ? Oportet enim sacra eorum revelare, & arcana enunciare. An non ea sunt sesamides & pyramides, & lana bene laborata, libaque multis distincta umbilicis, salisque pugilli, & draco orgium Bacchi Bassari? An non mala Punica, atque etiam corda, ferulæ & hederæ, & præterea placentæ & papavera? Hæc sunt eorum sancta.* Quæ arculæ vel acerræ thurariæ videntur clarissimo Patino, nobis scalptoris ornamenta videntur esse arbitraria. Nam aliam cistam in eodem monumento jam ostendimus. Si habitum Marcellinæ, quam & ipsam inter duos dextræ manus priores digitos aliquid sacri instrumenti tenere dixeris, sane is vel ipso aspectu nonnihil venerabile præ se fert. Patinus pudicitiam ipsam sanctitatemque vix melius designari posse censet, cestumq; agnoscit fluxam hanc tunicam, tanquam Veneris Uraniæ propriam. Atqui κεστὸς cingulum erat Veneris, ad amorem libidinemque vel maxime excitans, quemadmodum & τῆς Κύπριδος κεστὸν habere proverbialiter dicuntur, qui novis modis quemlibet in amorem sui pelliciunt; quale quid in pudico ac sancto hoc habitu nihil advertitur. Sed a Venere Urania tandem ad Ἐρωῖ ἐρωνίον, h. e. Cupidinem cœlestem veniamus, qui raro exemplo tanquam tibicen seu fistulicen in ara repræsentatur. Tibiarum alias cum in aliis Gentilium sacris, tum in magnæ Deum Matris, h. e. Isidis vel Cereris fuisse usum, Vir clarissimus Caspar Bartholinus lib. II. de Tibiis veterum c. 8. ostendit. Sed quandoquidem in Veneris Uraniæ cultu & Amor Uranius exhibetur, harmonica ejus tibia denotare videtur vel harmoniam siderum, priscis Philosophis persuasissimam, vel potius harmonicum rerum cœlestium cum sublunaribus concentum. Amorem certe ducem & choragum harmoniæ rerum omnium facit Claudianus, præglorioſissimus poeta, Panegyrico in IV Consulatum Honorii, ubi Theodosius Pater Filio saluberrima regnandi præcepta inculcat. Sic enim ille:

Nonne vides, operum quod se pulcherrimus ipse
Mundus AMORE liget, nec vi connexa per ævum
Conspirent elementa sibi? quod limite Phœbus
Contentus medio, contentus littore Pontus &c.

De eodem Amore ſcite admodum Boethius lib. II. de Conſol. Carm. VIII.

Quod mundus ſtabili fide
Concordes variat vices,
Quod pugnantia ſemina
Fœdus perpetuum tenent,
Quod Phœbus roſeum diem
Curru provehit aureo,
Ut quas duxerit Heſperus
Phœbe noctibus imperet,
Ut fluctus avidum mare
Certo fine coerceat,
Ne terris liceat vagos
Latis fundere terminos,
Hanc rerum ſeriem ligat
Terras ac pelagus regens,
Et cœlo imperitans AMOR?

Quis quæſo hic cœlo imperitans Amor, qui terras etiam ac pelagus regere dicitur, niſi ΕΡΩΣ ΟΥΡΑΝΙΟΣ in hoc monumento expreſſus? Sed manum & nos tandem de tabula.

DANIELIS GEORGII MORHOFII POLYHIſtor, ſive de Notitia auctorum & rerum commentarii; quibus præterea varia ad omnes diſciplinas conſilia & ſubſidia proponuntur.

Lubecæ, ſumtibus Petri Böcken, A. 1688, in 4.

ETſi librorum hodie, poſt inventam typographicam artem, nullus eſt numerus, nec faciendorum modus: ad acquirendam autem ſapientiam, in hac ſtudiorum, ut Seneca ait, intemperantia, nequaquā neceſſe eſt eos omnes noſſe; non minima tamen eruditionis laus in notitia præſtantiſſimorum Auctorū, qui de quavis re commentati ſunt, ponitur, & pro docto habetur etiam is, qui in pectore veluti ἔμψυχον circumfert bibliothecam, unde depromere illico valet, quicquid ex uſu venit, ac de libris antiquis æque ac recentibus judicium ferre, & ad litteras pertinentia idonea inſtrumenta ſuppeditare aut indicare poteſt. Hanc eruditionis partem, quæ omnes omnium ſcientiarum ac artium Scriptores ſcrutatur & explorat, commonſtrare ſatagit doctiſſimus & in omni litterarum ac diſciplinarum genere probe verſatus Auctor: qui cum nihil ferme ignoret, infinitos libros legerit, & res omnes mente complexus de iisdem eleganter & ornate ſcribere valeat, uni quaſi ſyſtemati univerſæ eruditionis apparatum includere, & ſub *Polyhiſtoris* elogio omnem ſcientiarum complexum aut polymathiam exhibere inſtituit. In tres tomos deſtinatum hoc opus ſe diſtributurum eſſe, quorum primus Polyhiſtoris *litterarii*, ſecundus *philoſophici*, tertius *practici* titulo appelletur, in præfatione indicat. Litterarii primas jam exhiberi partes dicit, *Bibliothecarium* nempe & *Methodicum*: quem *Grammaticus*, *Criticus*, *Oratorius* & *Poeticus* ſint ſecuturi. Ideam autem hujusmodi litterarii Polyhiſtoris jampridem exhibuerat Baco Verulamius *lib. 2. de augm. ſcient. cap. 4*: tale etiam opus condere animo agitarat Petrus Lambecius, cujus inſtituti ſeriem Auctor p. 11. 12. 13. 14. explicat; ſed per fati legem abſolvere iſtud non licuit, in primordiis & prodomo ſubſiſtenti: ut proinde provinciam iſtam vacuam relictam haud immerito in ſe ſuſceperit doctiſſimus Morhofius, quam omnigena eruditione inſtructus quin inſigniter exornaturus, & vaſtum licet argumentum, pro doctrina qua ingenti valet, digne executurus ſit, dubitare nos non permittunt, quos jam dedit, priores duo libri.

In iſtorum primo, quem *Bibliothecarii* nomine inſignivit, de libraria ac litteraria re in univerſum, & polymathia ejusque cultoribus, *cap. 1. & 2.* agit, ac de bibliothecarum comparandarum ſtudio, cauſis, mediis, cultu, ordine, de earum interitu, variisque ad libratiam rem pertinentibus rebus, plurima lectu jucunda tradit, celeberrimas in orbe bibliothecas, quæ olim extiterunt, & quæ hodie ſuperſunt enumerans, & multa memorabilia de iis indicans, *cap. 3. 4. 5. & 6.* De manuſcriptis codicibus *cap. 7.* diſſerit, & ad eos refert veterum Auctorum editos libros, manu virorum doctorum ac illuſtrium criticorum notatos; primas item & meliores antiquas a peritis typographis curatas editiones, tum a præclaris viris affecta ſcripta, qualia Hier. Welſchii, Mart. Fogelii & Joh. Andr. Boſii recenſentur: doctorum item virorum ineditas epiſtolas, quales plurimas in Illuſtris Viri Marquardi Gudii celeberrima bibliotheca latere indicat. Veterum autem ſcriptorum monumenta, quæ in membranis

branis aut chartis consignata Gottorpiensis & Holsteniana supellex libraria continet, enumerat; & Marquardi Gudii bibliothecam primas in hac gloria partes tenere ait, antiquissimorum & rarissimorum codicum manuscriptorum copia adeo instructam, ut cum regiis bibliothecis contendere possit; eaque occasione, ut eruditas suas in bonos scriptores observationes, elegantissima poemata, & præclarum Inscriptionum antiquarum opus, quod magna industria nec minori judicio collegit, evulget, Virum summum publico nomine rogat. De prohibitis seu damnatis ob impia dogmata, magica commenta, hæreticam pravitatem, obscœnas fabulas, & satyricas cavillationes libris *cap. 8*; de pseudonymis, anonymis, suppositiis, plagiariis, interpretibus *cap. 9*; de mysticis, qui de rebus sublimibus, arcanis, mirabilibus, & futuris eventibus scripti sunt, *cap. 10*; de magicis naturalibus seu physicis secretioribus, præcipue chymicis *cap. 11.* disserit, & vetustos Auctores Græcos, qui de istis commentati fuerunt, (comprehensos Codice, qui in Bibliotheca Parisiensi Regia extat, Salmasio memoratus, ex Augustana etiam descriptus in Altenburgensi latet, a Reinesio examinatus, & in Vindobonensi restat a Lambecio enarratus) recenset. *Capite 12.* in id, quod in scientiis & disciplinis divinum est, τὸ θεῖον, singulari acroamate inquirit, ac verum illud ἡγεμονικὸν, quod impellit ingenia ac movet facultates quorundam grammaticorum, oratorum, poetarum, musicorum, philosophorum, mathematicorum, medicorum ac politicorum, ut singularia opera edant, scrutatur, & auctorem habere omnium artium parentem Spiritum Sanctum, asserit. Cum autem publici virorum sapientum conventus, qui in commune de rebus naturalibus, artibus, omnique studiorum genere conferunt, multum rem litterariam juvent, de collegiis secretis *cap. 13.* aliisque eruditorum in orbe societatibus *cap. 14.* agit: & ad istas, quarum omne studium in abditis naturæ causis indagandis versatur, Eunolpidarum, Samothracum, & magorum Persarum, Brachmanum Indorum, Gymnosophistarumque ac Druidum veterum, recentiorumque Fratrum roseæ crucis, & Rosianorum a Rosio quodam (cujus artes *p. 132. & seqq.* exponit) denominatorum, societates refert *d. cap. 13*: his vero Museum Alexandrinum, Academias & in Italia societates Humoristarum, Lynceorum, Ordinatorum, Furfurariorum, Otiosorum,

sorum, & plures hujusmodi alias, variis nominibus insignitas, Gallicas item & Anglicas accenset, ac sub finem capitis *p. 151.* ingeniosissimi Tschirnhausii de instituendo veritatis indagandæ collegio consilium laudat. De conversatione erudita *cap. 15.* disserit, ejusque artem ad certas regulas revocat, quas distincte tradit, & veluti compendium proponit justi operis, quod *Homiletices eruditæ* titulo adornandum evulgandumque sibi proposuerat. His præmissis, ipsam scriptorum ad litterariam & librariam rem pertinentium recensionem aggreditur; & istos qui in genere de judicio circa libros ferendo commentati sunt, tum hos qui sententiam de auctoribus dixerunt, enumerat *cap. 16*; eos autem qui vel de methodo instituendæ bibliothecæ agunt, vel bibliothecarum historiam, sive universalem, sive particularem exhibent, *cap. 17.* nominat: eos porro, qui catalogos librorum contexuerunt *cap. 18*; qui vitas clarorum virorum descripserunt, seu Biographos *cap. 19.* enumerat. Præcipuos historiæ bibliothecariæ fructus *cap. 20.* exponit: inter quos cum potissimus sit, ut habeamus quasi universales quosdam locos communes; de conficiendis iis, usuque & abusu, ut & collectoribus eorum, tum auctorum allegationibus, & polygraphis, qui plurimis libris condendis inclaruerunt, *cap. 21. & 22.* disserit. Ex epistolis doctorum virorum cum multa etiam hauriri possint, quæ ad omnem rem & historiam litterariam pertinent, de his *cap. 23. & 24.* tractat, & plerosque Epistoliographos recenset, ac de istis judicat: cumprimis autem monet, ineditarum epistolarum (de quibus *cap. 25.* agit) curam habendam esse, easq; evulgandas; multa enim ex iis disci posse. Ingentem harum a Zach. Lundio collectarum apparatum *Dn. Mothium*, Secretarium & Archivarium Potentissimi Daniæ Regis, asservare, sed longe maximam copiam a *Marquardo Gudio* possideri indicat: unam etiam inde depromptam Pauli Manutii ad Jo. Cratonem integram profert, & desiderium eruditis movet conspiciendarum reliquarum, ab omniu gentium doctis viris scriptarum, quorum αὐτόγραφα singulari felicitate Vir summus nactus, inter rarissimorum Codicum manuscriptorum & præstantissimorum librorum instructissimam suam supellectilem primo loco ea numerat.

In posteriori libro, quem *Methodicum* nominat, de methodo in do-

in doctrinis instituenda acturus, *cap. 1.* de ingeniorum delectu & animorum notitia disserit; *cap. 2.* eos qui puerorum animos & studia formandi rationem tradiderunt, enumerat; *cap. 3. 4. 5. & 6.* qua ratione facultates animi, ut in rerum apprehensione & dijudicatione expeditiores fiant, dirigendæ sint, & judicium æque ac memoria adjuvanda, exponit: ac de arte Lulliana, similibusque inventis & eorum auctoribus, variisque memoriæ subsidiis disquirit. Varias artium, linguarum ac studiorum methodos, earumque scriptores, & diversa doctrinæ parandæ compendia, *cap. 7. 8. & 9.* exhibet. Studiorum curricula quomodo in scholis primum inchoanda, in academiis perficienda sint, *cap. 10. & 11.* docet, Principum autem informandorum rationem *cap. 12.* ostendit. Tandem imitationum & exercitationum, in soluta & ligata oratione instituendarum rationem, elegantissimis exemplis *cap. 13. 14. 15. & 16.* demonstrat: omnia quæ affert, ea sermonis elegantia & multijugæ eruditionis apparatu instruens ac exornans, ut a lectione hujus libri nemo adeo satur recessurus sit, quin reliquas partes Operis universi, quod animo Auctor doctissimus destinavit, quamprimum conspicere avide expetat.

LIBRI NOVI.

Glossarium ad Scriptores mediæ & infimæ Græcitatis, auctore Carolo du Fresne, Domino du Cange. Lugduni 1688. fol. Prostat Lipsiæ apud Gleditschium.

Joannis Torre, ex supremo Consilio Serenissimi Parmæ & Plancentiæ Ducis, de successione in Majoratibus & Primogenituris Italiæ Tractatus tripartitus. Lugduni, 1688, fol.

Histoire de Philippe de Valois & du Roi Jean, par Mr. l' Abbé de Choisy. A Amsterdam 1688, in 12.

ADDENDA.

In Actis mensis Augusti pag. 418. lin. 22. post verba: *decurrenda secundum suas directiones*; interserantur sequentia: *reciproce sumpta. Sed ex natura motus compositi, vires X & Z spatiis DX & DZ, utpote parallelogrammi ZX lateribus, sunt proportionales. Ergo perpendiculares a puncto fixo A ad directionum lineas DX & DZ ductæ, eandem habent inter se rationem, ac vires istæ reciproce sumtæ. Liquet autem spatia, in quæ vires diversæ contrario nisu tendentes æquilibrantur, non ea esse quæ dantur ipsis proportionalia, qualia hic DX & DZ; verum ea esse, quæ sese habent ut vires reciproce sumptæ (hoc est ex probatis, in ratione perpendicularium a puncto fixo ad directionum lineas ductarum) Cartesiano demonstratur principio.*

(o)

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anni M DC LXXXVIII.

REASONS FOR ABROGATING THE TEST, &c.

sive

Rationes pro abrogatione Testificationis illius solennis, omnibus Parliamenti membris anno 1678, d. 30. Octobr. injunctæ.

Londini, apud Henr. Bonvvicke, 1688, in 4.

HAud ignotum est, quid sanctionis ante hoc decennium in Parliamento Anglicano factum, & quomodo tum ad præcavendas turbas in regno gliscentes, majoremque Religionis Reformatæ securitatem cautum fuerit, ne quis ad votum & sessionem in Parliamento admitteretur, nisi præstita prius solenni quadam & jurata testificatione, (quam vernacula lingua *the Test* vocant,) sequentibus, uti fertur, verbis concepta: *Ego N. N. solenniter ac sincere in præsentia Dei profiteor, testificor ac declaro, me credere, quod in Sacramento Cœnæ Dominicæ nulla sit Transsubstantiatio elementorum panis & vini in corpus & sanguinem Christi, in aut post eorum consecrationem a quocunque factam; quodque invocatio Virginis Mariæ vel cujuscunque Sancti, ac Sacrificium Missæ, prout nunc apud Romanam Ecclesiam in usu habentur, superstitiosa sint ac idololatrica.* Frequentem hactenus discurrendi materiam novellis relationibus hebdomadariis res ista præbuit, subinde narrantibus, quot consilia in regno hoc, aliquo abhinc tempore, de abrogatione illius sanctionis, licet in cassum huc usque fuerint agitata, quorum quis tandem eventus futurus sit, dies docebit. Licebit interim argumenta, super hoc negotio publicis scriptis hinc inde ventilata, absque

partium ſtudio, pro inſtituti noſtri ratione, lectori per compendium referre. Et præſentis quidem ſcripti tenor autorem ſuum prodit infeſtiſſimum ſolennis illius Teſtificationis hoſtem: qui utut in rubrica ſuum reticuerit nomen, ex finali tamen ſubſcriptione (*SA. OXON.*) affatim cognoſcitur Samuel Parkerus, epiſcopus Oxonienſis non ita pridem defunctus. Pro antiquatione vero ſanctionis Parliamentariæ ſupra memoratæ, *quatuor* potiſſimum argumenta ſtringit. Nimirum *primo* ait, jura Parium Regni, ipſo alioqui natalium beneficio jamtum acquiſita, vi talismodi ſanctionis peſſimo exemplo arbitrio aliorum, factioni aut affectui ſiniſtro ſtudentium, ſubjici; quod ſi Pares uno in caſu fieri permittant, facile dein ad alios quosvis extendi poſſe. Quam in rem adducit, quanta cum cura anno 1673, cum prima talis Teſtificatio de Transſubſtantiatione introduceretur, cautum ſimul fuerit, ne hoc modo juri Parium ullatenus fieret præjudicium: & cum anno 1675 conſultatum fuiſſet, numne e re foret, Parliamenti membra adjurare in eam ſententiam, quod nemini fas ſit ullo ſub prætextu arma contra Regem ſumere; utut hoc ipſum jam per nexum feudalem reipſa involveretur, nihilominus perhibet factam tunc in Domo Parium Ordinationem, ne quod Paribus jusjurandum edicto aliove modo injungeretur, ſub pœna amittendi loci & voti in Parliamento, in caſum recuſationis. *Secundo* conſiderare jubet, quod placitum iſtud fœtus quaſi primogenitus fuerit famoſæ illius machinationis *Oatianæ*, invectus non in alium finem, quam ad autoritatem concilii andamdolis atque perjurio, quibus infamis ejus autor tentarit legitimum coronæ heredem perſequi, eumque fidiſſimis hoc pacto amicis exutum, monarchia tandem penitus excludere: honorem proinde totius nationis, maxime tamen Domus Parium expoſcere, ne monumentū iſthoc fraudis tam inſignis, poſt eam dudum derectam, amplius autoritate legali ſuffulciatur. *Tertio* objicit invaliditatem hujus, ſanctionis, quæ ſcilicet tanquam lex & conſtitutio eccleſiaſtica absque autoritate eccleſiæ ferri nequaquam debuiſſet, cum poteſtas civilis legislatoriam in ſacris autoritatem ſine ſacrilegio & blaſphemia, ut ait, ad ſe rapere nequeat: nec ſufficere, quod epiſcopi, utpote partem Domus Parium conſtituentes, hanc in rem ſimul conſenſum præbuiſſent, cum ibi non ut epiſcopi, ſed ut barones ſe-

nes ſeculares conſiderentur; verum oportuiſſe, ut ipſi prius inter ſe, absq; concurrentibus laicis, legem talismodi ſanxiſſent, & prævia quidem Convocatione, ad quam nempe per ſtatuta Angliæ poteſtas omnis eccleſiaſtica ſit reſtricta. *Quarto* denique urget abſtruſam incertitudinem materiarum, in Teſtificatione illa ſolenni contentarum, monſtroſamque barbariem vocat, tantis ſub pœnis Nobilitati injungere juratam aſſertionem veritatis propoſitionum ejusmodi obſcurarum & vexatarum: cum nempe illi plerumque alia & ad vitam civilem magis proficua curæ ſint, quam controverſiæ tales metaphyſicæ & ſcholaſticæ, Transſubſtantiatione concernentes, de qua nempe pauciſſimi diſtinctam ſibi notionem aut ideam formare noverint. Nimirum oſtendere conatur, nullā in Chriſtiana religione rem dari, in qua plures ſimul & conſentiant inter ſe, & diſſentiant: omnes ſcilicet in re ipſa fere conſentire, at in modo ſaltem definiendo diſcrepare. Atq; hic latius excurrit in hiſtoriā controverſiæ de articulo Transſubſtantiationis, ab ovo velut repetens, quomodo primitus Eccleſiæ Patres in Cœna Dominica realem & ſubſtantialem præſentiam unanimi conſenſu docuerint, quæ & ſequentibus temporibus, & maxime ſeculo undecimo contra Berengarium, Archidiaconum Andegavenſem, primum ejus oppugnatorem, ſtrenue aſſerta ac diverſarum ſynodorum conſenſu probata ſit, licet modo præſentiæ non definito. Quomodo dein invecta in Theologiam Philoſophia Ariſtotelica, variæ ſuper hac re ab otioſis Scholaſticis ſpeculationes inſtitutæ diſceptationesque enatæ ſint, dum alii alio modo præſentiam determinare ac definire voluerint; tametſi meditationes horum metaphyſicæ nunquam ab Eccleſia Romana receptæ, autoritateve munitæ ſint. Utut enim ipſa Transſubſtantiationis vox, in quarto ſive magno Concilio Lateranenſi primum adhibita legatur; id tamen unice factum eſſe, ad exprimendam præſentiā realem ſive ſubſtantialem, nequaquā vero ejus modum, quem ne quidem in concilio Tridentino determinatum, ſed in medio relictum exiſtimat, quicquid etiam in contrarium alii allegent: ut adeo Transſubſtantiationis notio rem indigitet omnibus temporibus creditam, cujus tamen modus nullibi niſi in ſcholis definitus reperiatur. Procedit inde ad eccleſias Auguſtanæ confeſſioni addictas, pariterque oſtendere laborat, quomodo præſentia realis & ſubſtan-

tialis admissa fuerit non a Lutheranis solum, sed Calvinianæ etiam sectæ antesignanis, tametsi horum nonnulli sequentibus annis vacillare hac in re cœperint. Eandem denique diu in Anglia sententiam viguisse docet, donec ultimis hisce temporibus, maxime annis inter ultimam rebellionem & restitutionem Regis novissime defuncti interceptis, alia in eo regno Theologorum generatio, ut inquit, enata sit, quæ non amplius *agnoverit Josephum*, sed principale zeli sui objectū statuens destructionem Papatus, & pro veritatis regula adsumens oppositionem Romanæ Ecclesiæ faciendam, præsentiam Corporis Dominici in S. Cœna tandem ad meram figuram redegerit; inter hanc enim & transsubstantiationem non dari medium autumat. Unde sic arguit, modernos istos Doctores in eo articulo aut agnoscere præsentiam realem, & sic parum controversiæ remanere circa hanc & Transsubstantiationem, prout vere & ingenue ea ab omnibus Ecclesiis reformatis intelligatur: aut non agnoscere, & hoc pacto contra doctrinam & Anglicanæ & Catholicæ Ecclesiæ, mere figurativam præsentiā admittere: quæ opinio cum a plerisque orbis Christiani ecclesiis hæreseos damnata sit, fieri aliter non posse, quin per injunctam talem renunciationem Transsubstantiationis, nova in Ecclesiam Anglicanam hæresis publicæ legis autoritate introducatur. Ex quibus omnibus hoc eluceſcere vult, nihil in orbe dari, quod ineptius sit, ad cudendam inde Testificationem pro Statu politico firmando, quam negotium hoc Transsubstantiationis. Cum vero in dicta Testificatione, præterea alia quædam religionis Pontificiæ capita idololatriæ accusentur, reliquam eamque fere dimidiam tractatus partem impendit diluendæ tam duræ, ut putat, criminationi. Hinc primo late agit de natura & gravitate criminis idololatriæ, atrocibusque pœnis ipsi a Deo impositis: porro de ejus origine & incrementis, variisque in populo Israelitico periodis tractat. Ex quibus singulis hoc imprimis colligere vult, nihil aliud in Scriptura Sacra sub nomine idololatriæ venire, nisi quando aut substantia materialis & creata adoratur tanquam supremum Numen, aut Divinæ naturæ adscribitur corporea quædam forma aut species: adeoque ibi notionem idololatriæ nil inferre aliud, quam renunciationem & derelictionem veri Dei, ad adorandos alios Deos seu Baalimos, hoc est, cœlestia corpora

pora & speciatim Solem. Hanc enim unicam fere idololatriæ speciem in sacris literis indigitari hoc nomine existimat, cum cultus celebrium quondam virorum multo recentioris ævi sit, a Græcorum maxime vanitate oriundus; quippe qui gloriæ sibi duxerint, conterraneis suis cœlum implere, & ad majorem his autoritatem conciliandam, eorum nomina antiquis Ægyptiorum idolis imponere; perinde ac si hi, aliique orientis populi, numina sua ex Græcia nacti primum fuissent. Cæterum illam cœlestium corporum Solisque imprimis venerationem, præcipuam & unicam idololatriæ speciem fuisse, ab Ægyptiis primum in Israelitas derivatam, ac sequenti tempore tam late in hac gente grassantem, non modo ex omnibus Scripturæ locis hanc reprehendentibus patere ait, sed & operose ex Spencero aliisque deducere occupatus est, pleraq; statuta & sacrificia imprimis per Mosen tradita, eo directa fuisse, ut istius idololatriæ semina ex animo populi eradicarentur, & ipse quam longissime a gentibus ei addictis per ritus maxime contrarios segregaretur. E quibus cunctis jam hoc evinci putat Autor, injuriam fieri Pontificiis contra Scripturæ autoritatem, dum ob cultum imaginum, adorationem panis consecrati, & invocationem sanctorum, nefandum hoc idololatriæ crimen eis impingatur: ad hoc enim amplius quid præter imagines requiri, apparere putat exemplo Cherubinorum, ipsius Dei jussu fabrefactorum, ut Israelitæ orantes versus eos respicerent. Donec itaque probatur, Pontificios colere imagines falsorum Deorum, tanquam supremum Numen, aut verum Deum per corporeas imagines & repræsentationes divinæ ejus naturæ; donec porro ostendatur, panem consecratum adorari, tanquam symbolum Dei alicujus falsi, aut Dei veri picturam; donec denique evincatur, Sanctos coli tanquam supremum numen, vanam & injustam pronunciat idololatriæ inculpationem, Pontificiis fieri solitam. Concludens tandem Autor protestatur, se ea ratione in tractatu hoc judicium suum, quod nunc quidem de infausta illa, ut vocat, lege Parliamentaria foveat, exposuisse, ut de sua hac in re integritate coram Deo perinde ac hominibus respondere valeat.

REPONSE AU LIBELLE DE SAMUEL PARker, Eveque d' Oxford &c.

sive

Reſponſio ad libellum Sam. Parkeri, Ep. Oxon. qua refutatur id omne, quod iſte attulerat pro abolitione Teſtificationis illius Parliamentariæ, Transſubſtantiatione item, & Romanæ Eccleſiæ ab Idololatria immunitate.

Coloniæ, 1688, in 12.

PRævideri facile potuit, Parkeri quod modo retulimus ſcriptum, refutatum ſine mora iri, cum ſententia ab eo propugnata, tot tantosque hactenus in Anglia contradictores habuerit. Et ſane non unum hoc nomine nactus eſt Parkerus adverſarium; qui tamen quo liberiorem ſic ſtylum ſtringere poſſent, nomen ſuum reticere maluerunt. Certe is, quem præ manibus nunc habemus (Anglico quidem idiomate uſus, cujus autem non niſi Gallica hæc verſio ad nos allata eſt) parum hac in parte moderationis zelo ſuo adhibuit, quin potius, in priori maxime ſectione, (in duas enim ſcriptum diſpeſcitur) duris acerbisque paſſim criminationibus Parkerum perſtringit: quibus tamen, cum ad rem ipſam nil faciant, ſepoſitis, non niſi potiſſima ſcripti contenta, & argumentorum ſeriem recenſebimus. Ad 1. itaque Parkeri rationem, a præjudicio juribus Parium a tali ſanctione metuendo, reſpondet, iſtorum jura non alio niti fundamento, quam regiminis forma hoc in regno ſemel recepta, & conſequenter ſubjecta manere autoritati legislatoriæ, adeoque ab hac ipſis pro re nata modum præſcribi eorumve exercitium limitari poſſe. Et quamvis negari nequeat, ſimili in caſu antehac in Parliamento diverſas contradictiones fuiſſe factas, attamen ejusmodi ſuffragia unius alteriusve Cameræ æquilibrium nequaquam facere legibus jam tum plene ſtabilitis: denique anno 1675. non de mera fidelitate feudali, per juratam teſtificationem firmanda litem fuiſſe, ſed potius de ſuſcipienda nunquam alteratione ulla regiminis, ſeu eccleſiaſtici, ſeu civilis: quæ nempe reſtrictio injurioſa fuerit viſa corpori, poteſtate legislatoria gaudenti. Quoad 2. Parkeri argumentum, negat Autor ſolam *Oatis* fraudem perjuriumve legi cauſam dediſſe: non enim tantum teſtium depoſitiones tunc penſi habitas fuiſſe ait, ſed & literas quasdam interceptas, & ſecretas ad extirpandam Proteſtantium religionem negociationes, in curia tum Gallica tum Romana inſtitutas, aliunde detectas eſſe; quin & Regem ipſum tunc viventem, non obſcure iſtis involutum ſuſpicionibus una fuiſſe: ad quas e populi animis tollendas, ipſe promulgationem talismodi ſanctionis urſerit. Hanc proinde, ad ſopiendas ſubditorum ſuſpiciones primum introductam, jam neutiquam abrogandam, ſed magis adhuc neceſſariam factam eſſe, cum metus iſti non decreverint interim, quin potius majores multo evaſerint, evecto in thronum Principe Romanæ Eccleſiæ addicto. Ad 3. rationem a ſtatuti, ob naturam ejus eccleſiaſticam, invaliditate petitam regerit, punctorum religionis, in teſtificatione hac nominatorum deciſionem, neutiquam hoc demum decreto factam eſſe, quo caſu fortean objectioni locus daretur: ſed eadem jam ante ſeculi ſpatium a Convocatione definita eſſe ſub Eliſabethæ regno; & ſpeciatim in artic. 28. Eccleſ. Angl. *transſubſtantiationem* reprobari: *idololatriæ* vero imputationem in Homiliis, artic. 35. approbatis & commendatis, clare & per expreſſum contineri. Parliamentum proinde nil novi per hanc ſanctionem in eccleſiam invexiſſe, ſed modo ex numero plurium articulorum hoſce, jam dudum partem doctrinæ in legibus publicis ſtabilitæ facientes ſelegiſſe, ad indagandum, an hi, qui ad unam alteramve Cameram admitterentur, hancce religionem foverent, nec ne. Ad 4. denique objectionem, ab obſcuritate & difficili intellectu controverſiæ de Transſubſtantiatione deſumtam, hoc reponit: ſolennem illam Teſtificationem non continere declarationem ſuper transſubſtantiatione in ſe conſiderata, verane an falſa hæc doctrina ſit; ſed ſolum de credulitate ejus, qui jurat: hunc ſcilicet, ſi diſtinctam de ea notionem ſibi formare nequeat, adeoque hanc intelligere moraliter ipſi impoſſibile ſit, bene poſſe jurejurando confiteri, quod eam non credat. Concludit tandem, cum firma hæc ſententia Eccleſiæ Anglicanæ ſit, cujus ſe membrum Parkerus hactenus ſit profeſſus, aut oportere, ut ipſe huic ſuæ doctrinæ renunciet, & ad omnia adeo a ſe mota

mota argumenta ipſe reſpondeat, aut ut Eccleſiæ Anglicæ, & ſimul omnibus emolumentis eo nomine in ipſum collatis, nuncium mittat. Quod vero ſententia hæc a Parkero impugnata, conſtanter ab Eccleſia Anglorum aſſerta ſit, probare nititur ex articulis, ſub initium regni Eliſabethæ a Convocatione ſtabilitis; quorum authenticum exemplar, ab utriusque Cameræ membris ſubſignatum, adhuc ſervari ait Cantabrigiæ in Collegio Corporis Chriſti, in eoque reperiri Deciſionem magis poſitivam, quam impreſſa contineant exemplaria, non tantum contra Transſubſtantiationem, ſed adverſus omnem præſentiam corporalem aut realem Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti in Sacramento. Atque his fere contentis *ſectio prior* hujus ſcripti abſolvitur, cui ſub finem annexum eſt exemplum epiſtolæ cujusdam a Jeſuita quodam Leodienſi ad alium ejus ordinis ſub initium anni proxime elapſi datæ, ut fertur, ſed interceptæ; in qua multa & magnifica de moderni Regis Angliæ ſtudio in Romanam Eccleſiam & ſpeciatim Societatem Jeſuitarum, impenſo item ejus propoſito de convertenda ad Catholicam Religionem Anglia prædicantur: nonnulla etiam referuntur, quæ ſuſpicionem facere poſſent, ac ſi Parkerus clam partibus Romano-catholicorum faverit: in quibus latius recenſendis, cum non ſatis conſtet, an genuina hæc fuerit epiſtola, an confícta forte, nos non detinebimus.

In *ſecunda Sectione* Autor ſpeciatim occupatus eſt in refutandis iis, quæ Parkerus cum de controverſia transſubſtantiationis, tum de idololatria Romanæ Eccleſiæ objecta latius attulerat. Et priorem quidem quod attinet, non de mera, ut Parkerus perſuadere voluerat, ſubtilitate Philoſophica hic litem eſſe, vel inde arguit, quod non appareat, cur Romano-Catholici tantum deſudent pro impetranda abolitione Teſtificationis: ſi per hanc modo renunciandum eſſet nudæ cuidam ſpeculationi ſcholaſticæ, re interim, præſentia nempe reali in S. Cœna, ſalva manente. Non diffitetur porro, terminum hunc Præſentiæ Realis ſubinde in Eccleſia Anglicana adhibitum reperiri: ait tamen hoc ideo ſaltem factum, quia phraſin paſſim in animis hominum receptam & infixam, retinere per condeſcenſionem quandam placuiſſet; ejus vero explicationem (ſecus ac in Romana Eccleſia,) non aliam eſſe, quam de reali oblatione & communicatione corporis Chriſti, non qua glorificati, ſed qua

ſed qua mortui, adeoque mortis ejusdem, mediante ſymbolo quodam inſtituto & ceremonia fœderali. Hanc eandem vero acceptionem in primitiva quoq; eccleſia viguiſſe, oſtendere variis argumentis nititur, tam remotivis, quam poſitivis; quæ tamen ab aliis antehac multoties adhibita cum in compendio tantum hic a ſe repetita fateatur Autor, ſigillatim recenſere non erit opus. Deinde exponit, qua ratione, occaſione diſputationum contra Apollinariſtas & Eutychianos, via primum alteri illi Romanenſium opinioni ſtrata ſit, eaque poſtea per ſeculorum mediorum barbariem magis magisque incrementa ceperit, maxime cum iis temporibus eæ doctrinæ maximum habuerint applauſum, quæ plus obſcuritatis & myſterii continuerint, & ad magni faciendam cleri apud rudem plebeculam autoritatem inſervire ullo modo potuerint. Novitatem vero doctrinæ illius, vel ex infinita diſputationum ſcholaſticarum, circa eandem tunc enatarum, varietate colligi poſſe exiſtimat, quæ ne quidem poſt Concilii Lateranenſis deciſionem acquieverint. Cæterum ſi vel maxime, ut Parkerus contendit, lis hæc autoritate eccleſiæ nullibi definita foret; attamen conſtantem hac de re traditionem inde a 500 annis in Romana Eccleſia vigere, a qua proinde ipſa recedere nullo modo poſſit, niſi ſimul aſſertæ paſſim infallibilitati & autoritati traditionum renunciare velit. Denique non dari ait articulum fidei, in quo univerſæ Eccleſiæ Reformatæ conſenſu tam unanimi conſpirent, adeoque ſapienti conſilio hunc præ aliis a Legislatoribus electum eſſe, ad ſegregandos Pontificios: hoc enim ſolum fere punctum controverſiæ eſſe, in quo tota Eccleſia Romana affirmativam, tota vero Proteſtantium Eccleſia negativam tueatur. Quoad alteram porro Parkeri diſputationem, de idololatriæ crimine Romano-Catholicis in Teſtificatione imputato, Autor primum amoliri quadantenus laborat conſequentiarum duritiem, quas iſte exin fluere perhibuerat: utut enim omnia, quæ in ſacris literis contra idololatriam ſtatuuntur, ad ſuperſtitiones iſtas Pontificias applicari nequeant, accuſationem tamen totam inde non concidere, cum diverſi unius ejusdemque delicti gradus dentur; id quod exemplo criminis læſæ majeſtatis in civilibus declarat. Oſtendit porro, notionem illam idololatriæ a Parkero ſuppoſitam inſufficientem eſſe, cum appareat, ſcriptores novi teſtamenti non minus ea ad Græ-

corum & Romanorum cultum idololatricum applicare, quæ de antiqua illa Judæorum idololatria in veteri teſtamento dicta ſint. Falſum etiam eſſe arguit, cultum aſtrorum tantum non unice hoc nomine in ſacris literis indigitari, cum non obſcure pateat, Teraphimorum cultum longe illis temporibus frequentiorem, quin & antiquiorem fuiſſe,& ab hoc ipſo demum ad corporum cœleſtium adorationem deventum eſſe: quas ipſas aſſertiones e diverſis ſacræ hiſtoriæ locis non ineleganter deducit. Huic vero Teraphimorum, ut &, quæ poſtea invaluit, Geniorum venerationi, ſuperſtitiones Pontificias multum accedere, pluribus oſtendit. Nec obſtare ait, quod hæ longe mitius a ſanioribus & eruditis exponi ſoleant, cum & prudentiores e gentilibus de ſua religione ſimile quid fecerint, & nihilominus a patribus eccleſiæ paſſim eo nomine redarguti legantur. Nimirum magis hac in parte conſiderandũ, quid e publica praxi & ceremoniis vulgo receptis eluceat, quam quid doctiores in ſcriptis ſuis de tali negotio aſſerant: quem in finem varias formulas precationum, aliasque Liturgiæ in Papatu receptæ partes allegat, ſatis quidem abſurdas,& non niſi conceptus idololatricos rudi vulgo inſpirare valentes. Unde poſtremo concludit, formulam Teſtificationis Parliamentariæ nullam facere injuriam Romanæ eccleſiæ addictis, dum diverſos ejus ritus idololatricos appellat; cum hac in re magis ad praxin quotidianam & clarum verborum, uti jacent, intellectum attendendum ſit, quam quidem ad ſenſum alium longius petitum, quem mitior forte explicatio iisdem allinere conetur.


THE MEASURE OF THE EARTH &c.

hoc eſt:

Tractatus de menſura Terræ, ſeu Enarratio quarundam obſervationum, hunc in finem factarum a nonnullis Academiæ ſcientiarum Pariſienſis membris. Ex Gallico in Anglicum ſermonem translatus a Richardo Waller, Regiæ Societatis Socio.

London. 1688.


Quamvis nullum præferat auctoris nomen hujus libri titulus, certo tamen conſtat, ejus parentem eſſe doctiſſimum Picardum,



coru
tiqu
ſum
min
mor
tiqu
orat
hiſt
rum
nes
ait,
cum
rint
leg
pra
ſcri
las
ſati
inſ
cat
add
in r
int
pet

T

Tr
da
lis



QUamvis nullum præferat auctoris nomen hujus libri titulus, certo tamen conſtat, ejus parentem eſſe doctiſſimum Picardum,

cardũ, cujus poſthumus de libellatione (Nivellement) tractatus anno 1684 in lucem prodiit, nobis in *Tomo ſupplementorum* recenſendus. Fuit elegantiſſimum hoc de menſura terræ opuſculum fruſtra hactenus in bibliopoliis quæſitum, cum in Gallia pauca tantũ ejusdẽ eſſent excuſa exemplaria, & inter amicos auctoris diſtributa, adeoq; bene omnino de publico meritus eſt Dn. Wallerus, qui illud Anglica indutum veſte in lucem iterũ produxit. Comprehenditur autem in eo luculenta recenſio, qua ratione effectui dederit Academia ſcientiarum Pariſienſis negotium dimetiendi terrã, quod ipſi a Rege impoſitum fuerat. Non enim ſolum accurata exhibetur deſcriptio inſtrumentorum Geometricorum, quorum hac in re uſus fuit, ſed & variæ doctæ annotationes de recto inſtrumentorum uſu ſubjiciuntur, & perticæ Pariſienſis magnitudo ope penduli, cujus ſingulæ vibrationes minutũ ſecundum medii motus ſolaris æquant, determinatur. Compertum enim fuit per accuratas obſervationes, tale pendulum eſſe 36 pollicum $8\frac{1}{2}$ linearum, in reſpectu ad hexapedam Pariſienſem. Spatium vero huic operæ maxime accommodum illud judicatum fuit, quod Surdonium (*Sourdon*) Picardiæ, & Malovicinum (*Malvoiſine*) interjacet, cum loca hæc 32 leucas a ſe invicem diſtantia, ſub eodemq; fere meridiano ſita, commode poſſent per triangula conjungi cum via, quæ Villa Judæa (*Villejuive*) ducit Juviſium (*Juviſy*). Hæc cum ſtrata ſit ſaxis juxta rectam lineam, fundamentalem baſin præbuit totius hujus dimenſionis, 5663 hexapedarum. Hinc factis triangulis (quæ exhibentur fig. 1.) & inventis eorum angulis, quadrantis ope, cujus radius 38 pollicum, facile invenerunt (I) in Triangulo ABC, latera AC & BC. (II) In Triangulo ADC, latus AD & DC. (III) In Tr. DEC, lat. DE & EC. (IV) In Tr. DFC, lat. FC & DF. (V) In Tr. DFG, lat. FG & DG. (VI) in Tr. GDE, lat. GE, ſeu diſtantiam inter Malovicinum & Maroialum (*Mareuil*). Quæ ut eo accuratior haberetur, (fig. 2) per alia triangula denuo fuit quæſita, nempe inventa (1) in Triangulo AOB & AOD, longitudine lineæ AD. (2) in Triang. DOE, lin. DE. (3) in Triang. ACE & BCE, item PDC & PCE, lin. EC. (4) in Triang. ACE & FAD, lin. DF. (5) in Triang. GAF, lin. FG. (6) in Triang. GDC & GCE, lin. GE. TAB. XII.

Deinde progreſſi ulterius, inveſtigarunt (VII) in Triangulo

FGH (fig. 1) lat. HF & GH. (VIII) in Triang. GHI, GI & HI, distantiam inter Maroialum & Claramontium, quæ etiam (fig. 2.) ex Triangulis QFG & QGI innotescebat. (IX) in Triang. HIK, (fig. 1) & QIK (fig. 2) IK. (X) in Triang. IKL, KL & IL. (XI) in Triang. KLM, LM & MK. (XII) in Triang. LNM, LN & NM. (XIII) tandemq; in Triang. ILN, lin. NI, distantiam inter Claramontium (*Clermont*) & Surdonium. Sed quo adhuc certiores redderentur de operationibus hisce rite peractis, denuo emensi sunt novam basin XY 3902 hexapedarum, inveneruntque, calculo subducto, primum in Triang. XYL, latus YL, & in Triang. XYM, MY, demum vero, iterata vice, in Triang. MYL, lineam ML, & hinc quoque IN & GI. Repetita autem hæc inquisitio linearum, non secus ac in prioribus, ideo instituta fuit, ut differentiæ inventæ dimidium quantitati minori semper addi posset. Quamvis vero hic subsistere decrevissent huic operi præfecti, inter quos primum tenuit locum ipse Picardus, satius tamen deinde duxerunt, continuare mensuram Ambianum (*Amiens*) usque. Absque enim difficili opera (fig. 2) in Triang. LMR, (1) latus LR, (2) in Triang. NLR, latus NR, (3) in Triang. NRT, latus NT, (fig. 3) tandemque (4) in Triang. NTV, latus NV innotescebat. Sed cum lineæ distantiarum inventæ angulos constituant, necesse fuit quoque inquirere, quam singulæ positionem respectu Meridiani haberent. Posito ergo quadrante in G, observarunt angulum, quem faceret linea GI cum circulo verticali stellæ polaris in maxima digressione orientali constitutæ, atque exinde determinarunt lineæ hujus declinationem a septentrione versus meridiem, ex qua declinationem lineæ GE quoque haud arduum fuit colligere; nec aliter quoque cum linea NI & NV fuit actum. Producta ergo linea meridiana Surdonii versus boream, donec occurrat parallelo Ambiani in puncto β, ut fiat triangulum rectangulum NβV, indagarunt longitudinem lineæ Nβ. Eandem meridianam porro produxerunt austrum versus, ut concurreret cum parallelo Malovicini in puncto α, eamque divisserunt in tres partes, ope perpendiculorum Gδ, Iγ, ut ductis lineis meridianis horum locorum, nempe Gε & Iθ fierent triangula γNI, GIθ & GEε, in quibus per trigonometriam investigantur latera γN, Iθ seu $\gamma\delta$, & Gε sive $\delta\pi$, ut sic habeatur linea βNα seu

seu distantia parallelorum Ambiani & Malovicini 78907 hexapedarum. Quo ergo tandem cognosceretur, quantum gradui in cœlo responderet spatium terræ, observata fuit instrumento, cujus decempedalis erat radius, distantia septentrionalis stellæ, quæ Cassiopeæ genu vocatur, a Zenith in meridiano, tam Surdonii quam Malovicini & Ambiani, quo differentia elevationis poli inistis locis cognosceretur, atque inde concluſum, gradui circuli magni terrestris competere 57060 hexapedas Parisienses. Sed ut exteri quoque ad suas mensuras, quæ hactenus tradita sunt, adplicare possint, adjiciuntur tabulæ huic rei conducibiles. Nam si ponas

	Pedem Parisiensem	1440	partium
erit	Pes Rhenanus sive Leidensis	1390	
	Londinensis	1350	
	Bononiensis	1686	
	Cubitus Florentinus	2580	

atque hinc gradus circuli magni continebit:

Hexapedas Parisienses	57060
Passus Bononienses	58481
Virgas Rhinlandicas 12 pedum	29556
Parisienses Leucas, 2000 hexaped.	$28\frac{1}{4}$
Leucas medias, circiter 2282 hexaped.	25
Leucas marinas, 2853 hexap.	20
Milliaria Anglica, 5000 ped.	$73\frac{7}{200}$
Mill. Florentin. 3000 Cubit.	$63\frac{7}{10}$

Hinc etiam Circumferentia	&	Diameter terræ
Hexaped. Parisiens. 20541600		6538594
Leuc. quarum 25 gradum conficiunt, 9000		$2864\frac{56}{72}$
Leuc. marin. - - 7200		$2291\frac{59}{71}$

Cæterum cum cognita terræ semidiametro libellationum, quæ fiunt instrumentis, quibus telescopia pinnacidiorum loco adaptata sunt, facile possint corrigi, traditur tabula hunc in finem computata, nec non instrumenti libellatorii a Dn. Picardo excogitati descriptio. In fine opusculi tandem sub censuram vocantur Fernelii, Snellii, Ricciolique methodi, quas omnes a vero abludere ostenditur.

LES OEUVRES POSTHUMES DE Mr. Claude. T. I. i.e.

Opera posthuma Dn. Claudii. Tom. I.

Amstelod. apud Petr. Savouret, 1688, in 8.

VIx illustriori pietatis documento, quam operum horum editione, æmulus celeberrimi genitoris filius paternis Manibus parentare poterat. Licet enim ultima manus ab ipso Autore iis imponi non potuerit, desiderantium tamen precibus, ut illa, turbulento præsertim hoc Ecclesiæ suæ statu, ad fidei corroborationem & solatium non parum profutura, publicaret, Editor se vinci passus est. Lepidum est, quod in Præfatione, de duplici Collatione in Illustris cujusdam Virginis de C. a fratre ad mutationem religionis assiduo sollicitatæ gratiam instituta, habetur, quomodo oppositi Autori Antagonistæ, *Presbyter* & *Abbas* quidam, turpiter admodum se dederint, cum post trium horarum disceptationem, silentio
** 3. quasi ecstatico rupto, Presbyter *Claudium* his verbis adortus: *quomodo audes asserere, in Societate vestra veram esse Ecclesiam?* Abbas vero egregia hac censura: *Ah quid dicis Domine, cur nomen Christianorum ipsis dubium facis, nonne & Turcæ tales sunt?* mox collationi dissolvendæ ansam præbuisset. Inter hæc opuscula agmen ducit *Responsio* ad *Reflexiones* XXVI *Camusii*, Card. & Episcopi *Gratianopolitani*, de *Eucharistia*, eo fine conscriptas, ut D. D. L. T. cujus con-
p. 1. - 136. versionem meditabatur, omnis circa eam scrupulus eximeretur. Responsionibus *Reflexiones contrariæ* subjunguntur; ab utraque vero parte de sensu verborum *institutionis*, & quæ *Joh.* VI. hac de materia inveniuntur, *literalis* ne sit an *figuratus*, unice ferme contenditur. 147. Sequuntur IV Epistolæ, quarum I. commonefactoria est ad D. D. L. T. ne externis devotionis & mortificationis actionibus, ceu perpetuo falsarum religionum charactere, imponi sibi patiatur: ex ore Christi potius *Matth.* VI. exercitia pietatis Deo, in occulto si fiant, gratissima addiscat. Duo denique inculcat, ut nimirum religionem suam prius exacte cognoscat, & cognitam actu quoque probe exprimat. II. Responsoria est D. D. L. T. ad *Claudium*. Scribit, Episcopi Missionariis, quod ad sui conversionem, circa

circa quam satis diu jam laboraverint, præter *Colberti* auspicium nihil deesset, persuasum esse; & hunc pariter, quod rem gratissimam præstiturus sit, opinari, si ad religionem, quæ ipsi optima videretur, se pertraheret. Eam in rem sub negotiorum regiorum prætextu diutius in provincia commorandi necessitatem sibi injungi, ut Episcopo novum subinde persuadendi spatium suggeratur. Ab austera alias vitæ sanctimonia, & intensissimo litium componendarum studio, quodve omnis Episcopatus reditus pauperibus eroget, Antistitem mire commendat. Nec se comprehendere, cur vitam adeo sanctam sua in cœlo corona non manere debeat. Omnibus quidem modis occasionem separatim cum ipso agendi se declinasse; bis vero casu sibi obvium Episcopum, perpetuitatem maxime Ecclesiæ insinuasse, objecta Ecclesiæ Reformatæ novitate; *Lutherum* & *Calvinum* literis securitatis, quæ non magis, quam fides publica, violari potuissent, munitos in Concilio Tridentino comparere debuisse; quin glorioſius fuisse, vitam periclitari, quam tot turbarum in Europa excitatarum, & internecionis 2000000 hominum culpam contrahere. Scandalum præbuisse Reformatorum separationem ab Ecclesia, receptis cumprimis in communionem Lutheranis, *Realitatem*, quam Calviniani negarent, credentibus. Sed si dicendum, quod res est, *Lutheri* religionem Germaniæ factionibus suffultam fuisse, quibus *Carolus* V Electorum unionem sibi formidabilem ita impediturus, Pontificumque depressurus fastum, clam faverit; *Calvini* fidem prætextam fuisse factionibus, quibus *Burbonii* ex tenui, ad quam a *Guisiis* redacti fuissent, fortuna ita emersuri accessissent. Ad hæc omnia bene se respondisse, objectione de Lutheranorum communione excepta, circa quam *Claudii* informationem desiderat. In secundo colloquio, tumultuarium cultum & externæ veneration-nis, ad internam excitandam multum facientis defectum, nimiam circa religionis quæstiones decidendas libertatem, ex qua omnes in Anglia sectæ oriantur, Episcopum objecisse; nullas conversiones extraordinarias, nulla jejunia inter Reformatos obtinere, se vero omnes Ecclesiæ cerimonias usque ad aquam benedictam probaturum. Ep. III. idem Responsiones *Claudii* ad scriptum de *Eucharistia* transmissas, sibi satis probari innuit. Patres etiam nonnullos confidentius, quam Reformatos, de realitate spirituali loqui, quam figu-

figuram, typum, antitypum, & mysterium vocare soleant. Optat, nunquam quæstionem de hoc capite motam fuisse, nec sibi placere, quod omnes priorum seculorum cerimoniæ ejectæ fuerint; nec parum sibi obstare objectionem, ubi ecclesia Reformata ante Lutherum & Calvinum fuerit? & cum fateantur Reformati, ob errores tolerabiles secessionem se non facturos fuisse, cur Lutheranos, quorum Eucharistia, excepta adoratione panis, a Romana non differat, in communionem admittant? Satis quidem librorum eam in rem se perlegisse, nondum tamen plene sibi satisfactum esse. Interim in eo se totum esse, ut in religione sua per totam vitam confirmatus maneat. Ep. IV. Claudius in responsione sua realitatem spiritualem denuo adstruit, & ut Responsio sua P. *Nouetio* facta evolvatur, autor est. Quoad cerimonias, vix unam esse ait in Ecclesia Romana, quæ prioribus tribus seculis in usu fuerit; id quod tam ipse in Responsione allegata, quam *Dallæus* de *Cultu* probatum dederit. Ita & de Ecclesia ante Lutherum & Calvinum, & Lutheranorum communione, in libro pro *Defensione Reformationis* scripto se prolixe egisse. Exprobratione addita, quod diutius aures præbendo Missionariis se ipsum periculo exponat, vel cum semel consilium mutandi religionem ceperit, illos saltem obtendat, denuo ad constantiã ipsum hortatur. Epistolas has Tractatus de *sermonum sacrorum compositione* ex-
pag. 163. cipit. Quamvis in genere V. partibus, *Exordio* scilicet, *Connexione*, *Divisione*, *Tractatione* & *Applicatione*, Sermo absolvatur; cum tamen Connexio & Divisio brevissimæ sint, reliquas saltẽ tres proprie tales esse statuit. Circa *Connexionem* textus tractandi cum præcedentibus, cum Auditores eam fere nihil morentur, non adeo laborandum, nec tam commentarios, quam naturalem, bonum & simplicem sensum consulendum esse. *Divisionis*, quæ quaternarium aut quinarium numerum excedere non debeat, aptissime autem ad 2 vel 3 membra reducatur, unum idque magis ordinarium genus esse, Tex-
pag. 165. tus in suas partes, alterum ipsius Discursus ex Textu habendi. Ostendit, in quibus textibus posterius genus locum habeat, & qualis ordo in Divisione tenendus sit, quatuordecim, quas exemplis illu-
187. strat, regulis suppeditatis. Præmissis de *selectu Textuum* VI regulis, quomodo materiæ, loci, temporis ratio habenda sit, ne in festis
192. præcipuis anniversariis alii quam iis conformes textus explicentur;

ipsam

ipsam *Tractationem* uberius persequitur, ubi primum VII. præceptis Ecclesiasten instruit, quid circa illam observare & fugere debeat. Exigit imprimis *circumspectionem*, ne ridiculo aut comico dicendi genere utatur; *sobrietatem*, ne nimia curiositate mysteria, puta Trinitatis, Incarnationis, aut æternæ reprobationis penetrare audeat, aut antiquarum historiarum vel hæresium recensione Auditores obruat; *castitatem*, ne in Tractatione *conceptionis* J.C. aut æternæ ejus generationis & amoris in Ecclesiam, nostræ regenerationis, seminis Dei ex quo secundum Johannem nascimur, expressionibus vel pudorem violantibus, vel profanorum maledicentiam provocantibus indulgeat; *simplicitatem*, ut res in sensu suo naturali proferat, speculationes vero metaphysicas, definitiones formales, quæstiones scholasticas, e.g. quomodo Angeli conceptus suos sibi mutuo communicent, missas faciat; eo maxime in Tractatione allaboraturus, ut animum *instruat*, & conscientiam *tangat*. Sic & abesse vult observationes a Theologia alienas, Grammaticales, Criticas, quoad lectionum vel punctuationis diversitatem; Philosophicas, Historicas, aut ex autoribus profanis, Rabbinis & Patribus petitas, nil nisi variæ lectionis ostentationem præ se ferentes. *Tractationis* duas vias generales, alterum *Explicationis*, si doctrinalis, alterum *Observatio-*
nis, si historicus textus tractandus est, indigitat. Monstrat, quomo- pag. 208.
do difficultates *terminorum* & *rerum* removeri debeant. Exempli loco adducit *Act.* 9. 5. ubi peregrinum cuipiam videri possit, verba: *durum est tibi contra stimulum calcitrare*, ita interpretanda esse: *durities tua est, quod contra stimulum calcitras*; nam ex satis frequenti linguæ Græcæ usu, σκληρόν σοι pro σκληρώτης σε positum esse, ut sensus sit, quod Paulus gratiæ divinæ motibus resistat, ex duritie cordis ipsius, h. e. cæcitate & corruptione naturali, mente in favorem Religionis Judaicæ præoccupata, Pharisaismi asperitate, & odio contra Christianismum concepto oriri. Alia quoque Scriptu- p. 215. 231.
ræ loca, ut Joh. I, 17. 2. Cor. 4, 7. 1. Tim. 1, 5. Luc. 2, 8-11. Eph. 1, 246. 261.
18. explicata occurrunt. Cap. VI. de Textibus per viam observa- 297.
tionum enucleandis agit, & præter 6. regulas, 27. quoque Inventio- 309.-377.
num scatebras aperit, interspersa ubique locorum Biblicorum expositione. Cap. VII, & VIII Textibus per viam *perpetuæ Applicationis*, explicatione & observatione prætermissa, vel per viam *Propo-*

sitionum a se invicem dependentium, tractandis impenditur. Ubi
pag. 405. post explicationem dicti 1. *Thess.* 4, 7. 8. certissimam falsas religio-
430. nes a vera discernendi regulam suggerit. C. IX *Exordiorum* ma-
417. teriam aggreditur, & refutatis iis, qui illis insuper habitis, & initio
468. sermonis a *connexione* cum antecedentibus & *divisione* facto, statim
ad *tractationem* ipsam se accingere malint; improbata etiam Con-
cionatorum *Anglicorum*, explicationem literalem textus exordii lo-
co præmittentium consuetudine; primarium eorum usum in præ-
paratione mentium ad materias particulares collocat. Hinc
474. requisita subjungit, quorum potiora sunt, ut I. *brevia* sint, h. e. ut lon-
gissima 10. vel 12, brevissima 6. vel 7. periodos non excedant, utro-
bique vero justum Auditori se præparandi spatium relinquant. II. *per-
spicua*, & comprehensu facilia. III. *placida* & gravia, h. e. a figu-
ris, exclamationibus, iteratisque interrogationibus vacua. IV.
jucunda tamen simul & *stringentia*. V. naturalem admodum cum
tota materia textus *connexionem* habentia. VI. *simplicia*. VII.
nec nimis *vulgaria*. *Vitiosa* esse, quæ a personarum Auditorii,
loci, temporis, aut negotiorum secularium circumstantia, aut ex
Historiis profanis, vel Apophthegmatibus petantur. Alexandrum
M. imprimis, Julium Cæsarē, & Pompejum cathedram Evangelicā
prohibet conscendere. *Optima* esse, quæ ex Theologia petantur.
489. Consultum denique putat, ut unius textus gratia, pluribus Exordiis
conquisitis, convenientissimum eligatur. Nec *Conclusionem* in-
tactam relinquit, & quomodo ad affectus Christianos movendos,
respectu semper ad textum habito, majori tamen cum libertate, quam
Tractatio, (modo nihil Enthusiasmum aut Declamationem sapiat)
congrue formari possit, capite ultimo distincte exponit; ut adeo
haud proletariam studio Homiletico excolendo operam Autorem
navasse, ex integro Tractatu satis appareat.

Von der Mysticorum Quietismo Contemplativo, oder Mystischen Beschauungs-Ruhe/ welche Michael de Molinos jüngsthin zu Rom von neuen zu introduciren gesuchet/ kurtzes Theologisches und bescheidenes Bedencken D. Andreæ Kühnens ꝛc.

Quod est;

D. Andreæ

D. Andreæ Kuhnii, Ministerii Dantiscani Senioris, Judicium Theologicum de Mysticorum Quietismo contemplativo, quem Michael de Molinos nuper Romæ denuo introducere conatus est.

Dantisci, apud Joh. Zachar. Stollen/ A. 1688, in 12.

Ecclesia quidem nunquam non est in motu, quo passim ab hostibus suis concutitur. Nuper vero ne per Quietismum quidem licuit ipsi quiescere, quem Michael de Molinos in lucem revocavit. Adversus hunc Maxime Reverendus Autor in libello præsente, doctissime lingua Germanica conscripto, insurgit, postquam jam alii, de quibus alibi Nos, alio idiomate de eodem egerunt. Utile nimirum ac jucundum est, illos etiam, qui ex illiteratis de talibus novellis certiores fieri cupiunt, in sua lingua erudiri, & de periculo moneri. Utrumque præstat hic laudatus Autor abunde. Et (1) quidem in Præfatione Propositiones, quas Inquisitores Romani Molinosio tribuerunt, quatenus cum opusculo illius conveniant, nec ne, expendit, quæq; in eo vel probanda, vel improbanda, ingenue, strictim tamen annotat: occasione Burnetianæ Relationis, quæ de Burrhi erroribus, angelicoq; quem meditatus fertur, ordine, ejusque votis &c. olim tum ex Lucæ Holstenii, (a multis retro annis, cū adhuc Noster esset, sibi noti) ad se datis literis, transmissoq; Inquisitionis Decreto, tum etiam cum ipso Burrho in Aula Dresdensi habito discursu percepit, refert; & simul aliquot Scholasticorum & Mysticorum quæstiones, e. g. num essentia divina ut in se est, ex parte rei, nuda absque attributis contemplabilis sit? uum primus actus fidei, amoris, resignationis &c. nisi per mortale peccatum revocetur, virtualiter per totam vitam sufficiat duretque, ut repetere opus non sit, etsi quis omni illo tempore de Deo non cogitet amplius? an Director conscientiæ, & quidem cæca obedientia constituendus? an per potentiam Dei absolutam, Deum aliquem absolute damnare velle, revelabile sit? & si cui reveletur, num is se voluntati divinæ etiam usque ad æternam damnationem resignare debeat? p. 122. sq. item an ad veram humilitatem etiam desiderium & studium contemptus requiratur? attingit. In tractatu vero ipso (2.) initio veram quietem omnino quidem in Deo ejusque unione quærendam, medium

vero quietificæ hujus unionis ex parte noſtri non renovationem, ſanctificationem, abnegationem, mortificationem, amorem &c. ut Myſtici volunt, (cum potius effectus & ſigna Unionis Myſticæ, quam cauſæ ſint,) ſed fidem; omnemque humanæ manuductionis operam, ad infuſam illam contemplationem, cum illa, imo & diſpoſitio omnis ad iſtud donum, teſte ipſo Molinoſio, Deo ſoli competat, fruſtraneam eſſe oſtendit. Deinde cap. I. ex Molinoſio, Richelieu, Bona, Felice aliisque recentioribus, quomodo Myſtici contemplationem illam deſcribant definiantq; & dividant: cap. II. vero, quid de ea cenſendum ſit, exponit. Nempe quod (1) ἀγεωφος; (2) ἀντίγεωφος; (3) in veritatem divinam (ſpecie omnes, ſub quibus ſe Deus in verbo ſuo revelavit, utut Deiformes, veras eſſe ſimpliciter negando, & cum PſeudoDionyſio (conf. p. 314.) figmenta ſacra & figuras ſymbolicas vocando) injurioſa; (4) naturæ fidei, (cujus notitiam in ignorantiam, & aſſenſum in negationem pervertit, fiduciam vero per totalem reſignationem omnemque ſpei & voluntatis propriæ abnegationem deſtruit, contraria; (5) amoris quoque genio, cum amare debeat, quod non cognoſcit, adverſa; (6) ad ſtatum viæ, (cum absque ſpeculo & ænigmate, Deum intueri velit, quod tamen ne Paulo quidem contigit 1. Corinth. XIII, 12.) minus accommodata; (7) veritati puritatique religionis, (cum omnem diſtinctam Dei cognitionem, qua vera religio a falſa diſtinguitur, tollat, & fidem mere confuſam, indiſtinctam, generalem & negativam, quam omnes ex æquo admittere poſſunt, adeoque univerſalem cum omnibus Hæreticis, Turcis, Judæis & infidelibus Syncretiſmum, imo affectatam ignorantiam & Deum ignotum inferat) infeſta; (8) Divinæ item gloriæ ignominioſa, quatenus omnia de Deo ſimpliciter negat, inque modo iſto negativo cognoſcendi, tanquam ſummo & perfectiſſimo, ultimate ſubſiſtit, & ſic merum Non-Ens ex Deo facit, cum & de nihilo atque Chymæra omnia negari poſſint: unde neceſſitate quadam Autor rapitur ad diſputandum, utrum pro hoc ſtatu de Deo dentur conceptus poſitivi Deo proprii? & quo ſenſu Patres affirmationes negative accipiendas eſſe ſtatuant? (9) neque intellectus, neque voluntatis quietifica; (10) ſupra quam revelatum ſapiendo, temerarie curioſa; (11) plane enthuſiaſtica, utpote immediate infuſa, ſecretis

ſecretis inſtructionibus innixa, novis ſpeciebus inſtructa, privationē omnis intelligentiæ, ſuſpenſionem ſenſuum, abſtractionem mentis, ecſtaſin & raptum inferens &c. Seqq. capp. ſpecies contemplationis Myſticæ ſeorſim conſiderat; ut cap. III. *Puram* a phantaſmatibus; unde quæſtio, an apprehenſio humana per ſe & ſua natura pendeat a phantaſia? num in contemplatione ſupernaturalium neceſſario uſus phantaſmatum interveniat? naturaleque ſit animæ, corpus informanti, non intelligere quidpiam, niſi per converſionem ad phantasmata? an vero ſalvo modo eſſendi, ad modum ſine phantasmate operandi & cognoſcendi elevari poſſit? Cap. IV. *Caliginoſam*; ubi quæritur, an quoad contemplationis eminentiam, ut loqui amant, facialis ſit, quemadmodum Jacob Gen. XXXII, 30 Deum de facie ad faciem vidiſſe dicitur? an Myſticus Deo in caligine eſſentialiter uniatur? qualem conceptum, poſitivum, an negativum, de Deo formet? num illum Deus ſolus, an vero per ſpeciem intelligibilem impreſſam, in mente producat? numque talis impreſſa Dei ſpecies detur? an illa intelligibilis, & non obnubilans magis dicenda? quomodo caliginoſa a pura differat? Cap. V de contemplatione *ſupereminente* diſputatur, quomodo infundatur? num voluntas in tantum elevari poſſit, ut plus diligat quam cognoſcit? an *guſtare* Pſ. XXXIV, 9. ſit voluntatis, & *videre* intellectus? an notitia contemplationis hujus ſit quidditativa & evidens ſaltem abſtractive, num vero intuitiva aut intermedia? quid λόγος γνώσεως 1. Cor. XII, 8? quid intellectus donum Eſ. VII, 9? per quas ſpecies contemplatio iſta fiat? quænam ſint ſpecies illæ infuſæ? num ad majorem amorem etiam major requiratur cognitio? num vero amor altius aſſurgat quam cognitio? quo ſenſu Myſtici dicant amorem intrare, cognitionem vero foris manere? an cognitio experimentalis etiam ſit intellectualis? an ſupereminens contemplatio fundamentū habeat in Scriptura? Cap. VI. Præfationem & Monita Molinoſii conſiderat, monſtratque, quod cognitio contemplationis myſticæ non ſit ſcientia, ſed experientia propria fallax, fides confuſa, mera ignorantia; quod amare Deum ut in ſe eſt, in hoc vita impoſſibile ſit; quod cognitio confuſa diſtinctâ clarior eſſe nequeat; quod oratio non tantū ad intellectū, ſed & voluntatē pertineat, fixusq; Dei in hac vita non detur intuitus. Deinde diſquirit, an Humanitas Chriſti ſit

jectum contemplationis, numq; etiam pertineat ad objectum beatificum? an recte a Molinosio dicatur creatura, instrumentum salutis & canalis bonorum a Deo expectandorum, & negetur esse summum bonum? quisnam fuerit Beguardorum & Beguinorum error? an detur supernaturalis contemplationis modus, qui sit supra humanum modum a formis imaginariis prorsus denudatus? quid & quænam sit præsentia mystica, an mere intentionalis, an vero substantialis? quo sensu Thomas statuat, perfectius nos amare posse quam cognoscimus? quodnam centrum animæ? quid secessus Mysticus, aut locutio & auditio mystica, item susurrus mysticus? num vita contemplativa apud Deum gratior & acceptior, quam activa? an ad contemplationem requiratur habitus? quid sit suspensio Mystica & quinam contemplationis infusæ gradus &c. Hæc circiter sunt argumenta libelli eruditissimi; reliqua Theologiæ Mysticæ Repurgatæ & Reformatæ, quam paratam habet, Venerandus Autor reservat.

M. CASPARI HEUNISCHII PAST. ET PROF. P. Suinfurt. in Canticum Canticorum Commentarius Apocalypticus.

Lipsiæ, apud Joh. Frid. Gleditsch 1688, in 4.

PRæ aliis Commentatoribus lucem accendit difficillimæ prophetiæ, in Apocalypsi Johannea comprehensæ, Matthæus Hoffmannus, primus apud Suidnicenses in Silesia Invariatæ Confessionis Augustanæ ad SS. Trinitatis ædem Pastor, in Chronotaxi Apocalyptica, quæ post mortem Autoris primum prodiit Jenæ A. 1668, & iterum ibidem A. 1687. Dolent, quotquot legunt, omnes, morte præventum sagacem illum Interpretem, reliquisse nobis opus imperfectum, & quoad cætera, ab alio pari dexteritate vix perficiendum. Aggressus tamen est periodos residuas Ecclesiæ adjicere Dn. M. Caspar Heunisch, in Synopsi Chronotaxeos Apocalypticæ, quam in antecessum Commentarii in Apocalypsin, quem in animo habebat edere, præmisit A. 1678. Deprehendit autem ipse postea, manuscriptum quoddam Hoffmanni nactus, se eo tempore paucorum mysteriorum rectam habuisse notitiam, & in multis errasse. Rectio-

Rectiora docuit in Clavi Apocalyptica & Ezechielica, in qua Hoffmanni manuscriptum admodum breve publici juris fecit, & eruditis notis dilucidavit A. 1684. Eodem anno Clavem istam non solum e latina in germanicam linguam vertit, sed & numeros omnes Apocalypticos magna solertia explicavit. Hic Vir, in vaticiniorum divinorum speculatione multum versatus, auctor est hujus in Canticum Canticorum Commentationis, in qua textus Hebræus cum tribus versionibus, vulgata, Junio-Tremelliana, & Johannis Cocceji legitur, philologice explicatur, verus a Spiritu Sancto intentus sensus indagatur & exponitur, ac frequentissimæ metaphoræ & allegoriæ declarantur, collatis omnigenis veterum & recentium Interpretum expositionibus, cum epicrisi, quænam inter eas optima sit; aut si nulla earum probabilis, alia affertur non sine rationibus e textu depromptis: cumprimis vero instituitur collatio cum Apocalypsi juxta Chronotaxin ab Hoffmanno observatam, septem periodorum Ecclesiæ in septem Epistolis, Sigillis, & Tubiciniis. Nimirum prima periodus incipit anno Christi juxta æram vulgarem Dionysianam 33. festo ascensionis. Secunda A. C. 371. Tertia A. C. 708. Quarta A. C. 1046. Quinta A. C. 1384. Sexta A. C. 1722. Septima & ultima A. C. 2060. Secundum quas post præparationem cap. I. v. 2. 3. 4. Tractationis, inde a v. 5. usque ad finem libri totidem sunt partes. Prima est a v. 5. cap. I. usque ad finem; Secunda a cap. 2. v. 1. usque ad finem; Tertia a cap. 3. v. 1. usque ad finem; Quarta cap. 4. toto, & v. 1. cap. 5. Quinta cap. 5. v. 2. usque ad cap 6. v. 8. Sexta a cap. 6. v. 9. usque ad finem, cap. 7. Septima toto cap. 8. Quæ partes rursus sua membra vel articulos habent. Unde sequitur, nec Hortolani & Cornelii a Lapide, nec Joh. Cocceji, Cantici ad Apocalypsin accommodationem, legitimam esse. Adjecti sunt Indices vocum Hebræarum, Dictorum Scripturæ explicatorum, Rerum.

J. B. APPENDIX TERTIA AD EXAMEN Perpetui Mobilis, qua ad Meletemata Dionysii Papini mense Junio hujus anni publicata respondetur.

Clarissi-

CLariſſimus Vir in iſtis Meletematis duo ſibi præſtituta habet, unum, ut oſtendat, me fruſtra impugnaſſe Machinam; alterum, ut ſuam refutationē genuinam eſſe probet; at quantum in utroq; præſtiterit, mox palam me facturum ſpero; non quod huic labori non parcere maluiſſem, ſi exiſtimaſſem de ſola detecti erroris gloria inter nos diſceptari, utpote quam Exc. Papino, ſi quis attribuere volet, ego certe non invideo: ſed quia ſentio, agi hic præcipue de quantitate virium controverſæ Machinæ, qua de erudiri publico pluris intereſt, & in qua æſtumanda non leviter diſſentimus, neceſſarium eſſe duxi, Lectorem de rei veritate uberius paulo inſtruere.

I. dicit, me fruſtra impugnare Machinam: circumſtantiam enim vectium, e qua Machinæ defectum deduco, ei non eſſentialem eſſe, levique negotio ſic immutari poſſe, ut nulla amplius vectis habeatur ratio. Hoc vero tantundem mihi videtur eſſe, ac ſi quempiam, qui ex natura vectis oſtenderet, potentiam bilibrem vecti applicatam pondus unius libræ, ſed triplo ab axe remotius movere non poſſe, culpare vellet propterea, quod eadem potentia eidem ponderi citra vectem ſic applicari poſſit, ut ſequatur motus. Etenim ſi vel maxime verum eſſet, quod facta, quam innuit, mutatione Machinæ, obtineretur motus optatus; non tamen inde colligi poſſet, conſiderationem vectis in ea diſpoſitione Machinæ, quam propoſuit Auctor, quamque ſolam refutandam ſuſceperam, minus eſſentialem eſſe. Largior quod absque vecte follis poſſit eſſe follis; at quod tum cum folli vectis ineſt, ejus vires ſepoſita vectis conſideratione calculo æſtimari & ſubduci poſſint, ſicuti poſſunt non attendendo ad materiam vel colorem alarum, aliave ejusmodi accidentia, id vero nemini facile perſuadebit. Sed deinde, quod rei caput eſt, ſi quicquam adverſus me efficere voluiſſet Clariſſimus Vir, non acquieſcere debuiſſet nova ſua Machinæ fabrica, ſed inſuper oſtendere', quod per eam ſalvetur motus perpetuus ex meis principiis; quod quia non fecit (neq; ſane facere potuit) apparet eum calculi mei rationē vel non attendiſſe vel diſſimulaſſe: quippe ſi machinæ ſic diſpoſitæ vires juxta hunc calculum examinare ſuſtinuiſſet, facile animadvertiſſet, eam non majori quam antea uſui futuram, tametſi nunc vectis ratio in illa ceſſet. Imo ſi inſpiciatur ejus iconiſmus menſe Junio exhibitus, vel absque novo calculo liquere poteſt, quod vires quas habet

habet follis, cujus alæ ABC & DE parallelo motu feruntur, non aliæ ſint, quam quas idem haberet, ſi parallelogramma EB, EC, in alas converſa, & circa firmum axem AE rotabilia conciperentur. Nam primo ſeries filamentorum mercurialium, & atmoſphæricorum in alas agentium, in utraque machinæ diſpoſitione eædem manent, tum vero latitudines inæquales alarum prioris diſpoſitionis, proportionales ſunt inæqualibus diſtantiis ab axe vectium in poſteriore, ſicut e converſo etiam æquales alarum latitudines poſterioris diſpoſitionis, proportionales cenſeri poſſunt diſtantiis ab axe vectium prioris; quandoquidem hæ diſtantiæ in motu parallelo alarum ceu vectium, ubi axis velut infinite diſtans concipitur, itidem æquales habentur. Itaque cum vires harum machinarum æſtimari debeant ex rationibus ponderum filamentorum, latitudinum alarum & diſtantiarum ab axe, ſequitur omnino illas in utraque machinæ diſpoſitione easdem eſſe, adeoque quod de una demonſtratum eſt, id perinde quoque valere de altera. Demonſtravi autem in ſuperioris anni *Actis*, quod omnes ejusmodi folles, qui alas habent circum axem rotatiles, inque vertice adjunctum tubum ad centrum usque gravitatis deſcendentem, ſiphones referant crurum æqualium; quare idem quoque ſentiendum de ea follium diſpoſitione, qua alæ parallelo motu moventur, hoc eſt, circa axem infinite diſtantem rotari concipiuntur: unde ſponte tandem fluit, quod in iſta ſtructura Papiniana, ubi coaptatus tubus HA non deſcendit ad mediam profunditatem F, nedum ad centrum gravitatis, preſſio intra follem externæ preſſioni multum prævalere debeat, ſicque efficere, ut follis dilatetur, non conſtringatur; quod ex meis principiis oſtendendum erat. Qua inſuper occaſione non poſſum non denuo conqueri de ſiniſtro ſenſu, in quem verba mea rapuit Clariſſimus Papinus, quaſi exiſtimem, axem motus ipſi centro gravitatis machinæ affigendum eſſe ad expectandam rotationis viciſſitudinem; quod enim axem motus in vicinia hujus centri collocatum ſuppoſuerim, id ideo factum, ut Inventori Machinæ (quem, uti mox explicatius oſtendam, plus juvat, ut propius, quam ut remotius ab illo ſtatuatur) tanto plus largirer, eoque ipſo docerem, quod ſi perpetuus motus non ſuccedat, cum axis machinæ prope gravitatis centrum aſſumitur, is adhuc multo minus ſucceſſurus ſit, ubi longius ab illo remo-

vetur. Ut præteream & hoc falsum esse, quod nequeat axis motus in eadem altitudine cum centro gravitatis ita collocari, ut pars una alteri præponderet: si enim alterutri alæ ad latus dicti centri applicetur, numquid movebitur erecta machina, cum totum ejus pondus tunc sit ad unam partem, & nihil ad alteram?

Sed denique nec hoc tacendum est, Clarissimum Papinum nova sua Machinæ fabrica vel eo quoque nomine nihil contra me proficere, quod existimet, alas ejus parallelo motu latum iri; quis enim obsecro non videt, quod alæ istæ, tametsi solutæ sunt & nullo vinculo sibi inhærent, non possint tamen ita ferri, nisi in ambabus extremitatibus æqualiter premantur? Sed ipso asserente Papino premuntur inæqualiter, in partibus scilicet infimis fortius ab incluso Mercurio, quam ab externo aere, & in supremis ab hoc fortius quam ab illo: unde, sive omnes pressiones ab intra omnibus ab extra simul sumptis prævaleant, sive hæ illis, semper id efficietur potius, ut dum alæ infra magis distenduntur, supra propius ad se invicem accedant, donec in ipso vertice coeant, & sic sponte rationem vectium induant, quam tamen hac fabrica evitare studuit Clarissimus Vir: quare dum tela mea, ut vocat, in vectium hypothesi metuenda esse agnoscit, eo ipso & contra hanc suam structuram eadem non minoris efficaciæ esse fatetur.

II. Atque ita Responsionem meam Papinianis telis frustra impeditam, satis quidem me defendisse auguror. Sed quid si nunc eadem in Auctorem retorqueam, & Sole clarius ostendam, illius calculo controversæ Machinæ jugulum ita peti, ut in quacunque dispositione ad ictum hunc declinandum levissima immutatione indigeat? utique fatebitur tunc Clarissimus Vir, non me, sed se præpropere & festinanter egisse. Existimat in Machina 40 digitorum quomodocunque dispositа, seu Pyramidali seu Prismatica, & sive basis sursum spectet sive deorsum, vires inclusi Mercurii perpetuo easdem esse, & pressioni uniformi 20 digitorum ceu dimidiæ altitudinis æquipollere. Spectet igitur primo sursum erectæ Machinæ basis, atque intelligatur axis motus applicari intermedio quodam loco, inter centrum gravitatis & dimidiam altitudinem, puta circa 16^tum^ a base digitum, vasculum vero duobus infra axem digitis statui; qua ratione tubus ad summitatem machinæ pertingens

gens altitudinem habebit 18 digitorum, quibus ex 27 detractis, relinquuntur 9 digiti, pro quantitate pressionis, quam Atmosphæra per tubum in interiora follis exerit, cumque incluſus Mercurius, secundum Papini æstimationem, æquivaleat 20 digitorum pressioni, fiet additis 9 ad 20, totalis pressio 29 digit. prævalebitque externæ, quæ tantum est dig. 27, idcirco dilatabitur follis, reliquaque ex voto Inventoris succedere debebunt. Spectet deinde basis Machinæ deorsum, iterumque axis motus inter machinæ medium & centrum gravitatis statuatur, hoc est in isto situ, circa 24^tum^ a vertice digitum; vasculum autem duobus supra hunc axem digitis, sic ut viginti duobus adhuc a vertice distet; quo pacto 5 tantum Atmosphæræ digiti intra follem prement, qui juncti 20 illis a Mercurio incluso profectis, efficiunt totalem pressionem 25 digit. minorem externa pressione 27 digit. Unde nunc contraria ratione constringetur follis, quo constricto cætera iterum optatum successum ex mente Inventoris, ut prius, consequentur. Quæ cuivis attendenti manifesta sunt ex eo, quod in utroque machinæ situ centrum gravitatis, respectu axis rotationis ad eam partem reperitur, ad quam post dilatationem aut constrictionem alarum præponderare ac deprimi debet machina, ut obtineatur rotationis vicissitudo; quod utique depressionem hanc, & exinde motus perpetuitatem certo secuturam argueret. Unde apparet, quam largus virium hujus machinæ æstimator fuerit Clarissimus Vir, e cujus calculo id futurum sequeretur, cujus impossibilitas hodie a maxime eximiis Mathematicis tantum non pro principio assumi solet.

Quibus allatis rationibus, Clarissimo Adversario omnino satisfactum iri spero. Quod si tamen iis locum dare adhucdum detrectet, agedum Experimentis litem nostram terminemus. Quæstio inter nos agitata uno verbo huc redit, an in æstimandis viribus controversæ Machinæ solius altitudinis Mercurii, an etiam latitudinis alarum & vectis ratio haberi debeat? Si sola Mercurii altitudo spectanda sit, ut arbitratur Clarissimus Vir, tunc vires ejus in eadem altitudine perpetuo eædem erunt, & pressionem columnæ uniformis dimidiæ altitudinis exæquabunt, sive machina pyramidalis sive prismaticæ sit figuræ, & sive basis sursum sive deorsum respiciat. At si prætereа etiam consideratio vectis & latitudinis ala-

rum in censum venire debeat, ut quidem ego sentio, tunc vires istæ æquivalebunt pressioni columnæ tantæ longitudinis, quanta est centri gravitatis machinæ ab ejus summitate distantia, adeoq; pressioni nunc majori nunc minori, prout follis hujus vel illius est figuræ, basinq; suam vel deorsum vel sursum obvertit. Itaq; si folli cuicunq; in summitate applicetur tubus descendens ad ejus mediũ usq;, is juxta Dn. Papinum nec dilatabitur nec constringetur, sed in perfecto erit æquilibrio cum tubo; juxta me dilatabitur, si basis deorsum spectet, constringetur, si sursum. Rursus si tubus inter centrum gravitatis & medium follis terminetur, tunc juxta Clarissimum Virum base sursum spectante, follis dilatabitur, secundum me constringetur; at base deorsum versa, juxta illum constringetur & juxta me dilatabitur. Quæ cum in folle etiam minimo, & vix decem duodecimve excedente digitos, locum invenire debeant, idcirco rei veritatem exiguo sumptu & labore experiri licebit, præsertim si id sibi negotii præscribat Celeb. Papinus, cujus dexteritas ac industria in experimentis instituendis jam dudum orbi literato notissima est. Verbulum igitur deinceps hac de re non addam, quousque Natura Judex, ad cujus nunc tribunal adversam partem provoco, pro alterutro nostrum sententiam dixerit; quam si sibi favituram autumet Illustris Adversarius, paratum inveniet, qui contra se depositа, si velit, pecunia contrarium tueatur.

TRAITTE' DE LA NATURE ET DE LA Grace, contre les nouvelles hypotheses de Mr. P. &c.

Par M. Jurieu &c. i. e.

Petri Jurii Theologiæ Doctoris & Professoris Tractatus de Natura & Gratia, sive de concursu generali providentiæ, & particulari gratiæ efficacis, adversus novas hypotheses P. & ejus discipulorum.

Roterodami, apud Abrah. Acher, 1688, in 12.

QUem in titulo libri litera saltem una designat *D. Jurius*, alibi integro nomine expressit, *Pajonium* nempe, celebrem nuper in Gallia inter Reformatos Theologum, & ab ipso *D. Jurio* ob ingenium

genium & eruditionem laudatum. Adversus hujus dogma *de providentia & gratia*, non tam, quale ipse, dum viveret, protulit, quam quod discipuli ejus post mortem magistri efformarunt, præsens opus D. Jurius edidit. Atque id quidem jam ante annos decem, cum Academici Professoris munus *Sedani* gereret, paratum se habuisse scribit; distulisse autem editionem, quod speraret fore, ut novella illa opinio, in aliquibus, quas allegat, Synodis Galliæ damnata, cum morte Autoris evanesceret. Excitatum vero se esse, cum animadverteret, ulterius progredi discipulos, & in Pelagianismum & Socinianismum prolabi. Speciatim queritur de autore tractatus, cui titulus est, *Protestantis pacifici*, quem in Actis A. 1684, mense Augusto, p. 356 sqq. sed addita itidem, præter morem alias nostrum, censura memoravimus. Status controversiæ, sive Systema *Pajonii*, aut quos vocant, *Pajonistarum*, sub initium operis luculenter proponitur, cujus summam ex relatione Autoris paucis exhibemus. Statuere dicuntur, quod Deus actu voluntatis suæ mundi creationem decernens, & in tempore executus, talem machinam produxerit, in qua creaturæ quædam irrationales, quædam vero intelligentes & liberæ esse deberent. Huic machinæ motum generalem impressisse, ad finem seculorum usque duraturum, & qui per instrumenta sua omnes motus particulares & eventus contingentes effecturus esset. Itaque hoc posito, opus non fuisse, ut Deus post creationem ulterius manum admoveret, aut creaturis nova actione, quam *concursum* vocant, adesset; quia ex prima illa impressione, omnia, ut Deus præviderat, sequi debuerint, nexu causarum necessario & indissolubili; nisi Deo pro supremo jure suo placeat, aliquando aliter extra ordinem, sive per miraculum agere. Huic impressioni generali eventus etiam, qui liberi vocantur, & a causis intelligentibus & liberis proveniunt, subjacere ex illa sententia, non dubitat *Jurius*, sed multis probat. Negant itaque Pajonii sectatores concursum immediatum, neque tamen ideo creaturas liberas independentes a Deo statuunt, quia, ut dicunt, agunt ex impressione illa primæva & generali, scienter a Deo ordinata, & quia a Deo extraordinario modo impediri possunt. Putant etiam hoc assertum ad gloriam Dei majorem tendere, dum scilicet opus produxerit, absq; speciali concursu agens, quod minus admirandum aut perfectum foret, si ad singulas actiones concursus Dei requireretur. De Cap. I. §. IV.

operatione Dei in conversione hominis ita dicuntur sentire, ut corruptionis causam in intellectu ponant, qui voluntatem ad malum determinet, idque probari posse putant dicto *Gen. VI. 5.* & aliis; agnoscunt tamen, etiam infantes, qui intellectu suo uti non possunt, neque præjudiciis regi, propensione tamen sive dispositione ad malum eidem corruptioni, & sic peccato originali obnoxios esse. Hoc vero malum prorsus morale esse contendunt, nullatenus physicum, ne in infantibus quidē; verentur enim, si physicum aliquid admitterent, in Flacii errorem incidere. Deducunt porro inde, corruptioni (in intellectu solum hærenti & morali) remedium quoque aliud non esse, quam morale, i. e. quod ex illuminatione intellectus oriatur, qua præstita, præjudicia & errores fugentur: hoc vero remedium adhiberi per verbum Dei prædicatum, & cognitionem veritatis, quæ ex illa prædicatione, debito modo facta, nascatur. Excludunt itaque operationem immediatam Spiritus Sancti ad præstandam fidem verbo prædicato, & qui illam requirunt, pro enthusiasmi assertoribus habent. Extollunt igitur Scripturæ efficaciam, quod sufficientes divinæ autoritatis characteres in se habeat, & certitudinem moralem faciat, & obedientiam producat, necessario ex prædicatione & agnitione divinæ autoritatis, absque novo Spiritus auxilio sequentem; & hoc esse & vocari existimant testimonium & auxilium Spiritus Sancti, quanquam alicubi plus videantur requirere. Objectionem vero, quod hoc modo omnes, qui prædicari verbum audiant, converti debeant (id quod praxis falsum esse ostendit) elidere volunt, dicentes, certas circumstantias, divina sapientia (modo quidem non satis penetrabili) provisas, ad conversionem hominis concurrere, v. g. organorum aptitudinem, locorum, disciplinæ & conditionum ac generum vitæ rationem, item afflictionum stimulos; cum defectus illarum circumstantiarum corruptionem e contrario foveant, & conversionē remorentur. Eas itaq; Deus, ex illorum sententia, cum motu illo impressionis generalis conjunxit, ut effectus ex iis necessario producatur. Internam vero operationem verbi divini ab externa ita distinguunt, ut illa fiat, cum audita intus percipimus, attendimus, & intellectui meditanda & dijudicanda proponimus; id quod fatentibus illis accidit, non solum in verbi aut dogmatis divini, sed & in humani seu philosophici perceptione; ubi differentiam tamen afferunt, quod accedat testimonium

monium veritatis divinæ ex Scripturis perceptum & agnitum, & circumstantiæ illæ a Deo in prima impressione prævisæ. Ex his thesibus, quas ad XII reducit Autor, operis hujus parte prima refutandas sumit illas, quibus statuitur, *quod Deus non influat in actiones hominis concursu immediato, sed contentus sit impressione motus, ab initio omnibus partibus mundi data, & effectus necessario producente.* Quibus argumentis id faciat, enarrari hic satis ample non potest. Notat ante omnia, *Pajonistas*, dum concursum particularem negant, simul etiam, etsi aliud jactent, vi consequentiæ generalem tollere, non minus ac Pelagius, cui utrumque errorem, secus quam *Jansenius* putavit, tribuendum esse censet, atque sic Pelagianismi reos fieri Pajonistas non dubitat. Negat etiam, quæstionem de concursu scholasticam esse; asserit potius summe esse Theologicam, & a primis reformatoribus, licet id inficientur Pajonistæ, decisam formulis satis duris. Cætera quæ de natura concursus & de ejus necessitate, docte & perspicue commentatur, & ut hanc tum ex natura *nihili* creaturarum, conservatione perpetuo indigentium, tum ex motu & nexu materiæ & spirituum, item ex incommodis oppositæ sententiæ, & ex sacris literis denique deducat, atque ab imputatione, ac si admisso concursu particulari Deus autor peccati habeatur, liberet, tandem vero utriusque systematis comparationem faciat, & providentiam Dei ex Scriptura & consensu Ecclesiæ explicet, lectu & consideratu sunt dignissima.

Cap. II. §. 2.

Cap. III. Cap. IV. ad VIII.

Cap. X.

Tractatu secundo, de *natura corruptionis humanæ, & de operatione gratiæ internæ sive medio conversionis*, pluribus agitur, & reliquæ Pajonistarum theses expenduntur ac refelluntur, illæ inprimis, quæ corruptionem in solo intellectu ponunt; cum eadem non minus, sed magis & frequentius in voluntate sive affectibus & passionibus, ex corporis vitio orientibus, resideat, quæ in intellectum dominantur, & eum corrumpunt, imo repugnante sæpe illo, scientes prudentesque homines in peccata præcipitant. Id uno verbo *pravam* dicit esse *concupiscentiam*, sive amorem rerum sensibilium & carnalium, qui ex cohærentia animæ cum corpore nascitur, & sic etiam infantes peccati originalis reos facit. Adstruit deinde, corruptionem non solum esse moralem, sed suo modo etiam physicam, & sic physico etiam remedio opus habere. Expliçat, quomodo peccatum

tum a parentibus in infantes propagetur, absque culpa Dei, licet is animas (ex Autoris sententia) immediate creet. Porro gratiæ operationem non solum moralem esse statuit, quæ tantum agat per præsentationem objecti & per modum sollicitationis; sed & physicam, quæ vere in motum facultatis agentis influat, & hanc intus impellat & moveat. Ut enim (ait) manus rotam, & corpus aliud corpus, ita & Spiritus alium spiritum physice, i. e. realiter impellit, exemplum afferens ab Enthusiasmo. Aggreditur inde assertionem adversariorum, quod voluntas regatur ab intellectu, & contrarium probatum it. Intellectus enim (scribit) est facultas passiva, quæ non agit, sed recipit, neque libera est, sed necessario intelligit quæ proponuntur, sicut oculus non libere, sed a natura sua necessario videt quæ repræsentantur. Voluntas autem est facultas activa, & consentit libere, imo ab objectis sæpissime, & tam celeriter movetur, ut intellectus non consultus aut reluctans trahatur, de quo non solum Medea apud Poëtam queritur, sed & D. Paulus Rom. VII, 23. Itaque intellectus plane subjacet voluntati, & hanc gratia movere debet, antequam penetret intellectum. Credere igitur volumus per gratiam, quæ delectationem nobis affert, ex rebus intellectui nostro per verbum propositis, etiam non distincte & plenissime cognitis. Negat inde Autor, sensum rerum spiritualium, ut Pajonistæ volunt, nihil aliud esse quam earum cognitionem. Quod vero ad officium Scripturæ Sacræ ejusque characteres internos, qui divinam autoritatem ejus secum ferunt, attinet, agnoscit quidem Autor, vere tales in Scriptura reperiri, neque nuper ab adversariis demum, sed ab orthodoxis omnibus dudum observatos esse; verum per eos solos, absque gratia Spiritus Sancti concurrente, fidem & assensum non produci; licet enim intellectus aliquando convictus esse possit, voluntatis tamen approbationem nondum sequi; certitudinem ergo *subjectivam* requiri, nec *objectivam* sufficere; illam vero opus esse Spiritus Sancti. Ab hoc non illico certitudinem speculationis, sed prius adhæsionis produci, & ideo credere hominem, quia a Spiritu Sancto movetur ejus voluntas, ut credere velit. Hæc & alia cap. I. & II. leguntur. Postea a cap. III. ad VI opinio, quod sola Scriptura absque concursu Spiritus Sancti in hominis conversione agat, Pelagianismi accusatur, & pluribus rationibus, tum ex Scriptura

ptura, tum ex incommodorum demonstratione refellitur; reprehenso etiam *Malebranchii* systemate, ex iisdem fere argumentis. Modum vero, quo Spiritus Sanctus in animam hominis agit, licet per se ineffabilem, quatenus tamen ex Scriptura percipitur, describit capite VII. Primo (ait) Scriptura Sacra proponitur, & ex ea intellectus percipit, quæ de mysteriis divinis traduntur. Illa autem objecti propositio non est proprium opus Spiritus Sancti, ut nec interna perceptio, quæ auditum sequitur. Intellectus enim antegratiæ specialis operationem, ut dura aut absurda rejicit, quæ de mysteriis percipit. Tum vero Spiritus Sanctus sive gratia intellectum ad persuasionem disponit, commonstrata veritate & efficacia argumentorum: alia vero actione movet voluntatem, ejusque propensionem in affectus carnales infirmans, delectationem ex rebus in Scriptura propositis illi inspirat, qua præventa voluntas & mens hominis *gustat, quod suavis sit Dominus*, Ps. XXXIV, 9. Præventio autem hæc sive delectatio non est ex ratiocinatione, deliberatione aut speculatione, sed ex impressione sive irradiatione gratiæ. Sicut enim corruptio originalis non est motus deliberatus, sed impressus, & veluti morbus animæ, ita delectatio ex gratia est sanitas mentis a Deo immissa. Cap. VIII. explicatur ulterior Spiritus Sancti operatio in producenda fide speculativa, quia absque ejus auxilio anima hominis mysteriorum profunditatem non capit; deinde in removendis obstaculis fidei, ut assentiamus & acquiescamus cum voluptate rebus etiam incredibilibus, quæ in Scriptura proponuntur, & intellectui absurda videntur, neque ex nudo verbi auditu, aut ex commoditate circumstantiarum, absque gratiæ immediato auxilio creduntur. Iisdem vero operationibus Spiritus etiam bona opera debentur, fidem & delectationem sequentia. Difficultatem de salute infantum ita removet Autor, ut dicat a Spiritu Sancto illis dispositiones injici, ex quibus in tempore habitudines & actus oriantur, & hoc modo eos sanctificari. Hoc ex Augustini *Tom. II* ep. ad Dardan. & ex *Calvini* Lib. IV Instit. cap. XVII. n. 18. confirmat. Producuntur cap. IX & X. dicta Scripturæ illustria, per quæ operatio Spiritus separata, qua cor hominis audito verbo ad fidem moveatur, probari potest, & dubitationibus respondetur. Urgentur prolixe preces sanctorum, pro auxilio illo Spiritus Sancti, quod utique plus

præstare debeat, quam sola prædicatio verbi, ejusque rationalis solummodo perceptio. Sublato autem illo auxilio sequi statuit indurationem, non actu Dei positivo. Cum vero sedes hujus materiæ præcipua sit in cap. VIII. epistolæ ad Romanos, quod frigidis inter-
Cap. XI. pretatiunculis corrumpi a Pajonistis queritur, totum id caput Paulinum percurrit, & quam absurda sit adversariorum explicatio, prolixe demonstrat, suam vero sententiam ex Apostoli traditis confirmat. Duobus *capitibus ultimis*, difficultatibus quibusdam respondet, inter alias illi, quæ *Reformatis* objicitur, ac si gratiæ concursum immediatum statuentes, enthusiasmum requirerent. Discrimen enim concursus gratiæ ab enthusiasmo, in superioribus capitibus satis putat esse ostensum.

Tractatus tertius exhibet novam editionem libelli irenici, quem Autor anno 1686 publicavit, & nos in Actis A. 1687 pag. 148 recensuimus, nempe *de methodo rigida & relaxata circa articulos de providentia & gratia.* Præmisit autem admonitionem ad lectorem, in qua conqueritur, quod libelli hujus sui folia, antequam ex typographia integer prodiret, alicui, quem *Papinum & Pajonii nepotem* vocat, non optima typographi fide singulatim transmissa fuerint, ita ut refutatio ejus ex ficta officina *Frid. Arnoldi* prius publicata fuerit, quam ipse, cui opposita est, libellus *Jurii.* Refutatio autem illa inscribitur: *Essais de Theologie &c.* sive *Specimen Theologiæ de providentia & gratia*, in quo id agi prætenditur, ut D. Jurius ab errore liberetur. Eidem Papino tribuit alium libellum, itidem Gallicum, inscriptum: *Critica doctrinæ D. Jurii de gratia immediata*, A. 1684 editum. Hunc vero adversarium, utpote juvenem, pro tyrone habet & despicit, neque cum eo in arenam descendere vult, ipse jam veteranus; aliquos tamen ejus errores dogmaticos & morum nævos indicat, & ad correctionem illum adhortatur. In fine aut negat, aut abominatur, quod in Ecclesia Anglicana *Pajonistarum* opinio recepta esse jactetur, idque non magis verum esse putat, quam quod *Sociniani* de eodem Anglorum assensu gloriari solent.

TRAITE' DE L' UNITE' DE L' EGLISE ET des Points fundamentaux, contre Mr. Nicole.

Par M. Jurieu &c. i. e.

Dn.

Dn. Jurii Pastoris & Professoris Theologi, Tractatus de unitate Ecclesiæ, & de articulis fundamentalibus, adversus Dn. Nicolium.

Roterodami, apud Abrah. Acher. 1688, in 8.

SYstema *D. Jurii* de Ecclesia, a nobis in Actis anni præteriti p. 142 & 182 prolixe recensitum, a Theologo Parisiensi satis celebri, *D. Nicolio* refutatum esse, ex hoc Jurii tractatu percipimus, ipso tamen Nicolii libro hucusque destituti. Interim contenta illius ex responsione hac D. Jurii, cujus notitia lectorem diutius carere noluimus, intelligi possunt. In hac igitur sententiam suam de Ecclesiæ unitate, in Systemate A. 1686 edito propositam, Jurius magno studio & zelo tuetur, simul & alia controversiarum capita, maxime vero quæstionem illam insignem & capitalem, *quinam sint Articuli fidei fundamentales*, sive qui necessario, ut salutē homo consequatur, credi debent, & de culpa schismatis, operose, & ut solet, perspicue & facunde tractat. Quamvis autem fateatur, novam non esse, sed admodum vulgarem, frequentem & exhaustam disputationem de unitate, universalitate, autoritate, infallibilitate, visibilitate, aliisq; attributis, quæ Ecclesiæ Romanæ asseri solent a defensoribus ejus, sed negari a Protestantibus; monet tamen, pro nova haberi posse, quæ de sequelis quibusdam ex disputatione illa fluentibus inter se & antagonistam agitatur. Hujus itaque novitatis spe lectores invitat, ut et proposito magno quæstionis momento. Certum enim esse ait, si demonstretur, Ecclesiam non esse restrictam & determinatam ad unam communionem, eo ipso actum fore de toto, quem vocamus, Papatu; detecta nempe falsitate asserti, quod Romana Ecclesia sit illa unica & sola communio, extra quam salus sperari non debeat. Sic in fumum simul itura esse, quæ de infallibilitate jactantur, omnesque eorum contra separationem querelas & iras; imo ab ipsis potius rationem reddendam esse de corruptelis, per tot secula invectis. Sic etiam vanam fore, quam ab annis viginti, relicta dogmatum excussione, obtrudere voluerint methodum, quam præscriptionis vocent, & per quam sola vetustatis & autoritatis oppositione omnes errores suos defendere nitantur. Omnia enim illa præscriptionum privilegia concidere, si ostendatur,

Ecclesiam non esse constrictam intra pomœria unius communionis externæ, nedum Romanæ Hierarchiæ. Autoritatem Patrum, qua unice nitantur adversarii, tantam non esse, ut simpliciter admittenda sit; neque enim hominibus facile infallibiles videri alios homines. Concordiam vero inter Christianos, & reformationem cultus & dogmatum sperari non posse, nisi larva illa infallibilitatis & unitatis externæ tandem aliquando detrahatur: unde providentia Dei fieri, magnamq; reformationis spem ostendi credit, quod huc demũ reducta sit disputationum summa. Gallos sane respicere jubet ad acta Pontificis hodierni contra Regem Christianissimum, quæ duriora esse contendit, quam quæ post Bonifacium VIII Pontifices contra Reges ausi sunt. Quæ enim Legato Regio nunc Romæ contigerunt, ad Regem ipsum summopere pertinere, licet id non tam clare agnoverint monuerintque, sed certis de causis dissimulaverint Procuratores regii, in deductione Parlamento exhibita. Regis igitur tanti majestati convenire, ut insultationi huic resistat, neque dubitat, quin id facturus sit fortiter, & Ludovici potius XII, quam avi sui Henrici IV, qui absolutionem Pontificiam acceptavit, exemplum imitaturus. Post sublatam infallibilitatis illius & universalitatis Chimæram, non minus commodi ex tractatione quæstionis *de articulis fundamentalibus* Ecclesiæ puriori promittit, subruendo alteram illam machinam, qua Ecclesiæ Romanæ potestas condendi articulos fidei adstruitur: ea enim factum esse ait, ut cultus imaginum, sanctorum, reliquiarum, purgatorium, transsubstantiatio & centum alia Christianis ut creditu necessaria obtrusa sint; licet ipsi non diffiteantur, natura sua hæc dogmata ad salutem necessario non requiri, sed ex lege & autoritate Ecclesiæ necessaria facta prætendi.

Ex his, quæ in præloquio leguntur, idea quædam totius operis conspicitur. Complectitur autem *tractatus septem.* In *primo* ad præfationem Nicolii respondet Autor, eumque reprehendit, quod nomen suum non præposuerit libro, cui titulum fecit: *de l' Unitè de l' Eglise, ou Refutation du nouveau systeme de Mr. Jurieu.* i. e. *de unitate Ecclesiæ, sive refutatio novi systematis Dr. Jurii.* Defectum & infirmitatem præterea operi imputat, quod neque rationibus, neque Scripturæ, sed soli innitatur autoritati, sive testimoniis veterum

terum; neq; eundem characterem ingenii & eruditionis habeat, qui in libris ejusdem *de Præjudiciis contra Calvinistas* & *de Schismatis culpa illis imputata*, apparet. Multa regerit adversus contemtum, quo libros Jurii responso indignos judicavit Nicolius, & contra ironias in sententiam suam de *implemento Apocalypticorum vaticiniorum*, easque in ipsam Apocalypsin redundare existimat, quam cum vaticiniis Nostradami comparare non fuerit veritus. Addit, pleraque in explicatione sua Apocalypseos (secus ac putet Nicolius) Protestantibus satis placere, tantum dubitari de iis, quæ ad caput XI & XXI commentatus est. Spargit etiam quædam satis aculeata in Pelissonium, celebrem virum, qui ex Reformato acris Romanæ Ecclesiæ assertor factus est. Contradictiones inde adversarii quasdam in judicio ejus de Systemate affert, & negat, hoc simpliciter pro novo haberi debere. A nemine enim unquam Protestantium statutum fuisse,, quod Ecclesia in unam communionem constringi debeat, aut negatum, quod in omnibus cœtibus, etiam corruptis, Deus electos habeat, qui fide in Christum salventur, purgati quocunque, quem Deus novit, modo ab erroribus capitalibus. Eosdem fateri, Pontificiã Ecclesiam, utcunq; corruptam, esse tamen Ecclesiã, in qua si non alii, infantes certe salventur. Subjungit monitũ de unitate Ecclesiarum Protestantium, eamq; negat externam esse; pag. 30. neq; enim solum distingui Lutheranos a Calvinistis, sed & Lutheranos & Calvinistas sive Reformatos inter se ipsos. Externam enim unionẽ niti externo aliquo vinculo sive centro, ex quo necessario cohæreat. Intelligit autem unitatem regiminis circa sacras sub uno supremo magistratu aut fœdere: notatque vinculum illud sive centrum dignosci, si excommunicatus in uno cœtu, pro tali etiam habeatur in altero. Aliud Protestantium commune dogma affert, quod pag. 33. errores non fiant fundamentales ex decreto Ecclesiæ, & hoc agnoscit sui Systematis fulcrum esse, aliter tamen applicatum & evidenter stabilitum: quo præstito, secuturam esse Romanæ Ecclesiæ ruinam confidit. Tandem etiam objectionem de dissensu suo a *Joh. Claudio*, ut malignam accusat & refellit. Isthæc & alia ad præloquium Nicolii reponuntur. Cæterum Tractatus hujus primi Cap. I. summa est, ut Autor removeat controversias quasdam minus prin- pag. 41. cipales, inter quas est, *an doctrina veritas cum morum gravitate in eo-*

dem homine concurrere poſſit? Hanc quæſtionem ab adverſario affirmari dicit, & quidem recte: ſed male reſtringi ad Romanos, & negari de Reformatis. Dein ſtatum controverſiæ conſtituit, in duabus, quas jam tetigimus, quæſtionibus, quarum prima eſt: *num Eccleſia conſtricta ſit in unicam quandam communionem, an diviſa eſſe poſſit in plures, non diverſas ſolum, ſed oppoſitas, & quæ ſe mutuo pro hæreticis & ſchiſmaticis habeant?* altera: *an Eccleſia per anathemata & deciſiones ſuas, veritates quasdam creditu ad ſalutem neceſſarias reddere poſſit, quæ tales non erant, & ſic ex deciſione Eccleſiæ errores leviores fieri queant capitales ſive lethales?* Cum igitur Nicolius primam quæſtionem quoad prius membrum affirmative, quoad poſterius negative, ex novem argumentis deciderit, illis omnibus a cap. III ad cap. VIII reſpondet D. Jurius, & de oppoſita autoritate Patrum ingenue profitetur, ſe hac non moveri, licet Patres ob inſignes dotes veneretur: neque enim minus ſibi licere eorum defectus & ſphalmata vitare, aut ab iis diſſentire, ac *Jeſuitis* & *Moliniſtis*, cum ab Auguſtino diſſentiunt. Defendit autem dictum ſuum, a Nicolio vehementer impugnatum, quod Eccleſia noſtra vetuſtior & ſic peritior ſit, quam fuit Patrum illorum tempore, ad majorem ſcilicet cognitionem Scripturarum & dogmatum provecta. A nemine putat hoc negari ſine ſumma ſtupiditate aut impudentia poſſe, ſicut nec Patres a plurimis & craſſis erratis abſolvi: Deum vero lapſus illos permiſiſſe, ut in humilitate retineret homines. Addit alias obſervationes, etiam contra ſententias, quas Patres communi conſenſu tenuiſſe videntur, v. g. *de Euchariſtia infantum*; & urget, quod illi novas opiniones non minus probare ex Scripturis debuerint, quam nos hodie debemus, quodque propterea aſſenſum non mereantur teſtimonio Scripturæ deſtituti. Excuſat etiam Patrum de externa unitate & autoritate Eccleſiæ perſuaſionem, quia tunc temporis magnus vigebat inter omnes circa dogmata conſenſus, & hæreſes evidentes & enormes erant, nec diu durabant, aut non late extendebantur. Aliter judicaturos fuiſſe putat, ſi noſtra tempora vidiſſent, & Romanenſes aliter judicare debere, qui tantos cœtus a ſuis ſeparatos ante oculos habent. Deniq; Patres odio ſchiſmatis non illaudabili, pro unitate externa rigoroſe contendiſſe, cum Romani ex ſuperbia perſequi Eccleſias ſpatioſiſſimas & ſua puriores ſoleant.

leant. Negat etiam, afferri poſſe ullam veterem autoritatē publicam, aut deciſionem conciliorū generalium pro ſententia Romana, & ideam Patrum de Eccleſiæ unitate confuſam fuiſſe judicat, ex qua nihil certi ſtatui potuerit; id quod Cap. IV fuſius perſequitur, & erroris inſignis arguit Nicolium, qui aliud probaturus inter alia hæretici Ariani *commentarium in Jobum* loco *Origenis* allegaverit, duobus plus ſeculis juniorem. pag. 79. Ad farraginem teſtimoniorum ex Patribus, generatim reſpondet, eaque omnia non niſi repetitiones eſſe ait ſententiæ ab Auguſtino, ut ex Cypriani rigore a Donatiſtis adoptato ſeſe extricaret, confuſe conceptæ; neque Patrum mentem unquam fuiſſe ut damnarent Chriſtianos, qui extra communionem Eccleſiæ externam viverent. p. 85. 86. Impugnat dein maſcule formulam illam, quod Eccleſia dicitur *judicare*, *pronuntiare*, *decidere*; licet concilia, quæ œcumenica dicuntur, aliquando ea uti conſueverint, ſive plus juſto ſibi arrogarent, ſive tantum teſtimonium de conſenſu Eccleſiæ perhibere hac phraſi vellent. Eccleſiam enim nunquam conveniſſe, adeoque nec locutam eſſe, nec decidiſſe. Vana eſſe, quæ de *ſponſæ* & *columbæ* voce jactet Nicolius; eam enim non concludi in unam communionem, ſed ubique ſonare, ubi Deus habet ſuos. De verbis Symboli Apoſtolici, in quo profitemur *Eccleſiam univerſalem Catholicam*, diſſerit Cap. VI, & negat per illa aſſertam ab adverſario excluſionem probari. Notat etiam, verba illa non niſi quarto ſeculo inſerta reperiri, & primo omnium in confeſſione Arii Conſtantino M. Imperatori exhibita, ideoq; ex ſeculi illius more interpretanda. Quod ſi tunc quidam hæc verba ita intellexerint (errore quidem paulo ante enato) ut excluderentur cœtus extra communionem externam; plures tamen & ſimpliciores veriorem ſenſum retinere potuiſſe; qui fuerit, quod Deus per orbem habeat cœtus in quibus ſint electi. Præterimus alia, quæ & hoc & ſequenti capite diſputantur, v. g. de Baptiſmo a *Socinianis* adminiſtrato, quem validum eſſe non putat D. Jurius, neque tamen illis magnam litem movet, quibus aliud videtur; neque ideo Syſtema ſuum putat ſubverti, ſi quis *Socinianos* in generali Eccleſiæ Chriſtianæ circuitu complecti, & hujus Sacramenti validitatem illis aſſerere velit. Regulam *Vincentii Lirinenſis* ſatis notam, quam Nicolius ſuo dogmati applicavit, pro ſe interpretatur, & tribus prioribus Cap. VII. pag. 122.

ribus Christianismi seculis negat opinionem illam communionis Pontificiæ invaluisse, dein jam per duo fere secula, post exortum Lutherum, universaliter credi desiisse. Tandem cum Nicolius ex Scripturis pugnare cœperit ex dicto 1. Cor. II, etiam ad hoc respondet, & licet unionem & concordiam ab Apostolo, & illo loco & alibi præcipi & suaderi agnoscat, negat tamen inde sequi, ut exorto dissensu, qualem ibi Paulus taxat, altera pars ex Ecclesiæ gremio excidat. Eodem fere redit, quod ad objectum sibi *Brounismum* sive *Independentismum* regerit, & peccare fatetur cœtus qui sese separant, cum conjuncti essent, neque tamen hæreticos fieri, si articulos fundamentales retineant. Notat etiam, Ecclesias primitivas, e. g. Ephesinam & Smyrnensem inter se conjunctas sive fœderatas non fuisse, sed illud vinculum diœcesium & synodorum postea inventum esse.

Tractatus II per capita VII. occupatur in ostendendis contradictionibus in sententia Romana, (etsi Augustino etiam tribui soleat,) de communione externa & exclusiva, cum tamen simul fateantur, dari vera Ecclesiæ membra in cœtibus schismaticis. Explicat dicta
Cap. I. sua per exemplum adversariis haud insuetum, *de arca Noachi*. Ex-
pag 144. tra hanc, ait, non erat vitæ incolumitas, sicut non est salus animæ extra Ecclesiam. Arca unum erat ædificium; Ecclesia universalis etiam est non nisi una. Arca licet una, in plura tamen receptacula divisa erat; Ecclesia absque unitatis suæ interitu in plures est divisa societates & partes. Arcæ receptacula parietibus distincta erant; Ecclesiæ partes itidem divisæ sunt per controversias & anathemata. Quædam Arcæ tabulata superiora erant cœlo propiora, quædam profundiora & aquis circumdata, ubique autem erant animalia viva; Ecclesia in cœtus oppositos divisa est, altiores & inferiores, puros & impuros, sed ubique sunt membra Christi. Erat etiam sentina in Arca, ubi non erant animalia viva, sentina tamen pars quædam erat arcæ; ita & Ecclesia habet inferiorem illam & abyssо propinquam partem hæresium & sectarum, quæ fundamenta Christianismi rejecerunt, sub complexu ejus generali, sed non
Cap. II. in eo loco, ubi vivunt animæ. Postea de loco Augustini tractat ex
pag. 151. *Lib. I. de Baptismo cap. 10*, ubi adducta historia ancillarum Jacobi, quæ ei, non minus ac uxores, filios pepererunt, concedit, etiam inter hæreticos ex iisdem sacramentis, filios generari Ecclesiæ: aliter autem

autem, quam Augustinus & Nicolius, similitudinem illam applicat. Quemadmodum enim uxores plenariæ & perfectæ erant Lea & Rahel, ita secundariæ quidem, sed veræ etiam uxores, Hebræo more, fuerunt ancillæ; unde conficit, veras etiam sponsas Christi esse Ecclesias schismaticas, licet minus æstimandas ob errores quibus corruptæ sunt. Quæ ad cavillos adversarii reponit, cum multis aliis omittimus. Inculcat maxime discrimen inter hæreticos fundamentum destruentes, & qui illud retinent, admissis licet erroribus: Cap. III.
utrosque tamen ut Ecclesiæ partes recipit, licet errantes in funda- pag. 173.
mento non salventur, non magis ac in Ecclesia orthodoxa peccatores impœnitentes. Paradoxa inde persequitur de *efficacia sacramentorum*, Cap. IV.
qualis in cœtibus schismaticis a Nicolio describitur; ipse ve- pag. 177.
ro nullam sacramentis vim tribuit, nisi quæ ex verbo Dei proveniat,
cujus sigilla sint sacramenta: unde sequitur, eos qui veritatem fun- pag. 183.
damentalem deseruerunt, sacramenta vera non habere. Negat
etiam, ab Ecclesia valide administrari posse sacramenta, extra sinum Cap. V.
sive cœtum suum: quo probato, industriam illam, qua in regioni- pag. 189.
bus barbaris idololatrarum liberi baptizantur, plane inutilem reddi ait. De *charactere sacerdotali & de ordine episcopali* memoratu Cap. VI.
digna addit, & verum ministerium censendum esse docet ex veritate
verbi: ubi hæc est, ait, dubitari non debet de pastorum veritate;
ubi corrupta est veritas, ibi pro modo corruptelæ corruptum etiam pag. 227.
est ministerium; si vero fundamentum plane deficit, ut in *Socinianismo* & *Mahumedismo*, ibi etiam plane deficit ministerii efficacia.
Tandem distinctio adversarii inter Christianos & retinentes Chri- Cap. VII
stianismum oppugnatur; eo enim ille provectus est, ut *Protestantes negaverit esse Christianos, licet ita a Romano-Catholicis aliquando di-* pag. 210.
cantur, ut errantes in sinum Ecclesiæ suæ hac modestia facilius reducant. Magnam ob hanc duritiem & contumeliam adversario dicam scribit Jurius; ipse vero ita sentit, ut illos hæreticos, qui fundamentum subverterunt, ut olim *Gnostici* & *Manichæi*, & hodie *Sociniani*, Christianos vere & serio nominari posse neget; sed alios, qui licet erroribus non immunes, Christum tamen pro Deo æterno & redemtore mundi colunt, hoc nomine privari, impium esse contendat. Allegat pro sua sententia *Hieronymum* in libro contra Luciferianos.

Tractatus III. capitibus quinque totidem argumenta sua, adversus jactatam unitatem Ecclesiæ Romanæ restituit, quæ Nicolius
Cap. I. impugnaverat. Dilatationem Ecclesiæ asserit, sed universali, non
pag. 236. Romanæ, & irridet effugia, quæ post schismata cum Græcis, & postea cum Protestantibus, excogitata esse putat, *de extensione successiva*; præsentaneam enim & perpetuam requiri. De comparationi-
Cap. II. bus Ecclesiæ cum tritico & zizaniis, & cum sagena piscium bono-
pag. 252. rum & malorum, multa differuntur, quæ fere ad distinctionem in-
260. ter errores fundamentales & non fundamentales recidunt, & quoad vitia morum (ob quæ nemo dicit unionem Ecclesiæ solvi) notatur, eos qui non solum peccent, sed & peccata ut licita defendant, in errores fundamentales labi: imo nec ulli cœtui Ecclesiæ nomen aut partem convenire posse, in quo omnes sint peccatores manifesti, adulteri puta aut fures; inde enim appariturum, Spiritum Sanctum æque abesse, ac si vitia dogmatice defenderentur. Porro cum inter argumenta Jurii etiam illud esset, quod ubi verbum Dei prædicetur, ibi etiam sit Ecclesia, & Nicolius de *Socinianis* excepisset, qui verbum Dei habent, & tamen extra Ecclesiam collocantur
Cap. III. a Jurio; respondet hic, se de cœtibus notabilibus & insignibus loqui,
pag. 265. non de quadam impiorum tenui colluvie, qui fundamentum fidei deserentes, verbum Dei prætextus solum causa retinuerint. Acrius rejicit adversarii objectionem de Judæis, qui etiam verbum Dei habeant; satis enim apparere, quod ipse integram Scripturam intellexerit, ejus autem partem magnam, novum nempe Testamentum, a Judæis sperni nemo nesciat. Argumentationi de schismate decem tribuum multa opposuit Nicolius, id maxime, quod Isra-
Cap. IV. elitas illos schismaticos fuisse neget, nisi qui probentur cultui vitulo-
pag. 274. rum adhæsisse. Ad hoc replicatur, schismatis formam non constitisse in cultu illo vitulorum; horum enim cultores (licet id inficiari videatur adversarius) non schismaticos, sed idololatras fuisse: sed in separatione a centro unitatis, quod constitutum erat in frequentatione templi Hierosolymitani. Unde concludit, Prophetas piosque omnes sub decem tribubus ex hoc capite schismaticos, neque tamen extra veram Ecclesiam Dei fuisse, licet caruerint sacramento paschali, & sacrificiis, quæ extra altare Hierosolymitanum offerri non decebat, privati etiam essent summo sacerdote, & festo expiationis

aliis-

aliisque, item conspectu arcæ fœderis, & sic omnia vincula externa cum Judæorum templo ruperint; neque ad unionem Ecclesiasticam pertinere, quod aliquando pacem & conversationem inter se habuerint. Denique exemplum primitivæ Ecclesiæ, in qua Judæi zela- Cap. V.
tores legis, a Græcis separatam, ut probatum it, habebant commu- pag. 281.
nionem, eandem tamen Ecclesiam Christi constituebant, prolixe ad thesis suæ stabilimentum denuo applicat, & objecta ab adversario diluit. Addit quædam de differentia inter Lutheranos *rigidos*, quos vocat, & *laxiores*, & inter *Episcopales* ac *Presbyterianos* in Anglia, neque tamen per illas dissensiones alterutram partem ab Ecclesia, vel Lutherana, vel Anglicana excludendam censet. Reliqua, Deo volente, sequenti mense exhibebimus.

EXCERPTA EX EPISTOLA HIERONYMI ALlegri, in qua tum principia Physica & fundamenta Medica variis experimentis redduntur dubia; tum possibilia alia e cineribus cunctorum mixtorum demonstrata proponuntur.

Ex Ephemerid. Parmens. Sectione IV, A. 1688, p. 84. sqq. in Latinam linguam translata.

AUtor hujus Epistolæ postquam novum casu observasset phænomenum, ansam de eo ratiocinandi, nonnullaque proponendi cogitata, cum philosophia chymica valde conspirantia, oppido arripuit. Scilicet cum vitro cuidam, quod alicui liquori ope sigilli hermetici conservando destinaverat, certum liquorem lixivialem maculæ ejusdem eluendæ gratia immisisset, immissusque quantitate deficere videretur, portionem aliquam alterius liquoris pure lixiviosi & unctuosi, quia de priori nequicquam sibi tunc restaret, adjecit. Vase hinc commoto, quo liquores hi duo invicem combinarentur, accidit ut tertia propemodum circumgyratione, in certum iidem coirent mucum, pauloque post in materiam opacam, albam satisque duram mutarentur. Metamorphosi ejusmodi animadversa, operationes alias capitibus sequentibus comprehensas adornavit.

Accepti duo liquores lixiviales fluidissimi, limpidi & chrystal-

lini, pauca intra momenta turbati & ita exsiccati fuere, ut jam absque humectationis nota commode tractari possent, nulla in unione hac comparente fermentatione.

Materia adhuc mollis multum aqua simplici perfusa, nonnihil terræ candidissimæ ac subtilissimæ ad fundum demisit.

Aqua a præcipitatione residua, nil nisi crystallos salis communis exhibuit.

Aqua hæc, quæ a calce jam penitus separata videbatur, eo quod in prima unione saturata non amplius præcipitaret, quemadmodum ne quidem post evaporationem a crystallis reddita & simplici postea aquæ sociata, juncta denuo cum alterutra harum aquarum præcipitationem calcis candidæ effecit nullam.

Spiritus vitrioli, etiamsi fortissimus, parum nihilominus crystallis hisce affusus efferbuit, nec nisi particulam superficialem arrosit, reliquis crystallis intactis plane relictis, quæ spiritu separato, a novo adjecto nec quicquam porro commovebantur.

Crystalli eædem in aqua simplici solutæ, quoniam aer nullam in ipsas vim ulterius exserere valeret, ubi alterutri liquorum mirabilium jungebantur, nulla apparuit actio.

Partibus aquarum æqualibus cum spiritu vitrioli commixtis, totum in pultem satis tenacem, tactui nihilominus adhærentem nec amplius indurescentem, abiit.

Succus quicunque acidus destillatus, etiam summe debilis, calcis candidæ dissolutionem subito præstitit, liquore penitus insipido & acrimonia spoliato remanente.

Sale communi jam extracto & terra in spiritu aceti seorsum solutis, ac invicem ut unirentur postea commixtis, cum liquor evaporaretur, restitit sal odore, tactu & sapore alcali tartari a spiritu aceti saturatum referens, candidum tamen, haud nigrum instar illius, quod in productione alias terræ foliatæ remanet. Quod sal regeneratum spiritui vini inditum, æque ac glacies in aqua calida, totum diffluxit.

Sal idem destillationi subjectum, phlegma & oleum coloris obscuri citrinum æmulantis, cum odore non adeo graveolento, suppeditavit.

Purgatum & ad residuum sive caput mortuum calcinatum, in aere

in aere supra tabulam vitream in oleum sive liquorem lixivialem delicuit.

Cum parum salis saturati in nummum æneum antiquum projiceretur, quod temporis diuturnitate multum corrosum & flammæ candelæ admotum erat, paulo post sublimatum, ac per nummum in filamenta subtilia & acuta, qualia in arbore argenti licet videre, explicatum fuit.

Interim in nummi superficie undique & supra, & infra, & in margine, copiosissima simul argenti vivi grana comparuere dispersa, ipsumque metallum integrum colore argenteo tinctum.

Ejusdem salis aliquid in æneam laminam nitidam & excandefactam projectum, partim avolavit, partim per laminam dispersum, totum hujus ambitum colore argenteo tinxit, absque eo tamen, ut ullum mercurii granum una observaretur.

Liquorum alterutri oleum olivarum admixtum fermentavit, brevique tempore in substantiam butyraceam abiit.

Liquor primus & spiritus vini purissimus, quoad partes anaticas commixti paucarum horarum spatio fuerunt uniti.

Terra igni proportionato ad calcinandum exposita subito colore assumpsit obscurum, trium vero horarū spatio denuo evasit candidissima. Hæc terra quadrantem pendens, aceti phlegmatis puri libræ integræ injecta, ut hoc imbiberet, saporem vini adinstar austeri contraxit, & mox tota soluta liquorem magis candidum & transparentem, quam prius erat, reddidit, saporeque inter dulcem & insipidum medio imbuit. Quæ solutio postquam in balneo vaporoso leniissimo ad residuum instar olei sive muci satis viscidi, candidi & penitus insipidi esset evaporata, remanentiæ hujus diaphanæ pars una cum panis & carnis, conquassatorum ac pauco muco sive residuo prædicto interveniente in amalgama redactorum partibus viginti fuit mixta, totumque perexiguæ phialæ, pauco vino addito, immissum, quæ accurate sigillata cum leni calori balnei vaporosi per septem horas relinqueretur exposita, in vase, a balneo tum remoto, materia non solum in colorem candidum instar cremoris hordei mutata, sed ad tactum quoque instar balsami satis liquidi & probe lævigati apparuit.

Experimentis hisce recensitis, ratiocinari de iisdem Autor ag-

greditur, circa terram unice & salia separata, in perlustratis operationibus occurrentia, occupatus. Terram siquidem commemoratâ nec terram communem esse, nec cinerem combustum, sed aliam longe terram magis nobilẽ, e variis experimentis supra enarratis, nono potissimum & decimo sexto, colligit. Cum arena, veluti terra sicca ponderosa & crassa, ad vitrificandum solum apta; cum argilla ceu terra viscosa, crassa, tenaci; & cum limo, terra fertili, de principio aqueo potius, quam terreo participante, hanc suam terram philosophicam comparans, limo satis similem, aut adhuc nobiliorem substantiam, fortassis seminarium & receptaculum immediatum terræ veræ virgineæ, eandem judicat, quia & sali suo unita, & ab eo separata, cum omni spiritu acido fermentescat, cum sale vero quocunque acido postmodum superaddito haut amplius fermentet nec moveatur; redditâ autem denuo sali proprio, totum calcinatum qualitatem alcali regenerati repetens, cum acidis æque, ac primo, fermentescat. Exinde fermentationis vim in nulla qualitate alcali, sed in hac terra consistere, neque spiritum sali, sed huic terræ, tanquam consueto suo receptaculo, associari deducit, rationemque desumit erroris convincentem, alcali corpus inane atque vacuum esse, cumprimis quod hinc sequatur, salia & cineres omni virtute privata esse, repugnantibus tamen tum philosophorum sententiis, tum experientia, cum salibus e cineribus extractis varii depellantur morbi, & interdum e cineribus plantæ resuscitentur, prout fecisse perhibetur *Albertus Magnus*, eandemque palingenesin recens edocet Kircherus in mundo subterraneo lib. 8. Sect. I, cap. 8. (potius lib. 12. sect. 4. cap. 5. p. 435. & seqq.) item *Libavius* Syntag. Arcan. Chym. lib. 5. cap 18. urticam e cineribus a Quercetano resuscitatam referens, aliique ab Autore citati. Unde cineres ac salia, quamdiu ab unctuoso suo sive spiritu seminali comitentur, de integra mixti virtute participare arguit.

Enumeratis dehinc variis operationibus circa hanc suam terrã igne factis, concludit eam esse terram terræ ac receptaculum spiritus universalis, qui virtute simili (seminali) imprægnatus causa omnium mixtorum existat, partibusque illa mediante, quantum ipsis destinatur, distribuat; aut saltem coincidere cum illa, cujus *Isacus Hollandus* Oper. Mineral. lib. I. cap. 108. meminit, quod aquæ simplici a Deo fuerit indita, ut de natura sulphurea participans, aquã ipsam

ipsam coagularet. Hanc terram habitaculum putat esse omnium mixtorum corruptibilium, corrigens salium, saporum & odorum medium; illic basin haberi omnium temperamentorum; hinc omnes dispositiones nostras pravas promanare, adeoque terra hac cognita medius discerni posse morborum causas, quam humorum alteratorum medio; causam denique omnium fermentationum existere. Dubitari haud posse, quin terra hæc nostris insit corporibus, modo tophi podagricorum, atque renum, hepatis aliarumque partium calculi cum excrementis similibus considerentur.

Verum de sale differere dum progreditur, in confectione vitri sal commune separari, salia que ipsorum vegetabilium in sal commune converti trutinans, sal unum principiorum naturæ hypostaticorum esse, atque e sale communi cuncta trium regnorum corpora provenire concludit; quod ut confirmet, omnibus in terræ locis, præter mineras multas & salsedinem maris, sal commune haberi perpendere jubet. Porro salis naturam in mixtis secundum discrepantes ejus virtutes examinans, sal principium esse & finem omnium rerum, atque mixtorum quorumcunque rariorum medium colligit. A cogitationibus variis philosophicis in dictis jam rebus defixis, quatuor insequentes nectit sequelas.

Primo dubium videri, an quicquid in terra hac inferiori cernatur, ex aliis principiis materialibus, quam e sale, terra & aqua, a natura compositum fuerit.

Secundo sanitatem & vitam a concentu ipsorum horum principiorum, a spiritu sive calore directorum, dependere, quæ omnia conjunctim unctuosum constituant tamdiu permanens, ac in harmonia propria illa persistunt; morborum vero nostrorum ipsiusque mortis causam ab aspero derivari, quod aliud non sit, quam concentratio sive infirmitas spiritus præcipitationem terræ e salis solutione inferens æque, ac mutationem ejusdem in saporem alienum vix determinandum, cum non unicus sed multi dentur individuum nostrum lædere valentes.

Tertio fermentationis doctrinam etiamnum aliqua in parte deficere, cum nondum magni effectus salis hujus hujusq; terræ sint observati.

Quarto doctrinam itidem de acidis & salsis absque eorum principiorum cognitione esse imperfectam;

Circa

Circa qualitates & virtutes hujus ſuæ terræ fatetur, nondum ſibi de effectibus ejus plane conſtare; conſiderato nihilominus cum Galeno, regulam fallacem eſſe, ſi pro cognoſcendis mixtorum facultatibus hæ a ſaporibus, odoribus &c. deducantur, ſaltem reputat terram hanc corpus aliquod vacuum eſſe & ſitibundum, adeoque alterandis & attrahendis omnibus ſaporibus, odoribus &c. a quibus morbi noſtri oriantur, aptum. Experientia hactenus ea facta, omnium febrium cum intermittentium, tum continuarum chronicarum profligationem, nec non gravium cordis affectuum, cardialgiæ, arthritidis, inſignium reſpirandi difficultatum ac pertinacium capitis fluxionum extinctionem innotuiſſe. Utplurimum inſenſibiliter, interdum per diureſin & ſæpe fæculentam, raro per ſeceſſum, ubique tamen absque ægroti incommodo, eandem operari aſſerit. In multis vigiliis ſomnum quoque conciliat.

Doſi exporrigitur ab uno ſcrupulo ad drachmam unam usque, ratione circumſtantiarum habita; quantumcunque vero hos terminos exceſſerit, ſemper tamen ſalubres obſervavit effectus. Aſſumi poteſt in juſculo carneo, aqua, vino omnibusque liquoribus potabilibus. In juſculo nihilominus ſemper a ſe exhibitam commemorat.

Tandem cum aqua flor. fabar. uſurpatam, egregii coſmetici loco rugas auferre omnemque maculam abſtergere pronunciat.

CORNELII BONTEKOE MED. D. &c. Fundamenta Medica, ſive de Alcali & Acidi effectibus per modum Fermentationis & Effervescentiæ. Accedit item Anonymi cujusdam Autoris Pharmacopœa ad mentem Neotericorum adornata.

Amſtelodami, ex officina Cornel. Blancardi, 1688, in 8.

Quod Autoris celeberrimi ſcriptum ſub Fragmentorum nomine motum acidi & alcali declarantium &c. anno 1683 primũ Belgice prodiit, eodemq; anno Actis noſtris p. 355. inſertum fuit; idem nunc in Latinam linguam transpoſitum Fundamentorum Medicorum titulo inſignitur. Attamen quia præter indicem nihil novi acceſſit,

acceſſit, ulteriori ejus conſiderationi haud immorantes ad Pharmacopœam potius annexam & ab Anonymo quodam, forſan Steph. Blancardo medico famigeratiſſimo, ad mentem Recentiorũ concinnatam progredimur. Sectionum hujus Ima Medicamenta ſimplicia in officinis aſſervanda e triplici naturæ regno commemorat, tempusque herbarum, florum, ſeminum, baccarum, radicum & lignorum colligendorum indicat. IIda Spiritus ſtillatitios recenſet conficiendos, tam compoſitos, v. g. Spirit. cardiacum, nephriticum, volatilem oleoſum &c. quam ſimplices, e. g. Spirit. cornu cervi, ſalis ammoniaci, cochlear. &c. III. Tincturas extrahendas delineat, itidem vel ſimplices, v. g. Tinct. anodynam, ſuccini, croci, &c. vel magis compoſitas, v. g. Tinct. diaphoreticam, ſtomachicam, Elixir antiſcorbuticum D. Bontekoe &c. IV. varia tradit Extracta, v. g. purgans, anodynum, diureticum, carminativum, &c. V. Electuaria deſcribit diverſa, v. g. emeticum, ſudoriferum, bechicum, acidum temperans &c. VI. Pulveres exhibet, v. g. purgantem, diureticum, antiſcorbuticum &c. VII. Olea tum deſtillata, tum vel per expreſſionem, vel per infuſionem & decoctionem præparata indigitat, e. g. Ol. deſtill. aniſ. baccar. juniper. &c. expreſſ. amygdalor. laur. &c. infus. allii, trifolii odorat. &c. IIX & IX Unguenta & Emplaſtra paranda comprehendunt, v. g. Unguent. camphorat. vulnerar. epulot. nervin. &c. Emplaſtr. gummaticum, cicatrizans, croceum &c. Tandem X. compoſitas aquas aſſervandas denominat, v. g. aquam calcis, coctam, ſalſam, ophthalmicam &c.

PHARMACOPOEA BATEANA, CURA JOHANnis Shipton Pharmacopœi Londinenſis.

Londini, apud Samuel. Smith, 1688, in 8.

In ſimplicibus perfecta equidem cura & ſanatio omnium morborũ celebratur ab Helmontio *Pharmacop. & Diſpenſat. Modern. p. 458:* artificioſam nihilominus eorum combinationem cum ſæpius tam pharmaca ipſa, vel vehementia, vel inertia, quam morborum conditio, prout hi utplurimum apud nos aut complicati, aut ſymptomatis urgentioribus ſtipati, omnino efflagitent; Diſpenſatoria ex eo vix reprobanda erunt, quod compoſitiones medicaminum officinales,

cinales, magistralibus Medicorum curæ relictis, edoceant, inprimis si ad mutuam miscendorum & habitudinem & proportionem convenientem studiose attendant. Adeoque nec præsens, quæ sistitur, Pharmacopœa Bateana contemnenda, dum octingenta circiter Pharmaca, composita pleraque omnia, titulo attestante, e Praxi Georgii Batei, Collegii Regalis Londinensis quondam Socii ac Regis Caroli II Archiatri, e tractatu de motibus nuperis Angliæ haud incelebris, excerpta serieq; alphabetica digesta ita exhibet, ut usitatioribus Autoris ab Editore, qui per viginti fere annos Pharmaceuticam sub illo artem assidue exercuit, asteriscus advertatur præfixus. Quorũ nonnulla quamvis in Laboratorio publico Londinensi fideliter præparari, & a Medicis Londinensibus hodie præscribi innuatur, non tamen nisi paucissima in Pharmacopœa Londinensi eundẽ Editorem agnoscente, jam dum sub finem fere reperiuntur descripta; v. g. Aqua Hungariæ, Aqua lactis alexiteria, Pilulæ de creta Palmarii, Pilulæ Vaticanæ, &c. Quemadmodum vero characteres in delineatione medicamentorum adhibiti, mox in frontispicio declarantur, ita in Clavi voces nonnullæ Græcæ vel obscuræ pariter usurpatæ in calce demum explanantur, e. g. dum alcohol vini modo sulphuris cœlestis, modo pyrœni nomine indigitatum, item vinum album leucœnus, butyrum medulla lactis &c. fuerunt denominata. Adjecta ibi itidem habetur tum Orthotonia, tum Tabula Posologica; quarum illa prosodia earum dictionum, quæ a Pharmacopœis plerisque vel ex ignorantia. vel mera consuetudine, male pronunciari solent, carminibus e Borrichio & Ricciolo interspersis, inculcatur; hæc autem pharmacorum quorundam, in Pharmacopœæ Londinensis novissima editione præsertim obviorum, dosibus expeditius computandis accommodatur.

S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS Episcopi Opera, ad codices manuscriptos nec non ad editiones antiquiores & castigatiores recognita, opera & studio Monachorum Ord. S. Benedicti e Congreg. S. Mauri. Tomus V. 1683. Tomus VI. & VII. 1685. Tomus VIII. & IX. 1688.

Paris. excud. Franciscus Muguet Regis & Archiep. Paris. typographus, in fol.

De

DE variis Augustini editionibus Cal. Januar. 1683 diximus, ubi & quartum tomum novæ hujus editionis recensuimus. Priores enim tomos, ante annum 1681 quo acta eruditorum colligere cœpimus excusos, a cura nostra alienos putavimus.

Pergimus igitur ad *quintum*, qui sermones ad populum continet decimo olim tomo comprehensos, & nunc in novũ plane ordinem redactos. Primum locũ tenent genuini quatuor classibus distincti, quarum prima sermones de Scripturis, altera sermones de tempore, tertia sermones de Sanctis, quarta sermones de diversis complectitur. Genuinis succedunt dubii, quos inter qui longius ab Augustini genio recedere videntur, minutioribus characteribus expressi comparent. Sermonibus his genuinis & dubiis subjicitur sermo quidam Augustini de ascensione Domini, ex codice vetustissimo Remigiano erutus, & sermo presbyteri *Eraclii* discipuli Augustini ipso præsente habitus, ex MSC. cod. ecclesiæ Bellovacensis per *Godofredum Hermantium* ejusdem ecclesiæ Canonicum depromptus, una cum fragmentis sermonum qui adhuc desiderantur, in *Eugypii*, *Bedæ*, *Flori*, & *Johannis* R. E. diac. collectaneis repertis, & syllabo codicum ad quorum fidem sermones Augustini recogniti sunt; quales indices reliquis etiam tomis accesserunt, quod hic semel monuisse sufficiat. In appendicem rejecti sunt sermones supposititii totidem, & iisdem, quibus genuini, classibus dispositi, e quibus haud pauci *Cæsario Arelatensi* vindicantur. Media, quibus se genuinos Augustini sermones ab adulterinis discreviisse clarissimi Editores referunt, varia fuerunt. Nam & styli rationem habuerunt, & doctrinam his Augustini sermonibus expressam cum aliis ejus monumentis contulerunt, temporumque, locorum, personarum, & negotiorum circumstantias probe attenderunt. Præterea & *Possidii* indiculum, ne tam facile sermones ibi non deprehensos Augustino assignarent, & aliorum Patrum scripta, ut suum cuique redderent, diligenter evolverunt. Omnes autem sermones, qui ad festum Rogationum, conversionis S. Pauli, cathedræ S. Petri, Annunciationis Dominicæ, & cætera Mariæ festa pertinent, eo nomine ab Augustini ævo alienos censuerunt, quod earum solennitatum nulla mentio fiat in veteri calendario ecclesiæ Carthaginensis, quod Tom. 3. Analectorum suorum edidit *Johannes Mabillon*, cujus in nova hac Augustini editione præci-

puas partes esse, nulli dubitamus. Non diffitentur tamen, se in unius alteriusve sermonis censura fortasse falli potuisse, quod etiam *Simoni Verlino* & *Bernhardo Vindingo* in Augustinianorum sermonum crisi accidisse scribunt.

Tomus sextus varia opuscula dogmatica & moralia continet, videlicet tractatum de diversis quæstionibus 83. de diversis quæstionibus ad Simplicianum, de octo Dulcitii quæstionibus, de fide rerum, de fide & Symbolo, de fide & operibus, enchiridion, tractatum de agone Christiano, de catechizandis rudibus, de continentia, de bono conjugali, de virginitate, de bono viduitatis, de conjugiis adulterinis, de mendacio, contra mendacium, de opere monachorum, de divinatione dæmonum, de cura gerenda pro mortuis, de patientia, de symbolo ad catechumenos, de disciplina Christiana, & sermones nonnullos. Ex his tractatum *de fide rerum* falso ab Erasmo *Hugoni* tribui, ex eo arguunt Benedictini nostri, quod in codice antiquo ante Hugonis ætatem exarato Augustino tribuatur, & ipse Augustinus in epistola ad Darium Comitem hunc tractatum pro suo agnoscat, quæ epistola post Frobenianam editionem demum reperta, & in Plantiniana Lovaniensium primum vulgata fuit, qui tamen hunc de fide rerum tractatum pro genuino Augustini fœtu minime agnoverunt. Tractatum de fide & operibus contra *Hieronymum* directum esse, *Johannes Garnerius* in notis ad Marium Mercatorem Tom. I. p. 117 statuit. Verum hanc sententiam approbare non audent doctissimi Monachi, qui novæ huic Augustini operum editioni studium suum ac operam impendunt. Tractatum *de continentia* Augustini esse, *Possidii* & ipsius Augustini ex prædicta epistola testimonio contra Erasmum probare satagunt, primis tamen annis ab Augustino scriptum, & sermonibus potius quam libris annumerandum agnoscunt. In tractatu contra mendacium cap. 3. vulgo legitur: *ecce constituamus callidum exploratorem accedere ad eum, quem Priscillianistam esse præsenserit, & dictum episcopi vel cogniti vitam, vel incogniti famam laudare mendaciter* &c. & paulo inferius: *tum deinde dictum librum, cujus nomen est Libra, eo quod pertractatis duodecim quæstionibus velut unciis explicatur &c.* At in nova hac editione, ex fide MSC. alicujus codicis pro *dictum episcopi*, legitur: *Dictinnii episcopi*; & iterum pro: *dictum librum*, legitur: *Dictinnii librum.* Quis autē Dictinnius ille fuerit, ex *Idacii* chronico & *Innocentii* I. & *Leonis* M. epistolis in notis adducitur. In appendice leguntur quædam opuscula Augustini nomine perperam inscripta, e quibus libellus de substantia dilectionis *Hugoni Victorino*, liber de scala paradisi *Gvigoni Carthusiano*, tractatus de fide ad Petrum *Fulgentio*, liber de cognitione veræ vitæ *Honorio Augustodunensi*, liber de vita Christiana *Fastidio Britanno*, liber de salutaribus documentis *Paulino Aquilegiensi*, tractatus de conflictu virtutum & vitiorum *Ambrosio Autperto*, tractatus de rectitudine catholicæ conversationis *Eligio* Noviomensi, tractatus de bono disciplinæ *Valeriano Cemeliensi*, alii aliis asseruntur. Neque hic silentio prætermittendi *sermones ad fratres in eremo*, quos Augustini nomine plane indignos esse, plurium eruditorum testimoniis confirmatur.

Tomo septimo celebratissimum illud Augustini *de Civitate Dei* opus 22. libris comprehensum exhibetur. Commentarios autem *Ludovici Vivis* & *Leonardi Coquæi*, aliis editionibus hactenus adjectos, in nova hac omitti, & breves tantum notas inde excerptas locis difficilioribus addi placuit. Et cum lib. 22. c. 8. nonnulla de miraculis reliquiarum S. Stephani referantur, appendicem hujus tomi opuscula nonnulla de reliquiarum S. Stephani revelatione, translatione & miraculis occupant; nimirum *Aviti* epistola de reliquiis Stephani & de epistola *Luciani* a se in latinum sermonem translata, quæ statim sequitur, *Anonymi* alicujus Autoris opusculum de alia detectione & translatione S. Stephani in urbem Byzantium cum præfatione *Anastasii*, qui hoc monumentum latinitate donavit, *Severi* epistola de virtutibus in insula Minoricensi factis per reliquias Stephani, & libellus de miraculis Stephani *Evodio* perperam tributus.

Tomum octavum auspicatur Augustini liber de hæresibus, ad cujus calcem in subjectis notis Nestoriana, Eutychiana, & Timotheana hæresis additur, quam appendicem etiam in aliis Augustini editionibus legere est. Cum vero jampridem *Jacobus Sirmondus* in historia hæreseos Prædestinatianæ c. 6. prodiderit, in codice MSC. S. Victoris Parisiensis tribus illis hæresibus etiam Prædestinatianam addi, illudque additamentum *Gennadio* Massilienſi tribui, & satis mirari non possit, quo casu vel consilio factum sit, ut in celeberri-

berrima S. Augustini operum editione a Lovanienſibus Theologis procurata, cum ex codice Gemblacenſi Gennadiana hæc appendix tacito licet autoris nomine proferretur, omiſſa Prædeſtinatiana tres tantum reliquæ expreſſæ fuerint; nobis multo magis mirandum videtur, quod Benedictini Fratres, qui in recognitione hujus libri ſe codice S. Victoris uſos profitentur, nullam neque Gennadii, neque hæreſeos Prædeſtinatianæ, in variis ſuis lectionibus mentionem fecerint. Libellum de hæreſibus & huic proximum tractatum adverſus Judæos, excipiunt opera ab Auguſtino adverſus Manicheos ſcripta, non ea quidem, quæ ſtatim poſt baptiſmum compoſuit, de libero arbitrio, de geneſi, de moribus eccleſiæ catholicæ, de moribus manicheorum, & de vera religione, quos tractatus in primo tomo relictos *Paulinus* in quadam ad Auguſtinum epiſtola pentateuchum adverſus Manicheos appellat, ſed quæ presbyterii & epiſcopatus ſui tempore adverſus Manicheos edidit, nempe tractatus de duabus animabus, acta diſputationis contra Fortunatum, liber contra Adimantum, contra epiſtolam Manichei, contra Fauſtum libri 33. Acta cum Felice, de natura boni, contra Secundinū & contra adverſarium legis & Prophetarum. Scripta adverſus Manicheos ſequitur tractatus contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas, præmiſſo *Oroſii* commonitorio, in quo quid per annum reconditū intelligi debeat, hærent eruditi, ſed in nova hac editione pro: *eandem anno illo recondito*, legitur: *eam de manna illo recondito*. Reliqui hujus tomi tractatus Arianis ſunt oppoſiti, ut tractatus contra ſermonem Arianorum, collatio cum Maximino, contra Maximinum libri duo, & libri 15. de Trinitate, qui *Caſſiodori* autoritate Auguſtino vindicantur. In Appendice hujus tomi nonnulla occurrunt, quæ a Lovanienſibus inter genuina Auguſtini opera relata fuerant, ut liber adverſus 5 hæreſes, ſermo de ſymbolo contra Judæos, Paganos & Arianos, & tractatus de unitate Trinitatis contra Felicianū, qui jam pridem a Chiffletio *Vigilio* Tapſenſi reſtitutus eſt. Rejecti præterea in hujus tomi appendicem liber de altercatione eccleſiæ & Synogogæ, liber de fide contra Manicheos *Evodio* tributus, commonitorium de ratione agendi cum Manicheis, quæſtiones de Trinitate & geneſi, tractatus de incarnatione Verbi, liber de Trinitate & unitate Dei, tractatus de eſſentia divinitatis, cujus prima & maxima pars ex *Eucherii* Lugdunenſis opere de for-

de formula ſpiritalis intelligentiæ deprompta eſt, dialogus de unitate Trinitatis, & liber de eccleſiaſticis dogmatibus, quem *Gennadio* Maſſilienſi inter eruditos plerique tribuunt.

Tomo IX. comprehenduntur polemica Auguſtini adverſus Donatiſtas opuſcula, nimirum Pſalmus contra partem Donati, libri 3. contra Parmenianum, libri ſeptem de baptiſmo contra Donatiſtas, libri 3. contra literas Petiliani, eccleſiæ catholicæ epiſtola contra Donatiſtas, ſeu tractatus, ut vulgo inſcribitur, de unitate eccleſiæ, libri 4 contra Creſconium, liber de unico baptiſmo contra Petilianum, breviculus collationis cum Donatiſtis, liber ad Donatiſtas poſt collationem, ſermo ad Cæſarienſis eccleſiæ plebem præſente Emerito habitus, de geſtis cum Emerito tractatus, & libri contra Gaudentium exarati. His ſubjicitur ſermo de Ruſticiano Subdiacono a Donatiſtis rebaptizato, & in Diaconum ordinato, quem *Hieronymus Vignier* in ſupplemento Operum Auguſtini ex codice Cellenſi edidit & Auguſtino tribuendum eſſe minime dubitavit, cui tamen novæ hujus editionis Autores aſtipulari verentur. In appendice hujus tomi legitur tractatus contra Fulgentium Donatiſtam, quem fœtum Auguſtino ſuppoſitum eſſe cum *Lovanienſibus* & *Vindingo* variis rationibus perſuadent. Congeſta præterea ſunt in appendice varia ſcripta ſcriptorumque excerpta, quæ ad Donatiſtarum hiſtoriam pertinent, & ad illuſtrationem horum Auguſtini operum faciunt, in cujus rei gratiam etiam in ipſa hujus tomi præfatione, primæ origines certaminum cum Donatiſtis eorundemque progreſſus breviter recenſentur. Cum vero Auguſtinus etiam in epiſtolis, ſermonibus, aliisque tractatibus exegeticis & dogmaticis contra Donatiſtas agat, loca illa ſaltem inſigniora peculiari indice ex prioribus tomis annotantur.

ARNOLDI GEULINCX COMPENDIUM PHYſica, illuſtratum a Caſparo Langenbert. Accedit ejusdem Brutum Carteſianum.

Franequeræ, apud Leonh. Strick, 1688. in 8.

Quam nuper menſe Septembri pag. 487 commemoravimus Arnoldi Geulinx Phyſicam, ea Franequeræ quoque ab inſciis quid

quid Leidæ ageretur, excusa hoc anno prodiit, ita tamen ut notæ auctoris, quæ textui subjectæ in Leidensi editione sunt, hic non compareant, defectus vero ille suppleatur ab aliis, quas editori subjungere placuit. In his non solum Auctor, ubi obscurior est, explicatur, & loca Cartesii, ubi plenior tractatio rerum propositarum habetur, indicantur; sed & nonnunquam, ubi errare visus est, corrigitur, & libris singulis objectiones cum responsionibus subjiciuntur. Quanquam vero notarum auctor plurimi faciat Cartesium, & passim quærat occasionem Peripateticos insectandi, non tamen presse insistit ejus vestigiis, sed dissensum nonnunquã libere profitetur & eum tandem in finem *Brutum Cartesianum*, h. e. rationes, quibus sensu carere bruta demonstrare nititur Cartesius, Geometrice propositas (quamvis ipse in diversam sententiam propendeat) adjecit, ut adversarii ejus vulgares illas considerent attentius, atque insaniæ saltem & nugarum insimulare illustrem virum desistant. Ita vero progreditur:

Definitio. *Sensum voco, non motum illum, qui fit in corpore, sed certam quandam perceptionem, sive intimam conscientiam ex eo, sive præsente eo, ortam.*

Postulatum. *Postulatur concedi, substantiarum materialium nullam, si humanam exceperis, cum mente conjunctam esse.*

Axiomata. 1. *Perceptio & conscientia sunt cogitationis attributa.*

2. *Cui competunt cogitationis attributa, illi & ipsa cogitatio.*

3. *Cogitatio haud quaquam materiæ, sed menti soli competit.*

4. *Quod per clarius explicari potest, id per obscurius & tale quod intelligi nequit, explicari non debet.*

Propositio. *Bruta non sentiunt.*

Demonstratio. *Si negas, percipiunt & sibi intime sunt conscia,* (*per Definit.*) *Si illud, ergo cogitant,* (*per Axiom. 1. & 2.*) *Sed, cum cogitatio menti soli, non autem materiæ competat, etiam mente prædita erunt,* (*per Axioma 3.*) *quod est absurdum,* (*per Postul.*) *Cum igitur & exulent Formæ substantiales,* (*per Ax. 4.*) *concludimus* bruta non sentire. *Q. E. D.*

Subjunguntur Corollaria & Notæ, quæ huc transcribi per spatii angustiam non possunt.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anni M DC LXXXVIII.

TRAITE' DE L' UNITE' DE L' EGLISE &c. par Mr. Jurieu. i. e.

Dn. Jurii Tractatus de Unitate Ecclesiæ &c.

Roterod. apud Abr. Acher, 1688, in 8.

DE instituto Auctoris celeberrimi proximo mense Novembri pag. 603. sqq. diximus, simulque ex tribus prioribus Operis hujus Tractatibus Excerpta quædam exhibuimus. Nunc promissi memores, Tractatus reliquos quatuor perlustrabimus.

Tractatus IV. non nisi sequela est prioris, separatus tamen ab Autore, ut tanto evidentius ostenderet, ideam Ecclesiæ ex sententia Pontificia, experientiæ repugnare, centrum unitatis subvertere, se ipsam destruere, crudelem, odiosam & Anti-Christianam esse. Cap. I. Hæc *capitibus V* variis argumentis adstruuntur. Incipit ab exem- pag. 300. plo duorum priorum seculorum, in quibus nullum fuisse statuit centrum externæ unionis, cum quælibet Ecclesia cum Episcopo suo separatim constiterit, & postea demum ad formam Romani Imperii plures civitates & episcopatus in diœceses metropolitanas & patriarchales coaluerint. Interim tamen etiam inter has separationem mansisse ait, & excommunicatione ab una provincia contra aliam vibrata, Ecclesiæ tamen unitatem non fuisse solutam: id quod ex- pag. 305. emplis vulgatis sub *Victore* in causa paschatos, & *Cypriano* propter baptismum hæreticorum, aliisque ad magnum usque Græcorum & pag. 304. Latinorum schisma, demonstratum ivit. *Nicolio* vero, qui distinctione aliqua elidere illa schismatis exempla conatur, ex dissertatio- ad 309.

315. nibus *Pinii* Theologi Parisiensis (quas in Tomo Supplementorum recensebimus) respondet, adductis paginis, quas in editione illarum suppressas fuisse, ad se autem pervenisse refert. Allegat etiam *Richerium* in Apologia pro Gerlone. Summa est, ex horum & ipsius Nicolii, imo Theologorum hodiernorum in Gallia communi sententia, ab Ecclesia non separari, quos Pontifices Romani ex-
317. communicant, dummodo excommunicati cum aliis Ecclesiis Pontificem recognoscentibus communionem retineant, neque universaliter ab omnibus sese separent. Deinde pro injustis & invalidis declarantur mutuæ Antipaparum in Occidentali Ecclesia ex-
Cap. II. pag. 321. communicationes. Colligit hinc Jurius, Gallos a centro illo unitatis, quod in Ecclesia Romana sive in Pontifice constitui cœpit, re-
327. cessisse, & hactenus eos non culpat, sed reprehendit, quod Christum pro vero, unico & sufficienti centro unitatis, loco Pontificum & conciliorum, aut aliarum conjunctionum externarum, non substituant, eosque injuste damnent, qui tamen centro illi & capiti, Christo nempe, servatis doctrinis fundamentalibus adhæreant. Schismata enim inter Ecclesias particularia solum esse, deploranda quidem, sed Christianismum per se non tollentia; at verum & gene-
329. rale esse illud, quo a Christo ejusque doctrina capitali discessus fit. Notat tamen, opinione Italorum, centrum unitatis Romæ & in infallibilitate Papæ statuentium, falsam licet, accuratius tamen concinnatam esse, quam Gallorum, qui centrum illud infallibilitatis destruunt, neque tamen verum & solidum surrogant, sed ad concilia refugiunt, & promittit, se, Deo volente, intra annum absurditatem hujus Theologiæ evidentissime demonstraturum esse. Mon-
335. strat interea nihil plane agere, qui totum corpus Ecclesiæ pro centro unionis venditent, vagum scilicet, & quod indagari & deprehendi
341. non possit, cum centrum debeat esse fixum & manifestum. Hoc omisso, maximas absurditates non posse non sequi, quas capite se-
Cap. III. pag. 342. quenti prolixius persequitur, & speciatim stante Nicolii sententia, Græcos a schismatis culpa absolvit, imo & Protestantes omnes,
seqq. quippe qui & unionem desiderent, & concilium Christianum & liberum non recusent; quibus modis Nicolius ipse concedit, schismatis reatum evitari posse, & tempore Antipaparum evitatum fuisse. Quæ postea differit de crudelitate Romanæ Ecclesiæ in persequendis, quos

quos pro schismaticis & hæreticis habet, plena sunt zeli, nec minus Cap. IV. fervidus est Autor in rejiciendis Nicolii excusationibus. Notabi- pag. 369. lia maxime sunt, quæ capite ultimo de *Anti-Christianismi* sive *mysterii* seqq *iniquitatis* ortu & progressu commentatur. Huc refert distinctio- Cap. V. nem rigidam inter Episcopos & Presbyteros, jactatam fundatio- pag. 387. nem Ecclesiæ Romanæ ab Apostolis Petro & Paulo (quam statuit seqq. esse falsissimam) conciliorum nimiam autoritatem, abusum anathematum, infallibilitatis & unitatis externæ commentum. Provocat in fine ad scriptorum quorundam ex Romana Ecclesia sententiam, non modo *Pauli* illius *Sarpii* Veneti, quem suspectum esse adversario non dissimulat, sed & cujusdam *Geslini*, qui A. 1629 Chorographiam sacram Gallice edidit, & *Bartholomæi Saligniaci* in Itinerario sancto.

Tractatus V opponitur omnibus argumentis, quibus Nicolius schismatis culpam Protestantibus seu Reformatis imputavit. Cap. I. Repræsentat ab initio Autor sequelas sententiæ suæ. Si enim Ec- pag. 406. clesia consistat ex omnibus cœtibus Christianis, & quidem in terra seqq. sive militantibus, (triumphantem enim huc non vult trahere) tunc certum esse ait, quod semper duraverit, & quod semper fuerint cœtus, qui tria symbola & sex conciliorum decreta receperint & professi sint, ita ut nunquā non in cœtibus his Ecclesia fuerit visibilis & omnibus obvia; sic tamen, ut purior præferri debuerit corruptæ. Itaque semper durasse ministerium legitimum, etiam in corruptis cœtibus, modo fundamentum retinuerint; neque enim ad essentiam Ecclesiæ requiri puritatem absolutam. Sequitur ex his, non potuisse judicium & decretum ab Ecclesia ferri ab eo tempore, quo divisiones factæ sunt, neque locum fuisse conciliis œcumenicis, aut eorum prætensæ a Gallis infallibilitati, imo nec uni capiti visibili, neque fas esse ulli cœtui, ut alterum a salutis participatione excludat; interim tamen centrū unitatis conservari oportuisse, Christum nempe, ut caput, & corpus ejus, Ecclesiam, in diversis licet cœtibus durasse. Centro autē cum doctrina fundamentali retento, nullam unquā totalem separationem inter cœtus Christianos fieri potuisse, neq; qui schismatici dicuntur, Ecclesiæ gremio excidisse, aut unionē penitus sustulisse, ne quidē per excommunicationes. Infert porro, si qui cœtus per hæresin etiam a fundamento desciverint, redeant autē ad veritatem, eo ipso vitam spiritualē & communionem cum capite & corpore

corpore absq; absolutione Ecclesiarum aliarũ, aut Pontificia, recipere. His aliisq; operose deductis, applicationes subjungit, quibus scopum suum obtineat. Objectionem de angustia Ecclesiarum Protestantium, & quod per orbem non sint diffusæ, elidit; extensionem enim
Cap. II. illam non uni cœtui aut parti, sed toti Ecclesiæ, in societates licet &
pag. 409. factiones divisæ competere dicit; sufficere autem, quod cœtus Protestantium connexus sit, per capita doctrinæ fundamentalis, cum omnibus Ecclesiis antiquis & hodiernis, eadem retinentibus. Dein convitium adversarii, quod Protestantium Ecclesiæ mortuæ sint
Cap. III. spiritualiter, & resuscitatione, id est sacerdotali absolutione careant,
pag. 432. acriter refellit, & hac occasione ex aliis autoribus Romanis contra adversarium disputat, de sufficientia contritionis absque absolutione sacerdotali; inprimis vero demonstrat, jus constituendi ministerii
445. omni Ecclesiæ Christianæ, doctrinæ fundamentali inhærenti com-
447. petere, neque missionem illam quam adversarii urgent, necessariam
Cap. V. esse. Latius vero hoc exequitur capitibus sequentibus, ubi Nico-
pag. 451. lii objectionibus exacte respondet. Distinguit inter regimen Ecclesiæ
Cap. VI. universale, quod constitutum est a Deo immediate, nec ab homini-
pag. 460. bus mutari debet, in prædicando nempe verbo & administratione Sacramentorum; & inter applicationem ejus particularem, quæ fit a cœtibus, huic vel illi exercitium regiminis seu ministerii illius committentibus. Igitur quoad hanc, modum singularem negat a Deo præscriptum esse, adeoque non requiri, ut pastores ab episcopis solis vocentur & constituantur. Inde scommatibus adversarii de fœminarum ministerio falsæ occurrit. Capite vero ultimo ritum impositionis manuum probat quidem & exigit, sed pro eo non habet, qui in casu necessitatis omitti nequeat. Jus vero Apostolorum, si quod ipsi soli in eligendis & ordinandis pastoribus exercuerunt, ad successores eorum transmissum esse non concedit; neque enim omnes eorum actus pro lege valere, sed distingui essentialia ab accidentalibus debere. Tangit per occasionem controversiam, an in
491. casu summæ necessitatis in baptismo liceat aquà destillata pura & liquida uti, & in affirmativam propendet.

Tractatu sexto ad alterum & præcipuum controversiæ membrum accedit, de capitibus sive punctis fundamentalibus. Disquirit ante omnia, an distinctio ista articulorum fundamentalium locum habeat;

beat; vehementer enim eam exagitaverat Nicolius. Nihil itaque omittit quo illam adstruat, tum ex natura omnium scientiarũ; Cap. I.
tum ex Patribus, licet non iisdem vocabulis usi sint, sed pro fun- pag. 499.
damentalibus, necessarios aut graves dixerint; tum ex dicto Apostoli 501.
1. Cor. III, 10. 11. 12. quod operose huc applicat, & Nicolii objectiones dissolvit; denique etiam ex testimoniis doctorum Pontificio- 504.
rum, qui distinguunt articulos in necessarios *necessitate medii* & *necessitate præcepti*. Obiter hac occasione taxat quorundam nimiam Cap. II.
indulgentiam, qui articulos primi generis ad solam fidem in Deum pag. 510.
restringunt, etsi explicite neque ut in *remuneratorem*, neque ut in *redemtorem* credatur; quam quidem opinionem in decreto suo anno 1679 quadantenus damnavit *Innocentius XI* Pontifex sub thesi XXVI. Addit alia de diversis circa hanc quæstionem Romanorum Theologorum sententiis, ipsius etiam Nicolii dicta examinat, malæque 512.
eum fidei in censura Protestantium doctrinæ accusat. Post hæc stabilita assertione sua, quod omnino dentur articuli fundamentales & creditu necessarii ab aliis distincti, characteres articulorum fundamentalium investigat, & requirit, ut respondeant attributis essen- Cap. III.
tialibus in rebus compositis. Attributa autem illa vel generis vel pag. 523.
speciei esse docet, & facta applicatione, attributa articulorum fi- seqq.
dei essentialia *in genere* illa statuit, quæ omni veræ religioni conveniunt, naturali, Moysaicæ, & Christianæ. Talia esse scribit: *credere Deum; & quidem unum; & solum adorandum; & creatorem mundi: credere animam immortalem; & præmia pœnasque æternas.* Hæc sex capita ex Autoris sententia religionem veram naturalem constituunt, eademque in Moysaica & Christiana retinentur. Ex *attributis specialibus* autem ad Moysaicæ religionis essentiam requirit quatuor puncta, nempe *credere Deum liberatorem ex Ægypto; sacrificiis quæ præscripserat, colendum: credere Moysen fœderis mediatorem: sperare Messiam, quem typi præfigurabant.* His decem a religione Christiana speciales veluti characteres addi tradit, puta *fidem de tribus personis in una essentia divina; adventum Messiæ jam peractum, non futurum, & quod Messias debeat esse redemtor*; cui consequens est, credere *satisfactionem ab eo plenarie præstitam, meritum ejus infinitum, & quod ad hoc præstandum necessario debuerit esse verus Deus, qui ex morte resurrexit & in cœlum ascendit, unde ab eo expectanda*

Etanda sit remissio peccatorum, justificatio, sanctificatio & glorificatio. Hæc omnia creditu manifesto necessaria esse, & fundamentalia in fide Christiana, dubitari posse negat; deduci tamen inde etiam per sequelas & legitimam argumentationem vult alia: v. g. *cessationem cultus & ceremoniarum*, quæ ad futurum Messiam pertinebant, & post ejus adventum inutilia sunt; & sic duo esse notat fundamentalium articulorum genera, quosdam enim per se patere, quosdam per consequentias proximas & evidentes elici. In priorum classem quos collocaverit, supra dictum est. In illos directo peccare notat *Socinianos*, quorum errores satis notos breviter recensет; peccare vero etiam Pontificios, minus quidem directe, sed multipliciter, præsertim in articulos per consequentiam deductos. Cultu imaginum & sanctorum ideo (ait) in fundamentum impingunt, quia negant vel limitant articulum de uno & solo Deo adorando: ubi explodit distinctiones inter cultus species. Primario huic errori succedere dicit innumeros alios secundi ordinis, inter quos nominat *sacrificium Missæ*, & hujus quoque palliationes nihili facit. Aliam dignoscendi fundamentales articulos methodum ostendit, ex consideratione finis, ad quem religio tendit, nempe ad *gloriam Dei* & ad *sanctificationem & glorificationem hominum*; & monstrat, quomodo fundamentaliter in hos fines & media ad eos tendentia peccent *Athei* & *Sociniani*; sed nec Pontificios absolvit. Monet autem in fine hujus capitis, cœtus qui servaverint fundamentales articulos, posse tamen per additiones fundamentum corrumpere, & hujus culpæ Romanam Ecclesiam ream facit, licet non neget, beneficio Dei per conservatos articulos fundamentales in Ecclesia illa salvari eos posse, qui ab additamentis erroneis divina gratia retrahantur. Opposuerat Nicolius assertioni Jurianæ de articulis fundamentalibus, & quod hi ab omnibus Ecclesiis Protestantibus retenti, ideoque hæ interne inter se unitæ sint, incertitudinem judicii in definiendis illis articulis. Hanc ejus instantiam, quam aliquibus gravem visam fuisse miratur, ut futilem disjicit. Præmittit monita, quod non requiratur ab omnibus distincta unitatis, & quomodo illa consistat, cognitio: unitatem enim esse posse Ecclesiis quæ id nesciant, & sufficere quod Deus id noverit. Affert exemplum Romanæ Ecclesiæ sub Antipapis divisæ, quarum altera pars alteram separatam esse

pag. 535.

Cap. IV. pag. 540.

esse credebat, cum tamen vel ex adversariorum sententia unitæ fuerint. Multo minus requiri, ut eandem omnes de articulis fundamentalibus ideam habeant; nihilominus enim interne & coram Deo unitas esse. Fatetur tamen, ad externam communionem requiri eandem de articulis fundamentalibus sententiam. Dein ad Nicolii objectionem, quod Protestantes de articulorum fundamentalium definitione & numero inter se disceptent, ita respondet, ut id fieri neget. Putat itaque neque Lutheranis a Reformatis, neque his ab illis errores fundamentales imputari, aut id solum temerario quorundam judicio fieri, ita ut integri Protestantium cœtus aliter de se invicem sentiant. Addit tamen, non ignarus quid ad hæc regeri possit, neque sic cessare veram unionem, etsi controvertatur, qui sint articuli fundamentales, non magis ac unionem inter Romanos impediat varia inter illos disceptatio, qui sint articuli necessarii *necessitate medii*. Supererant aliæ Nicolii oppositiones, puta, quod Scriptura expresse non dicat, *hic articulus est fundamentalis*, nec regulam tradat, *quicquid gloriam Dei destruit, error est fundamentalis*; item, *quod non sit alius error fundamentalis, quam is qui impugnet gloriam Dei*; & denique, quod stante licet tali regula, infinita tamen restet disputandi materia, qui articuli gloriam Dei destruant. Isthæc omnia non sine indignatione pro cavillis, gravi Theologo indignis habet Jurius, & sufficere ait principia in Scriptura posita, ex quibus regulæ illæ necessario sequantur. Notat tamen, etsi omnia peccata erroresque omnes adversentur veritati, & sic etiam gloriæ Dei, non tamen omnes errores eodem modo mediis salutis obsistere, ad quæ tamen in hac quæstione simul respiciatur. Concluserat Nicolius, controversiam *de præsentia reali*, æterni inter Lutheranos & Calvinistas schismatis causam mansuram esse, & hunc tamen articulum pertinere ad gloriam Dei, & ex sententia Lutherana gloriæ Dei obstare, qui unionem corporalem filii Dei cum fidelibus non æque admittant ac spiritualem. His ita respondet D. Jurius, ut neget Lutheranos statuere, quod unio Christi corporalis cum fidelibus absolute ad salutem creditu sit necessaria, & inde argumentatur, etsi Reformati corporalem illam unionem negent, non tamen ideo fundamentalem seu ad salutem necessarium negent articulum, tanto quidem minus, quia in genere non negent unionem fidelium cum

pag. 543. 544. 546. 547.

cum carne & ſanguine Chriſti in Sacramento, ſed realem, imo rea-
pag. 561. liſſimam (*tres-reelle*) confiteantur participationem, licet plane ſpi-
ritualem & non carnalem, unde conſtare exiſtimat, convenire eos in
Cap. VI. fide eſſentiali de ſacramento. Capite ultimo D. Jurius dictum ſuum
pag. 561. defendit, quo veluti gratulatus fuerat Eccleſiæ, quod articulos fun-
damentales communi & perpetuo conſenſu, etiam inter diverſas ſe-
ctas retinuerit, & quod ex hoc ipſo conſenſu de articulorum funda-
mento ſeu neceſſitate judicari poſſit. Refellit igitur ut inepta, aut
calumnioſa, quæ Nicolius regeſſerat, quod hæretici jamdudum ca-
pitales quosdam articulos impugnaverint, & repetit quæ de hære-
ticorum illorum exiguo numero, aut brevi duratione monuerat, ut
adeo eorum cœtus, Eccleſiæ amplitudini oppoſiti, pro nullis haben-
567. di ſint. Requiri autem non ſolum amplitudinem hanc, ne, quod
Nicolius ſubſumſerat, Mahumetiſmi exemplum obſtaret, ſed pro-
feſſionem ſymbolorū, & quæ in conciliis univerſalibus decreta ſunt.

Cap. I. *Tractatu ultimo* alterum quæſtionis de articulis fundamenta-
pag. 570. libus membrum examinatur, an tales fieri poſſint ex decreto &
ſqq. præcepto Eccleſiæ, id quod affirmavit Nicolius, negavit Jurius. In-
ter rationes negandi, *prima* eſt ex Syſtemate hoc ipſo. Si enim non
datur externa Eccleſiæ communio univerſalis, ſed diviſa eſt in par-
583. tes & ſectas, non poteſt fieri decretum Eccleſiæ univerſalis. *Altera*,
quod poteſtas ſtatuendi articulos fidei Deo ſoli competat, nec Ec-
cleſiæ concredita ſit, licet eam ſibi arroget Romana; quamdiu enim
576. illam non probet, impune de ea dubitari poſſe. *Tertia*, quod de-
ficiente infallibilitate, deficiat etiam poteſtas conſtituendi articulos
578. fidei, quæ utique debeat eſſe infallibilis. Hic repetit omnia, quibus
582. infallibilitas Romana negatur, & probari poſtulatur. *Quarta*, quod
definiri demonſtrariq; non poſſit, quæ ſit Eccleſia poteſtate illa præ-
582. dita, Græcane an Latina, Papane an Concilia. *Quinta*, quod ſo-
lius Dei ſit media ſalutis conſtituere, neque nova ſurrogari aut vete-
585. ra mutari ab hominibus poſſint. *Sexta*, quod ex adverſæ partis
confeſſione neceſſarii non poſſint fieri articuli per Eccleſiæ decreta,
neceſſitate medii, ſive ut diſtincte credantur, itaque nec fundamenta-
les condi valeant. Addit quædam de fide implicita, eamque in
588. articulis fundamentalibus ut puram ignorantiam rejicit. *Septima*
ſumitur a traditis Theologorum Pontificiorum *de clave errante*. Eos
autem

autem qui hanc agnoſcunt, nec delicta leviora, per clavem illam ſive excommunicationem injuſtam, gravia & mortalia fieri poſſe concedunt, idem concedere debere exiſtimat in pronunciatione de erroribus dogmaticis, per quam ex levibus non poſſint reddi graves & fundamentales. Oppoſita inde a Nicolio diluit, quanquam eum declamationibus potius quam argumentis pugnare dicat. Monſtrat differentiam inter poteſtatem Eccleſiæ & Magiſtratus politici: neq; enim illi tantam in animam, quantam huic in corpus hominum Cap. II. competere; neq; æque notam eſſe Eccleſiam, ut perſonam Regis aut pag. 593, Magiſtratus. Poſt alia, pro *octava* ratione, contra prætenſam poteſtatem Eccleſiæ graviter urget, quantum peccatum ſit, & Diaboli potius quam Eccleſiæ miniſterium, ſi opinio quæ ante deciſionem Eccleſiæ indifferens erat, neceſſaria fiat per decretum, ad irretiendas hominū mentes, in hæreſin quippe incidentes, ſi adverſus decre- 600. ta ſentiant. Excipit autem veritates fundamentales, quales in conciliis contra Arium, Macedonium aliosq;, novo conſenſu & confeſſione promulgatæ, non vero noviter conſtitutæ fuerunt. Exemplum inde a Nicolio propoſitum examinat, quod decreto Eccleſiæ ritus Judaici ante tolerati, plane prohibiti, & ſic rejectio rituum illorū pro articulo fundamentali ſtabilita fuerit. Docet autem, abrogationē rituū non ab Eccleſia ſed ab ipſo Deo, verum non uno gradu & impetu, ſed tribus veluti actibus factam eſſe. Illos Theologi reducunt ad tempus Legis, ut loquuntur, *morientis*, poſt prædicationem Johannis Baptiſtæ; *mortuæ*, quæ computari debet ab effuſione Spiritus Sancti in feſto Pentecoſtes, & *mortalis*, ſive ſub culpa peccati mortalis prohibitæ & ſublatæ, poſt deſtructionem templi Hieroſolymi- 605. tani. Omnia autem hæc non ab Eccleſia, ſed a Deo deſtinata & ef- 607. fectui data oſtendit, hincque nec Apoſtolos a ceremoniis Moſaicis Judæos converſos prohibuiſſe. Receptum poſthæc Nicolii ad autoritatem Patrum in hac quæſtione adoritur, & ſatis vehementer Cap. IV. profitetur, ſe Patribus minime crediturum, imo pro deſperate er- pag. 616. rantibus habiturum eos eſſe, ſi ſtatuerint, Eccleſiæ decretis fundamentalem articulum condi poſſe; ſed negat eos ita ſenſiſſe, licet crediderint, hæreticos quosdam plane extra Eccleſiam eſſe: feciſſe enim id vel ob atrocitatem errorum, quales habuerint Simonis Magi, Valentini, & Marcionis ſectatores, tum Gnoſtici & Manichæi;

sive quod aliquando in æstimanda errorum gravitate & atrocitate
pag. 618. excesserint, & quosdam non per se, sed ob schismatis pertinaciam
Cap. VI. indeque secuta Ecclesiæ mala excluserint. Hæc adductis Patrum
pag. 629. testimoniis confirmat. Disputat inde de effectu excommunicationum, quas ante Esdram in Judaica Ecclesia (unde in Christianam
630. transierunt) usurpatas fuisse negat, eo scilicet tempore ortas, quo sacerdotalis autoritas adminiculum amplius non habebat a potentia regia & magistratuum. Concludit inde, nec Judaicas, nec Christianas excommunicationes ad salutem animæ pertinuisse, sed
637. tantum ad res externas, sive ad exclusionem a cœtu per modum disciplinæ. Ab impietate itaque illa absolvit Episcopos veteres, quasi excommunicando salute privare voluerint homines, sed id egisse statuit, ut peccatores periculum, quod criminibus suis incurrant, tanto facilius agnoscerent & evitarent. Imo ne Novatianos
644. quidem damnasse, quos excommunicabant, sed in statu suspensionis & divino judicio commissos reliquisse. Hæc quoque adductis
Cap. VI. veterum testimoniis adstruit. Repetit denique *capite ultimo* re-
pag. 950. sponsiones ad objectam Patrum sententiam & praxin Ecclesiæ, speciatim de Novatianis monens, quod non ob errores fundamentales, sed ob perseverantiam in schismate separati fuerint, aliquando tamen etiam recepti vel mitius tractati, ut ex *Socratis* Lib. V. Hist. cap. 10. probat. Destruit inde, quæ ex historia martyris Pamphili, ex concilio *Gangrensi* (cujus decreta absurda non dissimulat, severitatis tamen potius nimiæ, quam alius excessus accusat,) item ex Carthaginensi A. 417. habito, & ex pronunciatis in concilio quinto contra *Originem*, argumentatus est D. Nicolius. Fatetur tamen, Veteres
667. quandoque errores leviores pro capitalibus habuisse, & odio schismatis nimis rigorosos fuisse; inde tamen non sequi, quod sibi arrogaverint potestatem articulos fidei constituendi, aut si qui postea ita senserint, deceptos esse falsa de unitate externa persuasione.

A DISCOURSE CONCERNING THE NATURE of Idolatry, &c.

sive,

Discursus de Natura Idololatriæ.

Londini, apud Wilh. Rogers, 1688, in4. Quid

Quid Samuelis Parkeri, Oxonienſis Epiſcopi non ita pridem defuncti ſcripto, *pro abroganda Teſtificatione Parliamentaria* edito, ab autore quodam anonymo repoſitum fuerit, nuper *pag. 574. ſqq.* ſummatim recenſuimus. Alius jam contra eundem in palæſtram prodit adverſarius, nomen pariter celans; at non niſi poſteriorem ſcripti Parkeriani partem, in qua Romano-catholici ab imputato idololatriæ crimine abſolvuntur, impugnans; cum priori jam ab aliis ſatisfactum autumet. Sex vero capitibus in univerſum conſtat præſens Diſcurſus. In *primo*, ut & magna præfationis parte, occupatus eſt Autor in diluenda inculpatione, Reformatis a Parkero aliisque facta, ac ſi Pontificiis idololatriam impingentes claſſicum velut canerent, ſubditosque ad rebellionem contra Principes ei religioni addictos capeſſendam concitarent, cum jure divino crimen iſtud ultimo ſupplicio dignum ſtatuatur. Ac initio quidem monet, ideo quod dura adeo pœna huic delicto a Deo dictata legatur, non teneri mox Reformatos ab ejus imputatione abſtinere erga Romano-Catholicos, ſi veritatem eos talis rei convincere videant; quin potius & honorem Dei, & debitum erga proximum efflagitare, ut iſtos de periculi, in quo verſentur, magnitudine admoneant: & ſi quis ex hoc monarchomachiæ reus agendus eſſet, nec Patres Eccleſiæ primitivæ, nec ipſos Apoſtolos immunes fore, cum & hi ſatis libere contra idololatras ethnicos calamum ſtrinxerint. Deinde ait, etſi in libris controverſiarum paſſim Pontificiis idololatria a Reformatis objiciatur; nunquam tamen in iis pœnam legis divinæ iſtis imponendam ſtatui, quin potius ubivis inculcari ſubditis charitatem Chriſtianam, & quomodo talibus etiam ſuperioribus obedientiam fidemque præſtare teneantur. Præterea iſtud veteris teſtamenti præceptum, tanquam mere politicum, nos non amplius ſtringere; ac ne tum quidem omnes idololatriæ ſpecies morte punitas eſſe, ſed eam ſolum, cum quis ab univerſa Lege Moſis deficiens, Deumque Iſraelis abnegans, ad alienos Divos colendos prolaberetur. Altera vero iſta, qua quis Deum Iſraelis ſectatus quidem, honorare tamen eundem modo idololatrico auſus fuerit, utut paſſim a prophetis graviterque reprehenſa legatur; nullibi tamen hos urgere, ut contra tales transgreſſores ſupplicium iſtud legis divinæ executioni mandetur. In *ſecundo* capite Autor examinat Parkeri theſin,

qua ille adſeruerat, in lege Moſaica nil aliud ſub nomine Idololatriæ venire, *quam adorationem corporum cœleſtium, ſolis, lunæ & ſtellarum, ulliusve alius viſibilis & corporei numinis, tanquam ſummi Dei, ita quidem ut excludatur omnis ſenſus & conceptus de ſpirituali quadam & inviſibili Divinitate.* Nimirum ex ſuppoſita hac notione infert, Parkerum a tali tantummodo idololatria Romanam vindicaſſe Eccleſiam, quæ a nemine unquam ei objecta fuerit: imo a tali, cujus vix quisquam ullo tempore reus factus ſit. Nimirum neminem niſi atheum aut ſtultum colere poſſe res corporales ſic, ut & excludat omnem ſenſum inviſibilis cujusdam Deitatis; & ſimul talem rem reſpiciat, tanquam ſummum Deum: nam ſi vel hoc poſtremum deſit, ex mente Parkeri non fore idololatriam; ſi nempe tales res, admiſſo etiam ſimul reſpectu ad virtutem quandam & deitatem inviſibilem & ſpiritualem, honorentur ſaltem, ut inferiora & ſubordinata numina, quæ a ſupremo quodam dependeant: quo pacto fruſtranea fuiſſet admonitio Pauli ad Corinthios, ut fugerent idololatriam, cum ne fingi quidem aut concipi poſſit, quomodo is, qui Chriſtianum ſe profiteatur, idololatriæ tali modo deſcriptæ particeps fieri valeat. Conſtare inſuper ait ex teſtimoniis & relationibus Miſſionariorum, ad convertendos gentiles hinc inde adhibitorum, hos ipſos generatim fere agnoviſſe ſupremam quandam eamq; ſpiritualem & inviſibilem divinitatem: corporeas vero res adoraſſe, vel tanquam inferiora numina, quibus Deus ille mundi gubernationem commiſiſſet; vel ideo, quod eas crederent eſſe quaſi partes illius mundi Animæ, pro qua Deum habuiſſent; vel denique, quod Deum tantæ perfectionis eſſe exiſtimarent, ut ſupra aut extra mortalium cultum poſitus, non niſi externa adoratione rebus ei ſubjectis exhibita honorari poſſet. Unde infert Autor, notionem quam Parkerus pro vera & unica idololatriæ ſuppoſuerat, & rationi & experientiæ omnino adverſari. His in genere ſic præmonitis, capite *tertio* ſpeciatim refutatur, quod iſte aſſeruerat, priſcos ethnicos adoraſſe aſtra aliave corpora tanquam ſupremum aliquod numen, & ſecluſo omni ſenſu divinitatis alius inviſibilis; ac e diverſo demonſtratur, in hiſce duobus omnem eorum idololatriam occupatam fuiſſe, ut aut verum Deum per corporea & viſibilia ſigna & ſymbola adorarent, aut ſubordinata quædam numina ſive intelligentias, in corporibus cœleſtibus potiſſimum habitare

creditas, colerent. Nimirum ordine probat Autor Chaldæos, Ægyptios, Perſas, Arabes non tali aſtra honore coluiſſe, ut aut excluderent Numen inviſibile, aut ea reſpicerent tanquam ſummum Deum; ſed ſic verius, ut eadem animata putarent ſpiritibus cœleſtibus in iis velut reſidentibus, ipſasque imagines eorum ſeu Teraphim haberent pro diis vicariis & mediatoribus inter ſummum Deum & ipſos; in quæ ipſa ſimulacra, quæ, ad præſentandos cœleſtes influxus, non tantum ut ſymbola cultus, ſed & ut oracula adhibebant, cœleſtem ex aſtris virtutem derivatam crediderint. Falſo inſuper a Parkero traditum eſſe oſtendit, quod Orientales illi populi unice exercitui cœlorum venerando dediti fuerint, & cultus Heroum tantum ſequioris ævi & a Græcis demum inventus ſit: contrarium enim ex illis ipſis autoribus, quos ille pro ſe allegarat, deducit. Quin potius iſtos præter Solem, & heroas & dæmones coluiſſe; non tamen ita ut eos haberent pro ſupremo Deo, id quod implicaret ob eorundem pluralitatem, ſed, ut ſibi perſuaderent, eos una cum ſummo illo Numine regnare; ut adeo honor iis exhibitus ei non admodum abſimilis fuerit, quem Romana Eccleſia ſanctis ſuis indulgeat. Denique Græcos ipſos hanc idololatriæ ſpeciem ab Ægyptiis per Orpheum primum nactos eſſe aſſerit. In capite *quarto* & *quinto* propius ad Rempublicam Judaicam accedens evincere laborat, ſub lege etiam Moſaica notionem ſæpe dicti criminis non conſtitiſſe unice in adoratione rei creatæ & viſibilis, pro vero & ſummo Deo habitæ, ut quidem Parkerus perhibuerat: cum hoc pacto vel angelorum cultus inſtantiæ loco eſſe poſſet, qui nempe dubio procul interdictus fuerit, utut hæ creaturæ viſibiles non eſſent. Credi etiam non poſſe, Salomonem, cujus idolomania diſerte taxatur, cum tanto ſapientiæ lumine a Deo fuerit donatus, eo vecordiæ delabi potuiſſe, ut rem corpoream pro ſummo Numine haberet. Verius id omne nomine idololatriæ veniſſe ſtatuit, ſi quis auſus foret tribuere creaturæ ullum actum divino cultui appropriatum, quemcunque de re tali ſenſum aut quamcunque ita agendi intentionem homo habuiſſet. Cæterum duas potiſſimum hujus criminis ſpecies in Veteri Teſtamento offendi: nimirum 1. adorationem veri Dei per materiale ſymbolum vel repræſentationem; 2. cultum aliorum deorum præter Deum Iſraelis, & quidem rurſus vel ſic, ut

penitus verum Deum desererent, vel ut juxta eum illos statuerent & honore afficerent. Præterea cum Parkerus ostendere allaborarit, tantum non omnem Israelitarum idololatriam, & præsertim vitulorum cultum ad sacra Ægyptiorum ac imprimis Solis adorationem sese referre, indeque originem traxisse: noster e contrario probare nititur, Israelitas per moscholatriam intendisse veri Dei repræsentationem, non minus in deserto Sinai, quam postea tempore Jeroboami. Inter alia hanc in rem allegat, quod verosimile non sit, Israelitas tam cito veri Dei oblivisci potuisse, cujus nempe tanta miracula in recenti adhuc memoria eorum versabantur; quod character talis, ab Aarone etiam summo sacerdote, vituli simulacro tributus legatur, qui non nisi ad verum Deum quadrarit, eductio nempe populi e terra Ægypti; hoc ipsum vero ad Ægyptiorum numina non nisi absurde applicari, cum ab his ipsis plagæ istæ multiplices in antiquos sui cultores profectæ putari non possent, triduanæ inprimis tenebræ, utpote quæ a Sole, lucis fonte, expectari haud valuissent; cultum insuper per sacrificia bestiarum, Ægyptiorum sacris plane contrarium fuisse: denique moscholatriam in Scripturis ab astrolatria disertis verbis sejungi, adeoque utramque non debere pro eadem haberi: quo nomine allegatur *Act. 7. v. 41. sq.* & *I. Reg. 16. v. 31.* Cæterum quod decem etiam tribus Jeroboamum sectatæ nec notitiam, nec omnem cultum veri Dei abjecerint, vel inde patere arguit, quod Deus subinde per Prophetas suos se ipsis revelasse, Reges idololatriæ dediti sæpius cum prophetis Domini contulisse, quin & nonnulli vitulorum cultores Deo ob zelum pro illo impensum accepti fuisse legantur, uti Jehu, *2. Reg. 10. v. 16. & v. 30. sq.* Nec tandem sequi, Israelitas ab aliis idolorum generibus abstinuisse, ex eo, quod ad astrolatriam adeo proni fuisse in sacris hinc inde perhibeantur. In *sexto* & ultimo capite id agit noster, ut ostendat notionem idololatriæ, quæ sub lege Mosaica viguerat, æque nunc in causa Christianorum applicari posse; cum Apostoli novam quandam haud induxisse, quin potius illius ex veteri testamento intellectum præsupposuisse videantur. Ut adeo, quemadmodum Judæi olim retinentes tam apprehensionem, quam cultum Dei veri supremi, nihilominus idololatriæ rei facti fuerint, adorantes eum more gentilium; ita Christiani huic crimini pariter obnoxii esse queant, si aut

staut verum Deum per corpoream imaginem adorent, aut divinum cultum alii præter verum Deum tribuant, utut hujus & invocationem & notionem simul servent: quo nomine narrat, a Patribus Ecclesiæ quondam Arianos hujus criminis exinde accusatos fuisse, quod Christum crederent adorandum, quem tamen pro vero Deo non agnoscerent. Parkeri instantiam a Cherubinis petitam nullius momenti esse existimat, cum eorum in sacris Judæorum non fuerit usus, nisi ut operculum propitiatorium alis obtegerent, ut adeo objectum adorationis hic non aliud extiterit, quam majestas invisibilis Dei e medio istorum oracula edens: quod autem Cherubinos versus respexerint Judæi orantes, id perinde factum, uti nos precantes oculos ad cœlum dirigere soleamus. E quibus omnibus id tandem ait eluceſcere, non illam a Parkero suppositam, sed suam hanc in præsenti discursu explicatam idololatriæ notionem genuinam esse, a Deo nempe in sanctis paginis stabilitam, a Judæis receptam, ab Apostolis propagatam, denique tot martyrum sanguine confirmatam & velut obsignatam. De cætero pleraque omnia a Parkero in medium adducta argumenta, jam ante hac a *D. Goddeno* in simili occasione & prolixius & solidius proposita, sed & jam dudum ab aliis refutata & exposa perhibet; in tantum ut Parkerus ipse verius invalida hac sua defensione, quam parum Romano-catholici pro mala sua causa allegare valeant, ostendere, quam quidem ipsis serio hac in parte patrocinari voluisse videatur.

LES OPERATIONS DE CHIRURGIE PAR une methode courte & facile, avec deux Traittés, l' un des maladies de l' estomac, & l' autre des maux Veneriens. i. e.

Operationes Chirurgicæ methodo brevi ac facili, cum duobus tractatibus, uno de affectibus stomachi, altero de lue Venerea.

Parisiis, apud Laurentium d' Houry, 1688, in 8.

Quem sibi scopum scribendo hunc libellum præfixerit Auctor dissimulati nominis, monito præliminari breviter insinuat.

at. Scilicet ostensurum se ait viam compendiosiorem, quam quæ ab ejus rei scriptoribus tradita invenitur. Nec quicquam a se doceri, quod peritissimorum hoc tempore Chirurgorum experientia non nitatur. Ac quamvis non numeris absolutum opus omnibus fateatur, usu & praxi quotidianam artibus accessionem largiente; spem tamen concipit fore, ut plus in eo reperiatur, quam vulgo de isthoc argumento prostet.

Ambitum vero totius libelli XXX capita exhauriunt. Postquam I°. illorum de operationibus in genere constitit, eas ad quatuor imprimis genera referri, synthesin scilicet, diæresin, exæresin & prothesin, quam & anaplerosin vocant, pergit in sequentibus capitibus singulorum species promissa methodo pervestigare. Ita cap. 2. agit de futuris in genere, c. 3. 4. & 5. de iisdem in specie, c. 6. de exomphalo, c. 7. de paracenthesi, c. 8. de herniis, c. 9. de hydrocele, c. 10. de phimosi & paraphimosi, c. 11. de calculo in urethra, c. 12. de lithotomia, c. 13. de fistula ani, c. 14. de empiemate, c. 15. de cancro, c. 16. de aneurismate, c. 17. de trepano & fracturis cranii, c. 18. de trepanatione, c. 19. de fistula lacrimali, c. 20. de cataracta, c. 21. de polypo, c. 22. de labio leporino, c. 23. de bronchotomia, c. 24 de exstirpatione, c. 25. de reunione tendinis, c. 26. de sectione Cæsarea, c. 27. de panaritio, c. 28. de applicatione cauteriorum, c. 29. de setaceo, c. 30. de cucurbitularum adhibitione. In quibus singulis auctor brevitati bona fide studet. Scilicet definitione aut descriptione cujusque præmissa, mox differentias, prognosin, modum & usum exponit. Hinc ubi a multis retro seculis vel recte docuerint veteres, vel hallucinati sint, indigitat, subjuncto interdum ratiocinio, & annexis subinde annotationibus propositam materiam illustrantibus. Ridiculum autem foret, si hic compendium ex compendio compendiosius tradere sustineremus. Ut tamen dictorum veritas constet, exemplo sumus probaturi non uno. Sic c. 7. de paracenthesi ostenditur, non novam esse ascitem curandi istam methodum, cum & Hippocrates L. de morb. intern. & Aristoteles L. de generat. animalium de ipsa verba fecerint, imo pleriq; antiquiorum illam secuti sint, excepto solo Erasistrato. Ut & hinc patere arbitretur, praxin antecessorum satis eruditam fuisse, illisque nos omnino multa debere. Cap. 16. vero Celsum, qui acetum vini; & Scultetum, qui oleum rosarum in vulneribus capitis duræ meningi adhibere præcipiunt, rationibus suggillat, ac tandem c. 25. Galeni cautelã, qua futura tendinum improbatur, hactenus quidem Practicorum obsequio stabilitam damnat, cum Dn. Bienaise, chirurgus celebris, contrarium in canibus experimentum, imo & in hominibus eventu fecerit felicissimo. Modum vero consuendi mox subdit; fatetur tamen, sicut in cæteris operationibus, ita in hac necesse esse, ut rite facturus ab alio antea viderit eandem modo debito peractam.

Tractatus alter de morbis stomachi septem capitibus absolvitur. I°. de fame canina disseritur, II°. de pica & malacia, III°. de coctione læsa, IV°. de lienteria & cœliaca passione, V°. de siti contra naturam & de diabete, VI°. de singultu, VII°. de vomitu & nausea. In quibus singulis descriptione affectus præmissa, mox causas, inde signa ac tandem prognosin subjungit, therapeiam in prioribus tribus & ultimo capitibus plane missam faciens, reliquis vero tribus adjiciens. Cæterum pro varia liquoris constitutione, quem ordinario glandulæ ventriculo infundant, varios exoriri affectus opinatur. Sic si liquor acidus extreme purus, subtilis & activus sit, famem produci caninam: si humoribus corruptis inquinatus, picam & malaciam: si cum ipso certa salia ex massa sanguinea in orificium superius stomachi irruant, seque fortiter affigant, diabetem seu sitim intensissimam cum copiosissima urinæ excretione &c. Vi autem hypothesium suarum explicare quoque varia phænomena præsumit, quorum vel unicum huc transtulisse jam sufficiat. Sic somnum, qui immediate post pastum obrepit, digestioni officere hoc modo exponit: scilicet consuetum nobis esse ore clauso obdormire. Jam vero copiosos elevari vapores ex fermentatione alimentorum cum particulis acidis per os transmittendos. Hos, cum viam liberam exitumque non inveniant, mox cogi, ut in ventriculum præcipites relabantur. Ibi autem longiori mora condensatos efficere cruditates, unde coctioni vitium affricetur. Maxime cum tunc temporis non possint multi vapores expirare, quoniam œsophagi canalis in dormientibus non æq; ac in vigilantibus pateat. Ne autem tria illa capita, quibus curationem descriptorum affectuum annectit, plane neglexisse videamur, unico saltem excerpto efficiemus. Scilicet causam singultus proximam & immediatam statuit materiam

riam acrem orificio ſuperiori ventriculi impactam, quæ illud pungat irritetque, ac per commotionem nervis hoc modo illatam ſpiritus ad irregulares motus concitet. Inde vero qua ratione lygmus originem ducat, porro fuſius exponit, medendi methodum ſtatim ſubjungens. Scilicet per venæſectiones & purgationes iteratas, ſicubi opus, nec non per ſolius lactis vaccini pro alimento aſſumti uſum, curam commode abſolvi. Hoc enim, præmiſſis illis, optimum eſſe ad liberandum ventriculum & maſſam ſanguineam a ſuis impuritatibus. Et julebis pariter ac emulſionibus, aliisque hujus naturæ remediis attemperantibus aut refrigerantibus, imo narcoticis quoque ſuum hic officium facturis, utendum monet.

In Tractatu III de luis Venereæ deſcriptione vera, origine, cauſis, ſignis & curatione ſermonem Auctor inſtituit, quibus ſubjungit gonorrhœam, ulcera penis, bubones Venereos, modumque ipſum hac lue infectos tractandi. Ultimo loco de natura mercurii, & quo is modo agat, caput additur. Ex his omnibus pauca quædam delibabimus, reliquis paſſim in auctorum lectione obviis. Cauſam morbi Gallici acidum acre definit pag. 307. idem vero arſenicale vocat p. 304. Venenum hujus morbi communicari per vim quorundam ſpirituum tartareorum, naturam virus conſtituentium pag. 303 aſſeritur. In cura gonorrhœæ ad tria potiſſimum eſſe reſpiciendum: ad cauſam mali, ſeu virus; ad morbum ipſum, ſeu ulcus, & ad ſymptomata, ardorem ſcilicet & dolorem in urinæ emiſſione perceptum. Ordinem vero & tempus hic ait eſſe obſervandum. Scilicet ante ulceris curationem demendum eſſe virus, a quo illud dependeat, & ante hujus ſublationem compeſcendum eſſe dolorem, inflammationem auferendo. Proinde (1.) jubet venæſectionem inſtituere, quam tamen & præcedere & ſequi debeant clyſteres emollientes; hinc diæta refrigerante & humectante utendum, cujus initium primo ſtatim die emulſiones faciant. A vino autem & motu corporis violento abſtinendum. (2.) ſedata ſic inflammatione, ac ardore ſimul & dolore ſublato, virus expugnandum purgantibus lenioribus, quo caſſiam & cryſtallum mineralem refert, quorum uſum excipiat ptiſana, ad quam parandam R. rad. cichor. ſylv. nymph. fragor. acetoſ. a. ℥j. mal. Claudian. n°. j. Bulliant in ſ. q. ▽. ſ. ut dimidia decocti menſura remaneat, cui fervenți

venti adhuc infund. fol. ſenn. ℥ß. cryſtall. mineral. ʒij. Hujus potionis duo vitra quovis mane æger ebibat, ita ut inter amborum aſſumtionem horæ unius intervallum intercedat; veſperi autem cubitum conceſſurus unicum vitrum exhauriat. Quod ſi his non cedat gonorrhœa, & materia virideſcens effluere obſervetur, purgantia fortiora, imprimis pilulæ c. ☿ dulci, propinentur, quarum optimam deſcriptionem ſequentem laudat. R. ambræ, aloes ſuccotrin. ſcammon. fl. ſulphuris a. ʒj. cinamom. ℈j. ☿ dulc. ℥j. Hæc miſcere jubet ut F. pilulæ. Jam niſi ægrotus ipſa lue Gallica laboret, fore certiſſime, ut 3. vel 4. harum pilularum omne virus plane auferant. Tum vero (3) ad injectiones accedendum (quas alias non magni æſtimat Auctor, quod ad ulcus usque nequeant pertingere) & effluxum jam fere abs ſe ceſſantem omnino cohibendum. Hac fini commendat aq. fabr. ferrar. & vin. auſter. a. ℔j. in quibus diſſolv. vitrioli alb. ʒj. Injiciantur autem tepide mane & veſperi. Methodus curandi ipſam Veneream luem nititur ſalivatione per mercurium inſtituta, quam clyſteres, venæſectio iterata, & purgationes ac balnea præcedere debent. Frictiones autem cum unguento mercuriali per totum corpus (excepto abdomine & pectore) a pedibus ad nucham usque juxta focum commendantur, niſi additæ cautelæ aliter ſuadeant. Symptomatibus diverſis ut occurrendum traditur. Ubi vel unicum modo monitum notamus: ſcilicet nimiam ſalivationem commodiſſime temperari VI. granis auri fulminantis ſub electuarii ſeu opiatæ forma exhibitis. Peracta ſalivatione 20. 25. aut 30. dierum, æger ſicut initio purgandus, gargariſmata pro exſiccandis ulceribus oris adhibenda, & linteamina lecti recentibus permutanda. Hinc vinum & alimenta bene nutrientia in uſum vocanda. Macilentioribus & delicatis, matutinis cujuslibet diei horis lactis vaccini certa portio, cum ſucci roſar. ʒj. permiſta, concedenda, cum lac inſigne auxilium afferat morbis omnibus, ubi ſalium acrimonia demulcenda eſt.

ADDITAMENTUM AD DISQUISITIONEM Dn. Papini de novo pyrii pulveris uſu, menſe proximo Septembri in Actis hiſce pag. 497. exhibitam;


De usu tuborum prægrandium ad propagandam in longinquum vim motricem fluviorum &c.


Communicatum a laudato Dn. Papino.

QUum in *Actis Eruditorum* menſe Sept. pollicitus ſim aliquas me promulgaturum utilitates, quas ex prægrandibus, parvi ponderis, & ubique æqualibus tubis percipi poſſe exiſtimo, etiamſi pulvis pyrius ad ejusmodi tubos aere evacuandos non adhibeatur: promiſſis nunc ſtare conabor, machinamque deſcribam ex ejusmodi tubis præcipue conſtantem; cujus ope, ni fallor, fluviorum vis motrix in loca valde longinqua, ad fodinarum opera aliosque magnæ molis labores perficiendos, poteſt transportari, multo commodius & leviori pretio quam per alia mechanemata hactenus in hunc finem inventa.

TAB. XIII. Conſtruatur rota aliqua qualis A A, imponaturque orificio fodinæ ita ut funis BBBB, dictam rotam ſuper amplectens, altetnatim in fodinam demittat ſitulas duas, quarum altera hic notatur C, quæ ambobus dictis funis extremis annexæ in contrarias ſemper partes tendunt: deſcendente nimirum altera, ſurſum altera aſcendit, aquam vel mineram ſecum efferens, aut alias moles e terræ viſceribus eruendas. Per dictæ rotæ centrum transmiſſus ſit axis DDD, ibique firmiter adhæreat, dictoque axi circum implicentur funes duo EEE, FFF, ea ratione ut piſtilla duo H & G, inferioribus dictorum funium extremis annexa, non niſi alternatim aſcendere vel deſcendere queant, alteroque deſcendente alterum neceſſario ſurſum feratur. Concipienda ſunt hæcce piſtilla exacte aptata duobus tubis II, LL, ſicque patet quod ſi per tubum MM ex. gr. aer ex tubo LL extrahatur, piſtillum G magna vi deorſum ab incumbente aere externo deprimetur, axemque DDD mediante funе FF circumvertet ſimul cum rota AA; unde fiet, ut piſtillum H ſimul cum ſitula C ſurſum feratur: poterit deinde ſitula C depleri materiis ex fodina ſurſum evectis: quumque eodem tempore piſtillum H ad ſummitatem tubi II pervenire debeat, licebit ſtatim per tubum NN aerem ex tubo II extrahere, ſicque piſtillum H viciſſim deprimetur, oppoſitumque piſtillum G attollet cum ſitula alteri extremo funis BBB annexa, materiisque in ea contentis: proſpiciendum vero eſt, ut infra

TAB. XIII. ad A. 1688.
pag. 644





ut infra

ut infra piſtillum aſcendens externus admittatur aer, alioquin ab oppoſito piſtillo nequaquam poſſet attrahi: verum modo id fiat, continueturque alterna hæc aeris extractio, patet quod intentum opus continue quoque poſſit confici: hoc unum itaque mihi reſtat, ut rationem oſtendam, qua dicta aeris extractio a fluvio etiam longe diſſito feliciter poſſit peragi.

Sint OO, OO, duæ antliæ, quarum piſtilla V, V, ſurſum & deorſum alternatim per converſionem axis PPPP moventur, cui axi firmiter adhæreat rota QQ a flumine aliquo circumagenda: patet quod ſi dictæ antliæ OO, OO, ipſarumque piſtilla valvis T, T, T, T, convenienter inſtructa ſint, inſtar vulgaris antliæ ſuctoriæ, debeant neceſſario, per tubum RRRRR & epiſtomium SS, aerem continue extrahere: epiſtomium autem SS, facili negotio ita poteſt comparari, ut debita verticilli circumrotatione geminus producatur effectus: 1°, nimirum, ut infra piſtillum aſcenſurum aeri externo ingreſſus aperiatur; occludatur vero infra piſtillum deſcenſurum: 2°. ut communicatio cum tubo RRR infra piſtillū deſcenſurum permittatur; obſtruatur vero infra piſtillum aſcenſurum: facile igitur efficiemus, ut dum piſtillum G, ex. gr. ex ſuperiori parte tubi LL deſcendere debet, infra dictum piſtillum aeri externo aditus intercludatur; communicatio vero cum tubo RR per tubum MM & epiſtomium SS aperiatur: at infra piſtillum H aeri externo ingreſſus pateat; communicatio vero cum tubo RR occludatur. Et vice verſa, dum piſtillum H deſcenſurum erit, quæ prius foramina patebant, converſo verticillo ſtatim occludantur; quæ vero occluſa erant aperiantur, ſicque intentum effectum obtineamus.

Excogitari poſſet aliquod mechanema, quo mediante machina ipſa verticillum convenienti tempore converteret: ſatius vero fore exiſtimem, ſi homo aliquis huic operi ſemper invigilet, evacuandisque ſitulis dum ad fodinæ orificium appellunt.

Quum machinam hanc Londini anno proxime præterito in illuſtriſſima Societate Regia propoſuiſſem, quædam in contrarium allatæ ſunt difficultates, quæ occaſionem mihi dederunt inveſtigandi, quæ magnitudo partium ad certum aliquem effectum producendū requireretur: & computo experientia innixo comperi, quod, ſi mille libræ ſingulis horis ad altitudinem 500 pedum evehendæ eſſent, &

fodina a fluvio duabus leucis sive 20000 pedibus distaret, sufficeret ut diameter tuborum II, LL unum pedem; altitudo vero quatuor pedes æquaret: tubi autem RRRRR diameter dimidium digitum non deberet superare: quum autem ejusmodi tubus nullam vim nisi ab extra passurus sit, & figura convexa plurimum resistat: ex tenui plumbo levi negotio & pretio confici posset, adeo ut tota illa longitudo quæ per duas leucas extenderetur, in Anglia non constaret plusquam ducentis imperialibus: vidimus enim satis magnam longitudinem tubi secundum hanc proportionem confecti, si aere evacuaretur, pressioni atmosphæræ incumbentis satis superque resistere: quumque vis illa incumbens metalli partes constringat & corroboret potius quam divellat, nullum esset ruptionis periculum, tubusque immotus manens usu nequaquam attereretur: patet igitur, ejusmodi machinam admodum durabilem levi pretio comparari posse, omnibusque locis quantumvis sinuosis & asperis facile accommodari, sine ullo regiarum viarum incommodo. Fatendum quidem est, pistilla in antliis OO, OO, ad fluvium sitis majus debere vincere pondus, quam quod a pistillis G, H prope fodinam potest attolli, ac proinde aliquam potentiæ motricis jacturam fieri; attamen multo melius est maxima saltem parte uti, quam totum amittere, quum præsertim in multis fluviis potentiæ motricis plus satis suppetat: neq; propter jacturam illam machina hæc nostra rejicienda est, nisi aliquod aliud proferatur inventū, cujus beneficio minor ejusmodi jactura futura sit: id autē si quis præstiterit, erit mihi magnus Apollo: inquisivi enim in machinam hydraulicam Londini ad pontem sitam, atque ex quantitate resistentiæ quam pistilla vincunt, & crassitie catenarum quibus mediantibus dicta pistilla moventur, calculum subduxi, liquidoque comperi, quod si magna esset antlias inter & rotam ab aqua circumactam distantia, multo major fieret potentiæ motricis jactura, si per catenas ejusmodi, quam si artificio hic a nobis descripto transportaretur.

Machinæ hujus possibilitatem, simulque tuborum æquabilium utilitatem ulterius confirmare possim, exemplo novi cujusdam torcularis a gravitate atmosphæræ vim suam mutuantis, quo instrumento feliciter in Anglia usus sum: verum metuo ne prolixitas tædium creet, ipsiusque descriptionem in aliud tempus differam.

DEFEN-

DEFENSIO FIDEI NICENÆ DE ÆTERNA divinitate Filii Dei ex scriptis S. Patrum qui intra tria prima ecclesiæ Christianæ secula floruerunt, autore Georgio Bullo Presb. Anglic.

Oxon. e theatro Sheldoniano 1685, & Amstelod. apud Henricum Wetstenium, 1688, in 4.

CUm Autor clarissimus in Apologia harmoniæ apostolicæ prodidisset, se theses quasdam delineasse, quibus antiquissimorum ecclesiæ Doctorum cum Patribus Nicenis in asserenda Christi divinitate & æternitate consensum liquido demonstraverit; ab Amicis rogatus, ut operi adversus *Christophori Sandii* blasphemias perquam utili perficiendo manum admoveret, primæva Patrum monumenta denuo evolvit, testimonia quæ jam pridem inde collegerat, accuratius expendit, plura alia accumulavit, loca a *Sandio* aliisque objecta vindicavit, omniaque in hoc volumen perspicuo disposita ordine congessit.

In procemio perstringit *Sabinum* Macedonianum, & e recentioribus *Socinum*, *Episcopium*, *Sandium* aliosque Symbolo Niceno parum æquos Scriptores, & se non satis mirari posse profitetur, quod *Dionysius Petavius*, etsi summam concilii Niceni reverentiam præ se ferat, Arianis tamen temere largiatur, quod Patres Niceno concilio antiquiores in articulo de Filio Dei idem prorsus cum Ario senserint. Id vero non eo consilio a *Petavio* factum existimat, quod in sinu suo Arianam perfidiam foverit, eamque aliis callide propinare voluerit, sed quod fortasse Pontificiæ religioni robur aliquod accessurum speraret, si Patribus trium primorum seculorum, ad quos Reformatarum partium Theologi subinde provocant, parum tribuendum esse, & concilia œcumenica, quibus a Pontificiis etiam Tridentinum annumeratur, novos fidei articulos constituendi potestatem habere statuatur. Quatuor autē imprimis doctrinæ de Filio Dei capita constituit, in quibus primos ecclesiæ Doctores apostolica & apostolicæ proxima ætate florentes cū Patribus Nicenis optime consensisse, demonstrandū suscipit. Primum est de Filii Dei προϋπάρξει seu præexistentia ante conceptionē & nativitatem ex Maria, imo

& ante

ante mundum conditum, secundum de Patris & Filii consubstantialitate, tertium de Filii æternitate, & quartum de subordinatione Filii ad Patrem.

Prima ergo operis hujus sectione probat, quod communis Patrum ante-Nicenorum sententia fuerit, Christum non solum ante incarnationem suam extitisse, verum etiam Deo Patri ante jacta mundi fundamenta adfuisse. Quod etsi Ariani non inficientur, Sociniani tamen negant, in quorum gratiam hanc thesin breviter statuminandam censuit. Hoc igitur ut faciat, ea primum dicta colligit, quibus *Justinus*, *Irenæus*, *Theophilus Antiochenus* aliique primitivæ ecclesiæ Patres Christum in Veteri Testamento Patriarchis & Prophetis apparuisse profitentur, a qua sententia *Philonem* etiam Judæum, & *Autorem libri Sapientiæ*, quem non ipsum Philonem, sed Philone longe antiquiorem fuisse judicat, & Chaldaicarum V. T. paraphrasium Autores non alienos fuisse animadvertit. Deinde ex *Barnabæ* epistola, quam genuinam esse censet, item ex *Herma*, de cujus autoritate & antiquitate contra *Blondellum*, *Scultetum*, *Rivetum* & alios disserit, aliisque trium primorum seculorum Doctoribus loca quædam producit, quæ Filium Dei ante mundi creationem extitisse testantur.

In secunda sectione, antequam Filium ejusdem esse cum Patre essentiæ probet, de voce *homousii* disserit, eamque non primum a Patribus Nicenis inventam, neque in quæstione de divinitate Filii noviter usurpatam fuisse asserit, minime dubitans, quin Valentiniani aliique Gnostici eam ab orthodoxis ecclesiæ Doctoribus acceptam ad errores suos accommodaverint. Negat vero a Sabellianis hanc vocem ante concilium Nicenum adhibitam, etsi postea Niceni concilii autoritate confirmatam in suæ hæreseos patrocinium trahere cœperint, eoque ipso hanc vocem Sabellianismi apud nonnullos suspectam reddiderint. Præterea cur Patres Antiocheni, qui Paulum Samosatenum damnarunt, hanc vocem supprimendam censuerint, disquirit. His præmissis, quod Patres, qui tribus prioribus seculis vixerunt, Filium Dei ejusdem cum Patre naturæ & verum Deum esse statuerint, exinde probat, quod Filium ex Patre genitum, eumque proprium & naturalem Dei Filium agnoscant; quod eum ita a Patre genitum fateantur, ut fructus e radice, e fonte fluvius, e Sole radius, & lumen de lumine procedit; quod Filium creaturarum censu eximant, eiq; non solum divina idiomata & opera attribuant, sed etiam expressis verbis ipsum verum & unum cum Patre Deum appellare minime vereantur. Producit hunc in finem testimonia *Barnabæ*, *Hermæ*, *Ignatii*, *Clementis Romani*, *Polycarpi*, *Justini*, *Athenagoræ*, *Tatiani*, *Theophili Antiocheni*, *Irenæi*, *Clementis Alexandrini*, *Tertulliani*, *Caji*, *Hippolyti*, cujus excerpta apud *Anastasium* in collectaneis genuina esse probat, *Origenis*, *Cypriani*, *Novatiani*, *Theognosti*, *Dionysii* & Romani & Alexandrini, *Gregorii* Thaumaturgi, concilii *Antiocheni*, *Pierii*, *Pamphili*, *Luciani* Martyris, *Methodii*, *Arnobii* & *Lactantii*. His ecclesiæ Doctoribus suo loco *Lucianum* gentilem addit, cum ex dialogo, qui Philopatris inscribitur, sive ipsum Lucianum, sive coætaneum, aut etiam, quod *Micyllo* visum, antiquiorem autorem habeat, satis constet, qualis Christianorum antiquissimis temporibus de Trinitate fides fuerit. Quæ *Sandius* & Autor *irenici irenicorum* adversus hæc testimonia vel objiciunt vel excipiunt, doctissimus Autor subinde diluit. Notat præterea & alios veteres pariter & recentiores autores, sicubi dicta istorum Patrum pro divinitate Filii temere infringere, aut eos Arianismi præter meritum accusare videantur. In his *Photius*, cujus sinistras de Clemente Romano & Theognosto Alexandrino suspiciones falsi arguit *Huetius*, adversus quem & ipsum Origenem, & Origenis præceptorem Clementem Alexandrinum, & Origenis discipulos Dionysium Alexandrinum ac Gregorium Thaumaturgum & alios sanam de Filio Dei doctrinam foviisse statuit; ut de *Petavio*, quem passim perstringit, taceamus. In *Labbeo* miratur, quod incertum esse judicet, num expositio fidei, quam Gregorius Nyssenus Gregorio Thaumaturgo tribuit, sit eadem cum illa, quam inter opera Gregorii Thaumaturgi Gerardus Vossius edidit, cum tamen Vossiana illa fidei expositio Nyssenianæ ad verbum respondeat, neque eam Bellarminus & Petavius, ad quos Labbeus provocat, unquam in dubium vocaverint. *Erasmum* cum ob alia, tum eo nomine reprehendit, quod persuasum sibi habuerit, ac si Patres ante Hilarium Spiritum S. Deum appellare ausi non fuissent. Simili ratione *Centuriatores Magdeburgenses* carpit, quod Irenæum Spiritus Sancti divinitatem nusquam agnovisse censeant. Nam in asse-

renda Filii ὁμοουσία Autor noſter nonnunquam etiam Spiritus Sancti divinitatem obiter attingit.

In tertia ſectione ad coæternam Filii cum Patre exiſtentiam e Patribus ante-Nicænis probandam progreſſus, tribus eos veluti claſſibus diſtinguit. In prima collocat, qui τὸ συναΐδιον Filii aperte & perſpicue profeſſi ſunt. Horum agmen ducit *Ignatius*, ex quo geminus adducitur locus, unus ex epiſtola ad Polycarpum, alter ex epiſtola ad Magneſios, ubi Filium Dei appellat λόγον ἀΐδιον οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθόντα, ſeu verbum æternum non ex ſilentio progreſſum; quem locum Autor noſter fuſe explicat. Cum enim *Dallæus* ejusq; hyperaſpiſtes *Larroquanus* his verbis ad Valentinianorum Sigen reſpici putarint, & hoc ipſo argumento epiſtolas Ignatii nomen ferentes pro ſuppoſitis habuerint, ſiquidem Ignatium ante exortam Valentini hæreſin martyrii palma decoratum conſtet; contra vero celebris ille Ignatii vindex *Pearſonius* his verbis non Valentinianos, ſed Ebionitas tangi cenſeat, adverſus quos Ignatius Filium Dei a vulgaribus verbis, quæ e ſilentio prorumpunt, diſtinguere voluerit: ab utraque opinione diſcedendum ſibi Bullus noſter exiſtimat, perſuaſum ſibi habens, tota illa Ignatii periocha Judaizantes Gnoſticos & Cerinthum eorum principem perſtringi. Qua ſententia confirmata, his ipſis Gnoſticis Arianos ſuam debere proſapiam oſtendit. Ignatio æternitatem Filii aperte docenti ſubjungit *Juſtinum Martyrem*, *Irenæum*, *Clementem Alexandrinum*, *Cyprianum*, *Dionyſios Romanum & Alexandrinum*, *Gregorium Thaumaturgum*, *Patres Antiochenæ ſynodi*, *Theognoſtum*, *Methodium*, *Pamphilum Martyrem* & *Arnobium*, qui omnes τὸ συναΐδιον Filii ſine ambagibus teſtantur. In ſecunda claſſe ſtatuit *Athenagoram*, *Tatianum*, *Theophilum Antiochenum*, *Hippolytum* & *Novatianum* ſeu autorem libri de Trinitate, qui inter Tertulliani opera legitur. Hos enim, etſi nonnunquam coæternam Filii cum Patre exiſtentiam negare videantur, quoties Filio Dei nativitatem quandam, quæ creationem mundi proxime anteceſſerit, tribuunt, ab Arii tamen ſententia longe abhorruiſſe putat. Hoc ut probet, obſervat, veteres eccleſiæ Doctores triplicem Chriſto nativitatem tribuiſſe, unam qua ab æterno ex Patre natus fuerit, alteram qua ad creationem univerſi ex Patre quaſi exiverit, cujus προελεύσεως reſpectu primogenitus omnis creaturæ appel-

appelletur, & tertiam qua verus homo ex beatæ Virginis utero progreſſus fuerit. Et ad alteram illam nativitatem, non veram & propriam ſed figuratam & metaphoricam, Athenagoram & cæteros hujus claſſis Patres reſpicere in omnibus illis locis arbitratur, quibus coæternam Filii cum Patre exiſtentiam negaſſe arguuntur. Hanc veterum illorum Doctorum ſententiam fuiſſe, ex eo confirmat, quod etiam poſt exorta cum Arianis certamina, catholici quidam eccleſiæ Patres illas loquendi formulas non reformidaverint. Ac primum quidem ad ipſum ſymbolum Nicænum provocat, in quo anathema dicitur Arianis de Filio Dei ſic dicentibus: erat, quando non erat, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, & priusquam naſceretur, non erat. Quæ verba vix intelligi poſſe putat, niſi dicatur, hoc Arianorum dictum oppoſitum fuiſſe catholicorum illorum Doctorum ſententiæ, qui docerent, Filium quidem paulo ante mundum conditum inexplicabili quodam modo e Patre progreſſum fuiſſe ad creanda univerſa, minime tamen tum primum cœpiſſe, ſed ab æterno apud Patrem extitiſſe. Cum vero *Euſebius* Cæſarienſis in epiſtola ad eccleſiam ſuam, qualis apud Theodoretum lib. I. c. 12. legitur, anathematiſmum illum ſymboli Nicæni partim ex ſua, partim ex Imperatoris Conſtantini ſententia ita explicet, quaſi Patres Nicæni docere voluerint, Filium Dei ante corporalem ſuam ex Maria nativitatem extitiſſe, vel etiam antequam actu gigneretur, potentia in Patre fuiſſe, quorum neutrum tamen Ariani negaverint; non levis Autori oritur ſuſpicio, quod perioche illa, quæ apud Socratem & in hiſtoria tripartita deeſt, apud Theodoretum ab impoſtore aliquo Euſebianæ epiſtolæ inſerta fuerit. Poſtea Patribus Nicænis præter alios *Athanaſium* adjungit aſſerentem, quod Filius Dei ratione æternæ generationis unigenitus, primogenitus vero creaturarum propter ſuam ad creaturas συγκατάβασιν appelletur; quo nomine nihil aliud ab Athanaſio intelligi aſſerit, quam antemundanam illam τοῦ λόγου nativitatem ab æterna diſtinctam, de qua Athenagoras & alii Patres ſupra allegati philoſophati ſunt. Atque ex his tandem concludit, perperam a Petavio *Rupertum Tuitienſem* ſuggillari, quod in commentario ad Geneſin τὸν λόγον tunc actualiter a Patre generatum ſcribat, quando cœlum & terram creavit. Cauſas vero odii adverſus Rupertum Tuitienſem in Petavio & aliis Pontificiis inde natas putat,

tat, quod nonnulla ecclesiæ Romanæ placita & imprimis transubstantiationis dogma oppugnare ausus fuerit. Tertiæ denique classi reservavit *Tertullianum*, qui diserte lib. contra Hermog. c. 3. scribit, fuisse tempus, quando Filius Dei non esset, & *Lactantium*, qui lib. 2. c. 9. & lib. 4. c. 8. Filio Dei non obscure existentiæ initium tribuit. Quamvis vero de horum sententia non anxie sibi laborandum censeat, cum Tertullianus ad hæresin desciverit, & Lactantius rerum ecclesiasticarum perquam rudis ad Rhetores potius, quam ad Scriptores ecclesiasticos referendus videatur, nonnulla tamen, quæ ad utriusque excusationē faciunt, in medium proferre non pigratur. Observat enim, *Tertullianum* sententiam illam non tam ex animo, quam ἀγωνιστικῶς & contentiose in certamine cum adversario protulisse, cum ex aliis locis constet, Tertullianum æternitatem Filii agnovisse, etsi nonnunquam inter λόγον quatenus Ratio Dei dicitur, & quatenus Sermo, distinguat, & priori tantum respectu Filio Dei æternitatem tribuat. Unde Autor noster concludit, Tertullianum fundamentum quidem hujus doctrinæ recte tenuisse, sed super illo ligna, fœnum, stipulas ædificasse, ideoque in ejus scriptis aureas quidem doctrinæ catholicæ venas, sed scoria admistas deprehendi. De Lactantio notat, quod loca illa corrupta & adulterata videantur, cum aliis in locis vestigia sanioris in hoc articulo doctrinæ cernere liceat.

In sectione quarta, quæ de subordinatione Filii ad Patrem agit, varia primum e Patribus testimonia adducit, quibus Patrem Filii principium, causam, autorem, radicem, fontem & caput asserunt. Deinde Filium Dei perperam Αὐτόθεον a nonnullis appellari, probare contendit; nisi per Αὐτόθεον nihil aliud quam ipsissimum verum Deum intelligant. Imprimis autem symbolum Nicænum urget, in quo Filius Dei non Αὐτόθεος, sed Deus de Deo nominatur. Et cum *Johannes Calvinus*, quem, etsi tacito ipsius nomine, primipilum & antesignanum eorum vocat, qui Christum Αὐτόθεον recte dici propugnant, autoritatem Nicænæ synodi elevet, & non solum Patres illius concilii fanaticos appellet, sed etiam illorum symbolum ob battologiam carmen potius cantillando aptum, quam formulam confessionis esse dicat, acriter in eum insurgit, & piam juventutem serio cohortatur, ut a spiritu sibi caveat, ex quo talia profe-

fecta fuerint. Deinde ostendit, ecclesiæ Doctores, etsi ratione φύσεως omnimodam Patris & Filii æqualitatem agnoverint, tamen ratione originis Patrem Filio majorem agnovisse. Ad ea vero loca, in quibus Patres Filii immensitatem, adeoque etiam æqualem cum Patre naturam negasse videntur, prolixe respondet, & tandem, cur ecclesiæ Doctores doctrinam de subordinatione Filii ad Patrem cognitu creditуque necessariam statuerint, ostendit.

JOHANNIS PAULINI OLIVEKRANS TABULæ in Hugonis Grotii de Jure belli ac pacis libros, edita a Simone Henrico Musæo D. & Juris nat. ac gent. in Acad. Kilonienſi Professore.

Kiloni, typis Joach. Reumanni, 1688, in fol.

INsignem tabularum, quibus res dispersæ contrahuntur, & prolixiora volumina in arctum coacta apteque dispositа oculis sistuntur, esse utilitatem, vix dubitare licet, siquidem per eas haud contemnenda memoriæ adminicula conciliantur: quibus haud opus est in istis tractationibus, quæ facili perspicuoque contextu dispositæ σκιαγραφίας non desiderant opem. Hugonis Grotii de jure belli & pacis admirandum opus, quanquam pulchre dispositum, quia tamen, censente Bœclero, tale est, ut non per particulas decerpi, sed totum pernosci debeat, si quis id velit cum successu tractare, quin tabulis ejusmodi compendiariis instrui utiliter possit, non ambigendum. In eoque studio operam posuit nescio quis *præclarus Vir*, cujus tabellas Grotianas, a Barone Boineburgio sibi missas, Commentario suo ad Grotii librum primum subjecit Bœclerus. Hujus vestigia secutus *Matthias Biorenklovius* Consiliarius Suecicus, in eodem tabellarum Grotianarum concinnandarum studio industriam suam exercuit, quas Jo. Phil. Mullerus evulgavit. Sed cum admodum concisæ istæ sint, Gener illustris istius Viri, dignitate ei æqualis *Johannes Paul. Olivekrans* pleniores instruxit: quas ab ipso nactus Dn. Musæus evulgandas duxit, præmissa generali omnes libros & capita recensente tabella, quam ipse Grotius confecerat & Biorenklovio Parisiis A. 1648. tradiderat. Beneficii in se collati, quod

ad plures jam derivavit, memorem & gratum ut se probaret doctissimus Editor, vitam laudesque illustris tabularum Auctoris, *Consiliarii Cancellariæ Regiæ & Secretarii Status*, plurimis legationibus functi, ac anno 1681 a Serenissima Regina Christina ad *Consiliarii* munus adsciti & *Generalis omnium suorum Dominiorum Gubernatoris* constituti, oratione panegyrica, hoc ipso anno Kilonii habita, exposuit, quam tabulis subjectam cum iisdem in publicum emisit.

JOANNIS TORRE, NOBILIS LUCENSIS, EX supremo consilio Ducis Parm. & Plac. de Successione in Majoratibus & Primogenituris Italiæ, Tractatus Tripartitus.

Lugduni, sumtibus Anissoniorum, Jo. Posuel & Cl. Rigaud, 1688, in fol.

UTut haud defuerint, qui nobilissimam de Majoratibus ac Primogenituris materiam eruditis commentariis ac tractatibus illustrarent, quorum, præterquam quod alioqui satis innotuerunt, catalogus ad calcem præfationis hujus libri recensetur: negari tamen nequit, quin plerorumque eorum scribendi propositum a scopo, quem in concinnando hoc opere Autor noster sibi præfixit, luculenter satis discrepet. Hic videlicet nequaquam universam materiam Majoratus aut Primogenituras concernentem complecti, aut quid hac in parte juris obtineat singulis in locis, edocere, sed successionem duntaxat in Majoratibus & Primogenituris Italiæ suæ prosequi laborioso hoc opere annisus est: unde etiam posthabita fere ea Majoratus specie, quæ legem scriptam pro origine & fundamento habet, utpote in Italia admodum infrequenti; eam potissimum persecutus est, quæ hominis dispositioni, partim & præcipue in ultimis voluntatibus, partim actibus & contractibus inter vivos declaratæ ortum debet: tametsi eapropter non omiserit sparsim sed breviter data occasione innuere, quid in hoc vel illo juris articulo Hispanorum, Gallorum, Siculorum, aliorumve moribus obtineat. Ansam pertractandi hocce thema hanc fere fuisse narrat, quod experientia didicerit, quam vario & inconstanti eventu in Italicis Tribunalibus nunc frequentissimæ super talismodi successionibus lites

lites passim decisæ ac definitæ hactenus fuerint, ut modo natu major, modo primogenitus, aliquando patruus, nonnunquam nepos super eadem pene facti circumstantia victor evaserit. Studio proinde indagandæ veritatis sese ait in causas litigantibus damnosæ istius discrepantiæ inquisivisse, per plurium annorum curriculum; nec aliunde tandem eam plerumque resultare perspexisse, nisi ex ambiguitate vocum, Majoratus aut Primogenituræ; qua nempe evitata ut plurimum res decisu promta evadat. Huic vero fini certam hanc, invariabilem ac fundamentalem regulam observandam jubet; nimirum Majoratum in genere consideratum tres dispositionum species subalternas continere: *primo* quidem Primogenituram propriam & veram, in qua juxta regulas Majoratus Hispaniæ, (in hoc enim regno Majoratus & Primogenitura nil differunt,) sit succedendum, attenta prælatione successiva lineæ, gradus, sexus & ætatis; *porro* Majoratum similiter proprium & regularem, in cujus successione respiciatur primo gradus, postea sexus, & ultimo ætas; *denique* Majoratum improprium & irregularem, in quo nulla habita ratione lineæ vel gradus, sexus & ætas sit præferenda. Atque huic divisioni si inhæreatur, causam veritatis facilius posse expediri tradit, quam quidem si juxta communem Doctorum scholam duæ tantum statuantur successionis hujusmodi species, primogenitura nempe, & majoratus irregularis, quem illi saltuarium plerumque vocitant ex eo, quod successio saltat quasi ab uno seniore familiæ ad alium. Quinimo hanc ipsam methodum ad hoc fere a Dd. adinventam & initam existimat, ut hoc pacto facilius clientulorum necessitatibus deservirent: cum alioqui tantum absit, ut Majoratus ille saltuarius altero isto regulari potior habendus sit, ut verius pro hoc, non autem pro illo militet præsumtio; quapropter si verba Testatoris ambigua sint, an loquantur de primogenitura, an de majoratu, & quanam rursus hujus specie, statuit, dispositionem in dubio interpretandam magis pro majoratu regulari, quam aut primogenitura, aut majoratu saltuario, eo quod duæ hæ species magis a jure communi, quam tertia illa, recedant. Cæterum tripartitum hunc Tractatum esse, ipsa rubrica loquitur, in tria nempe distincta volumina digestum. In *prima* parte capitibus 41. constante, ipsa hujus doctrinæ fundamenta jaciuntur, & quæstiones in causis talibus moveri solitæ prolixe &

lixe & operoſe expediuntur: variæ diſpoſitionum iſtiusmodi ſpecies exponuntur, & quomodo earum quælibet vel expreſſe vel tacite ex conjecturis inducta cenſeri debeat, traditur: admixtis etiam alicubi integris aliorum doctorum virorum diſcurſibus ſuper punctis quibusdam habitis, inter quos & nonnulli Italico idiomate ſcripti comparent. Pars *ſecunda* exhibet 66 Quæſtiones ſelectas, ſuper celebrioribus partis primæ articulis, coram variis tribunalibus plerumque per Autorem ipſum diſcuſſas, per modum Conſilii ſeu Reſponſi. Nec putandum eſt, ac ſi Conſilia hæc unice primogenituras aut majoratus concernant: plura enim ex illis alias quoque materias juris reſpiciunt, aut diverſas plane, aut ſaltem ad generalia modo doctrinæ de ſucceſſionibus capita reducendas. Præterea ſecundo huic Tomo velut ſuperpondii loco adduntur ſex Reſponſa Lælii Boſcoli, Conſiliarii intimi & Secretarii Status in aula Parmenſi; quæ ipſa nempe ob materiæ aliqualem affinitatem inſerere Noſter conſultum duxit, aurea ea vocitans ob elaborationis præſtantiam & ſoliditatem; agunt vero de capitibus quibusdam ad doctrinam de feudis, emphyteuſin item & uſumfructum ſpectantibus. In parte *tertia* continentur 76 Deciſiones ſelectiores, ad tractatas in antecedentibus materias pertinentes, easque tum confirmantes, tum illuſtrantes; editæ in diverſis Italiæ Tribunalibus ac Rotis celebrioribus: e quibus utut plurimæ nunc primum lucem adſpiciant publicam, multæ tamen itidem admiſcentur, quæ dudum editæ ac typis impreſſæ fuerunt; ad quarum cujuslibet frontiſpicium non omiſit Autor ingenue annotare, ubinam alias legatur & impreſſa reperiri valeat. Neque hæ etiam deciſiones univerſæ ſpeciatim ad majoratus collimant, ſed pleræq; ad fideicommiſſa tantum vulgaria: non tamen ideo alieni quid ſe admiſiſſe Noſter autumat, eo quod majoratus ipſi, Italici maxime, fere fideicommiſſorum ſpecies ſint. Quemadmodum vero in ſingulis operis hujus partibus quæſtiones reſolvuntur caſusque deciduntur haud vulgares, ita non abs re foret, ex iis potiores decerpere & benevolo lectori hic communicare: attamen cum plerique iſtorum caſuum prolixioribus ſtipati circumſtantiis ſint, quam ut ſuccinctam ejusmodi, qualem modo noſtrum inſtitutum patitur, relationem admittant, pauciores, quam alias libri moles expoſceret, ſpeciminis loco hic attuliſſe ſufficiet. In *P. I. cap. 5. §. 4.* famoſam illam quæſtionem, an in ſucceſſione majoratus pater excludat agnatum transverſalem, an vice verſa, Autor ita definit, ut patrem, non quidem uti talem, ſed uti in eadem linea exiſtentem, potiorem putet, niſi concurrat cum perſona Teſtatori, majoratus autori propinqua, eo quod hanc veroſimiliter prædilexiſſe cenſendus ſit. *In ej. cap. §. 8.* quæſitum, an emphyteuſi conceſſa alicui pro ſe & deſcendentibus maſculis usque in quartum gradum incluſive, & hujus dein pronepote defuncto, extincta ſit emphyteuſis & ad directum dominum devoluta, an vero pronepotis filius adhuc admittendus: & admittendum eum eſſe, laudo arbitrorum definitum legitur, neque adeo primum acquirentem in computatione generationum comprehenſum putari. *P. 1. c. 25. §. 11.* ſtatuitur, præceptum teſtatoris, ut ſuccedens ferat nomen & inſignia ipſius, non per ſe ita efficax eſſe, ut excludat fœminas & natos ex iis maſculos. *Ej. cap. §. 25.* maſculis ad ſucceſſionem vocatis, maſculum ex fœmina excludere fœminam ex maſculo, non tantum quando diſpoſitio facta ſit favore maſculinitatis, ſed & cum favore agnationis. *P. 1. c. 26. §. 2.* majoratu in favorem ſecundogeniti filii introducto, & hoc dein una cum deſcendentibus extincto, ſucceſſionem deferri non tertiogenito, ſed primogenito. *Part. II. qu. 4.* reſpondetur ab Autore: fratris, qui fideicommiſſo familiæ renunciarat, filium patre etiamnum vivente poſſe jure repræſentationis adſpirare una cum patruis ad fideicommiſſum, cui pater renunciarat. *P. 2. qu. 7.* eum qui ſuccedit in primogenitura fideicommiſſaria, utut ſucceſſorem particularem, teneri ſtare locationi ab anteceſſore factæ. *P. 2. qu. 10.* agnatum, licet mente captum, non excludi per remotiorem a fideicommiſſo, quod non habeat annexam dignitatem, utut ad conſervationem familiæ & intuitu agnationis relictum ſit: cui tamen Autoris opinioni *inſeq. qu. 11.* contrariũ reſpondet *Horatius Battaglia* Advocatus Bononienſis. *P. 2. qu. 16.* habetur, ſubſtitutionis filio factæ eum in caſum, ſi absque filiis maſculis legitimis & naturalibus deceſſiſſet, conditionem nondum extitiſſe videri, ſi hic filiam fœminam reliquiſſet. *P. 2. qu. 36.* fideicommiſſum inde non involvi, quod heredibus inſtitutis filii ipſorum a teſtatore ſubſtituti ſint, niſi ſimul addita ſint verba tractum temporis ſucceſſivum & perpetuitatem innuentia. *P. 3. Deciſ. 25.* judi-

catur, institutis duobus heredibus &eorum descendentibus masculis, & si hi demum deficiant, fœminis substitutis, si postea contingat, masculos unius harum linearum deficere, fœminam ex eadem linea superstitem excludere masculos alterius lineæ, adeoque inter institutos duarum linearum masculos non censeri introductam reciprocam linealem. *P. 3. Decis. 37.* testatorem, si revocet testamentum cum declaratione, quod velit intestatus decedere & bona sua relinquere iis, qui secundum loci statuta ab intestato vocentur, putari instituisse venientes ab intestato, adeoque hos succedere ex provisione testatoris & non legis,& sic excludere ratione bonorum etiam alibi sitorum hos, qui jure communi quidem simul successuri essent, at per statuta loci, ubi ille mortuus, ab hereditate arcentur: quæ ipsa tamen Decisio ab eadem Rota postmodum revocata per contrariam sententiam perhibetur *Decis. 46.* Atque hæc jam per compendium recensuisse satis erit; e quibus si forte nonnulla cuidam paradoxa videantur, eorum deductio copiosissimis allegatorum rationumque cumulis suffulta in opere ipso requiri poterit: sane singula etiam minima asserta tam numerosis doctorum manipulis stipata comparent, ut inde non minus, quam ex locupletissimo indice operi subjuncto, indefessæ Autoris industriæ & ferreæ velut patientiæ testimonium certissimum capi queat.

CONJECTURÆ DE PERPETUO AZYMORUM usu in ecclesia Latina vel saltem Romana, qua occasione vox Fermenti aliique veteres ecclesiastici ritus declarantur. Autore Joanne Ciampino, Magistro Brevium Gratiæ ac in utraque Signatura Referendario.

Romæ, ex typographia Joh. Jacobi Komarck, 1688, in 4.

DE perpetuo azymorum in S. Eucharistia apud Romanos usu acturus celeberrimus Auctor, primum quid *Michael Cerularius* & *Nicetas Pectoratus* Latinis in hac causa objecerint, & quid Latinæ ecclesiæ nomine *Leo IX.* ejusdemque legatus *Humbertus*, nec non *Autor* quidam *anonymus* tomo 27. bibliothecæ Patrum editus Græcis responderint, exponit, subjuncto brevi Scriptorum indice, qui ante

ante concilium Florentinum de azymis egerunt. Deinde qualis panis apud ethnicos Romanos primitivæ ecclesiæ tempore usitatus fuerit, fermentatusne an azymus, disquirit, & *Plinii*, *Celsi*, *Galeni* aliorumque testimoniis in medium allatis colligit, quamvis tam fermentati quam azymi usus per duo prima ecclesiæ secula Romæ viguerit, frequentius tamen azymum quam fermentatum, saltem a tenuioris fortunæ hominibus, quales plerique Christiani tum temporis fuerint, reficiendo corpori adhibitum fuisse. Postea ut ecclesiam Latinam singulis seculis in azymis sacra mysteria celebrasse probet, ex primo Christum & Apostolos, ex secundo *Tertullianum*, ex tertio *Cyprianum*, ex quarto *Gaudentium* & *Ambrosium*, ex quinto *Augustinum* & *Leonem M.* ex sexto *Venantium Fortunatum* & *Gregorium M.* ex septimo Patres concilii Toletani A. 693. celebrati, ex octavo *Egbertum* Eboracensem, ex nono denique *Rabanum Maurum* & *Walafridum Strabonem* adducit.

Cum vero huic sententiæ, quæ ab ipso nascentis ecclesiæ exordio perpetuum in Romana ecclesia azymorum usum viguisse asserit, obstare videatur, quod in decretis Romanorum Pontificum *Melchiadis* & *Siricii*, nec non in epistola *Innocentii* I. ad Decentium, fermenti mentio occurrat, quid in his locis fermenti nomine veniat, prolixe discutit, & varias de hac controversia Scriptorum conjecturas tanto agmine producit, ut iis etiam peculiarem quandam classem eamque primam concedat, qui oblata differendi de fermento occasione hunc scrupulum vel leviter attigerunt, vel plane intactum reliquerunt. Altera classis eos complectitur, qui fermenti voce S. Eucharistiam notari censuerunt, ut *Espencæus*, *Latinius*, *Sirmondus*, *Bona*, & *Lupus*, etsi non omnes eandem appellationis rationem agnoscant, & nonnulli non a pane fermentato, sed ob alias causas S. Eucharistiæ fermenti nomen obtigisse tradant. In tertia classe comparent *Cusanus*, *Baronius*, *Binius*, *Raynaudus*, *Macedo*, *Altaserra*, & *Cabassutius*, qui eulogias seu panem benedictum quidem, nec tamen consecratum, fermenti voce designari putant. Quarta denique classis eos continet, qui sub vocis hujus larva S. Eucharistiam eo fine velut absconditam fuisse judicant, ne mysteria hæc infidelibus paterent, cum antiquitus id in more fuerit, ut Eucharistiæ Sacramentum ænigmaticis ejusmodi appellationibus involveretur, quam sententiam imprimis *Mabillonius* propugnavit,

Recenſitis variis his ſententiis, nondum ſuam ipſius mentem clariſſimus Autor aperit, ſed prius, quid *Joſepho Mariæ Thomaſio* occaſione vetuſti cujusdam Ordinis Romani, qui in monaſterio Benedictino S. Galli manuſcriptus extat, in mentem venerit, exponit, & argumenta, quibus *Sirmondus* & *Bona* fermentatum panem in eccleſia Latina uſitatum antiquitus fuiſſe contendunt, refellere aggreditur.

His igitur præmiſſis aſſerit, fideles non ignaros, quod ſui majores de eodem pane ab Apoſtolis benedicto participaviſſent, ipſos quoque, ut ejusdem panis ab Epiſcopo conſecrati participes fierent, curaſſe, eoque conſilio Pontificem plures Oblatas conſecraſſe, earumque unam pro eccleſiarum titularium numero in totidem particulas fregiſſe, easque particulas ſingulis eccleſiis Acoluthorum ope miſſas fermentum appellari, quia Presbyteri titulares has a Pontifice conſecratas particulas cum ſuis Oblatis commiſcuerint. Porro ait cujuslibet eccleſiæ Presbyterum particulam a Pontifice miſſam ejusque conſecratione in Corpus Domini mutatam, antequam ea frueretur, ſacro calici injeciſſe, & mox etiam ex ſacro calice aliquid Sanguinis Dominici, in calicem majorem ſeu miniſterialem, in quo vinum non conſecratum pro confirmando populo fuerit, transfudiſſe, ut omnes fideles Presbytero ſubjecti quodammodo miſſi a Romano Pontifice fermenti participes redderentur. Poſtea ritum illum, quo vinum conſecratum cum non conſecrato miſcetur, prolixius ex antiquis miſſalibus deſcribit, & eum in calendario Romano, *Johannis Frontoni* opera A. 1652 Pariſiis edito, ad ſabbatum ante Dominicam Palmarum legatur: *ſabbato datur fermentum in conſiſtorio Lateranenſi*; quale fermentum illud fuerit, primum ex *Frontoni*, deinde ex ſua, & poſtremo ex *Joſephi Mariæ Thomaſii* ſententia recenſet.

Diſceptationibus his finitis, ſententiam *Amalarii Fortunati* de immiſſione duarum particularum ſacri panis in calicem, nec non *Belethi* & *Durandi* judicium ſuper mixtione Corporis Dominici cum vino non conſecrato in die Paraſceves memorat, quæſtionē inſuper movens, an antiquitus Acoluthis ſacratiſſimam euchariſtiam deferre permiſſum fuerit? Tandem, ubi de Ordine Romano & de antiqua voce *Rugæ* diſſeruit, finem huic tractatui imponit. Cæterum poſt has ſcriptorum ſuorum primitias, pleniorem ingenii ſui meſſem Ciampinus

pinus ſpondet, *Examen libri pontificalis, ſeu vitarum Romanorum Pontificum, quæ ſub nomine Anaſtaſii Bibliothecarii circumferuntur; Vetera Monumenta, in quibus Muſiva præcipue opera, ſacrarum profanarumque ædium ſtructura, ac nonnulli antiqui ritus diſſertationibus iconibusque illuſtrantur*; item opuſcula *de ſacris profanisque calicibus, de ſacris indumentis* & *de ſacrarum imaginum uſu earumque veneratione* in lucem editurus. Ut adeo, quemadmodum de urbe Roma præclare hactenus meruit, duplici excitata Academia, quarum altera Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ illuſtrandæ in Collegio de propaganda Fide, altera excolendis ſcientiis Phyſico-Mathematicis domi ipſius celebratur; ita deinceps Orbem Literatum univerſum obſtringere ſibi decreverit. Quem ſcopum ſuum ut conſequatur facilius, pluribusque ad perficienda, quæ affecta jam habet, ingenii monumenta nitatur ſubſidiis, Lectores ſub finem libri rogat, ut ſi qui Muſivi quid operis, aut calicis, ſacrorumve indumentorum, aut alterius cujuslibet rei, per quam Elucubrationibus iſtis lux afferri poſſe videatur, poſſident, eorum ſibi copiam transmiſſis minimum iconibus facere dignentur: pollicitus viciſſim cuique debitas grates, condignamque eorum, qui ſymbolæ ſuæ collatione inſtitutum hoc promoverint, in hiſce operibus mentionem.

HISTOIRE DE LOUIS XII. PAR MONSIEUR Varillas. i. e.

Antonii Varillaſii Hiſtoria de Ludovico XII Galliarum Rege. Tomi III.

Lutetiæ, apud Claudium Barbin, 1688, in 4. & Hagæ Com. apud Adrianum Moetjens, in 12.

INter Gallorum Reges, unanimi hiſtoricorum teſtimonio, vix fuit, quem ſubditi vivum magis amaverint, aut mortuum vehementius deſideraverint, quam *Ludovicus XII*, cujus vitam & geſta, poſt tot alios, Varillaſius hoc opere exhibet. Præmittit hoc elogium in dedicatione ad *Regem Chriſtianiſſimum*, ſed & cenſuram, quam meruiſſe ſtatuit Ludovicum, quod *Georgium Amboſium* Cardinalem non ſolum intimo affectu complexus fuerit, ſed ſimul ad ſupremum rerum ſuarum miniſterium evexerit, malo aliquando cum eventu. Id ex-

emplo tractatuum *de fœdere Cameracensi* contra Venetos inito confirmat, in quibus a *Margaretha Austriaca* induci se passus sit, ut rei Gallicæ noceret, aucta ultra dimidium Pontificum potentia temporali, & aditu Germanis in ducatum Mediolanensem facto, deserto etiam Carolo Gelriæ Duce', fidissimo Gallorum socio. His Regis, qui nunc rerum potitur, consilia & acta opponit, eumque extollit, quod neque ad interiorem amicitiam, neque ad summi ministerii auctoritatem quenquam ex suis admiserit, & longe circumspectius in pacificatione Neomagensi versatus sit, utilitate Regni sui ubique præclare observata, præsertim in commutatione *Friburgi* Brisgavorum, cum *Philippico* ad Rhenum munimento, uti in pacificatione Westphalica in reservata facultate succurrendi Principibus Germaniæ, si qui vim paterentur. Non minus laudat, quod Hispanis *comitatus Burgundiæ*, & Gallo-Belgicæ provinciæ ademtæ fuerint, quarum viribus bis in summum periculum adducta sit Gallia; semel nempe Caroli V tempore post stragem Gallorum ad *Fanum Quintini*, dein sub Ferdinando II. cum *Gallasium* non nisi fluminum exundationes retardassent, quo minus cum collecto in illis partibus quadraginta millium exercitu, in Galliam irrumperet. Addit in augmentum gloriæ, quod auspiciis Gallicis restituta fuerint Suecis insignia loca in Germania iis ablata. Isthæc durantibus inter Germaniam & Galliam induciis, quæ nunc urgentibus utriusque gentis fatis, ex improviso ruptæ sunt, scripta, considerationem forte aliquam ex recordatione præteritorum, & conjectatione futuri invenient.

Historiæ ipsius, quam ab anno 1498 ad mortem usque Ludovici anno 1514. (Gallico ejus temporis more a festo Paschatis numerato,) neque seriem, neque epitomen tradere hic possumus. Ex multis gravibusque scriptoribus cognosci illa potest, & propter magnos variosq; casus legi repetique meretur. Intra annos enim haud multos, quibus Ludovicus XII regnavit, tot illustrium bellorum, fœderum & congressuum inter Reges & Principes exempla, quot vix in alio & longiori regno, reperiuntur: neque politica solum negotia, sed & ecclesiastica maximi momenti, partem hujus historiæ faciunt. Regis enim hujus, imo maxime Cæsaris *Maximiliani I* cura & autoritate *concilium Pisanum* convocatum fuit, corrigendis

Julii

Julii II Pontificis enormibus excessibus, & inveteratis aulæ Romanæ malis. Frustra id quidem, sed non sine præsagio, imo & justificatione eorum, quæ paulo post circa reformationem Ecclesiæ secuta sunt.

Cæterum quam laudem *Varillasio* tribuimus, cum primam ejus mentionem in Actis nostris, recensendo historiam Caroli IX, anno 1684 p. 275. faceremus, quamque postea anno 1685 p. 10 in relatione historiæ Francisci I repetivimus, eam illum in hoc opere tum dictionis elegantia, tum perpetua consiliorum & causarum investigatione, & judicandi libertate sectatum, nec infeliciter assecutum esse, lectores deprehendent. Neque tamen obliti sumus eorum, quæ a non uno adversario Autori objecta sunt, nec in Actis nostris taceri potuerunt. Veritas itaque historica præsupponenda est, in iis præsertim capitibus, in quibus ab aliis dissentit, aut non adscriptis testimoniis singularia tradit, aut censuris liberius indulget, quod inprimis adversus Maximilianum I Imperatorem feciſſe videri potest. Regulam sane ipse agnoscit, & *Petro Bembo*, Cardinali, Venetarum rerum illustri scriptori, quem non uno loco taxat, oppositum ivit: *neminem cogi, ut historico fidem habeat, sua unius autoritate aliquid asseveranti.* Vid. Tom. I. p. 565. Munire adversus hanc sese voluit Varillasius, præfixa *Tomo I* admonitione, in qua & judicium & censuram de autoribus promittit, quibus usus est; neque enim ullum magis, quam plagii crimen in scribendo abhorrere se dicit: verum paucorum scriptorum, ex quibus libros hos suos congesserit, mentionem facit. Nominat *Nicolaum Machiavellum* & *Thomam Thomasium*, qui de gestis *Cæsaris Borgiæ*, diverso quidem instituto & studio scripserunt; tum Hispanum anonymum, & *Paulum Jovium*, qui de vita *Consalvi Cordubensis*, & hic quidem (ut notat) sex millium aureorum pretio conductus, commentati sunt: *Petri* deniq; *Martyris Anglerii*, qui Ferdinando Arragonio a sacris & secretis fuisse existimatur, epistolas allegat, inventu, dum Autor scriberet, raras, sed postmodum Amstelodami A. 1670 recusas. Ejusdem alia quædam scripta commemorat, eaque occasione indicat manuscriptam *Saladini* celeberrimi Saracenorum dominatoris historiam, ab Auctore alio conscriptam, quam in Bibliotheca quadam Gallica extare dicit. In præfatione Tomi II de autoribus nihil reperitur, quam animad-

versio

verſio in librum Gallicum, in quo Cardinalium *Amboſii & Richelii* acta comparantur, & in *Bembum*, de quo dicere cœpimus, quem invidi in Gallos animi, imo & mendacii accuſat. In *Tomi III* præloquio opinatum ſe eſſe fatetur, vix extra bibliothecam regiam reperiri orationem *Pompeji Columnæ* adverſus Julium II, imo & anteriores Pontifices, ad primarios quosdam ex civibus Romanis anno 1511 habitam. Agnoſcit tamen eam a Vicquefortio nuper editam, & libro, cui *Thuani reſtituti* titulum fecit, præmiſſam eſſe. Ipſe vero (quod hic, & olim Guicciardinus neglexerint) cauſas ſibi aperiendas eſſe duxit, quæ Columnam ad acerbitatem illius declamationis permoverint, illasque in præfatione hac luculenter exponit. Addit deinde quædam ex epiſtola *Leonardi de Porta*, de cauſis infelicium belli Gallici ſub Ludovico XII eventuum, quibus ſua quædam annectit. Diſſerit ibidem de *Ludovici Tremollii* pacto, inſolenti quidem auſu, ſed magna cum rei Gallicæ utilitate anno 1515 cum Helvetiis in caſtris ad *Divionem* inito, cujus exemplum fide dignum a ſenatore quodam Divionenſis curiæ nactus, in fine operis fol. 547 produxit. Apologiam denique, illamque perbrevem ſubjicit adverſus *Larroquii* novas accuſationes contra librum ſuum primum de hæreſibus editas, quas nuper in Actis hujus anni p. 249 recenſuimus. Regerit nempe, quod jam A. 1687 Burneto regeſſerat (vid. Act. d. l. p. 24) nihil ſibi ex hiſtoria de Viclefo valide objici poſſe, cum illa ſibi furto ſubducta, & ſe inſcio multaque cum interpolatione Lugduni publicata fuerit, multato ea de cauſa bibliopola. Etiam *Anecdota Florentina* (ex quibus ſecundum accuſationum caput formatur) ſe invito in Batavos delata, ibique mendoſiſſime excuſa fuiſſe, & mirandum eſſe, cur ea Larroquius invaſerit, cum nihil contineant, quod ad religionis controverſias pertineat, & quicquid ille ſpeciatim inſectatur, ex *Pauli Jovii* illuſtrium virorum elogiis, ſatis notis, deſumtum ſit. De epiſtola *Hozierii* reſpondendum ſibi eſſe negat, (ex qua tertiam objectionem ſibi factam eſſe ait,) quia is apud illuſtrem *Menagium* aliosque fide dignos profeſſus ſit, ſe ita non ſcripſiſſe, ut in Larroquii libro refertur.

Hæc ex præloquiis adducenda eſſe exiſtimavimus; addimus quædam ex appendice operis, quæ Autor eo rejecit, ne ſeriem rerum interrumperet. Conſiſtunt ea in relatione de quibusdam interioris

terioris vitæ Ludovici Regis actionibus, quas laudibus proſequitur. Inter eas eſt præconium caſtitatis, quam correcta, cui juvenis indulſerat licentia, in conjugio ſancte dicitur coluiſſe; tum magnæ & viro ac Principe Chriſtiano dignæ lenitatis in condonandis offenſis, ita quidem, ut nomina eorum, quos privatus inimicos habuerat, Rex factus cruce rubra ea de cauſa ſignaverit, ut crucis Chriſti recordatione illis tanto promtius ignoſceret. Juſtitia ejus & fides in ſervandis pactis etiam cum damno ſuo ſingularis fuit, ita ut ab Italis eo irrideretur, quod Italiæ totius imperium A. 1507 neglexerit, cum vires & occaſionem ejus adquirendi haberet. Egregia eſt *Varillaſii* ſententia, qua Tomo I. Lib. IV. p. 517. æterna gloria dignum Regem hunc judicat, quod acquiſitionem illam pariter & ultionem in Hiſpanos & Italos fœderis violatores omiſerit: *erat enim* (conquerant) *victor*, ait, *Chriſtianus, non paganus; & licet prætextus, imo cauſas, ſucceſſus ſuos urgendi haberet, jus tamen gentium & formulas legum ſervare voluit, ne vim inferret, non poſtulata prius ſatisfactione, & admiſſis alterius partis excuſationibus.* Eundem juris & honeſti zelum oſtendit in cuſtodienda diſciplina militari, aut ſi hanc tenere non poſſet, in reſarciendo damno innocentibus illato. *Parlamentum* Pariſienſe & *Cameram*, quam vocant rationum, ſingulis hebdomadibus plus una vice frequentaſſe dicitur, ut quid ageretur, perſpiceret, & Senatores ad integritatem & diligentiam excitaret. Nullum in iis crimen, neque ſpeciem ejus toleravit, ita ut repertos aliquando, qui pila in ſphæriſterio luderent, Senatores loco moturum & in ſatellitum numerum redacturũ ſe eſſe minitatus fuerit. His & aliis egregiis factis primus inter Principes Chriſtianos *Juſti* cognomentum meruit. Pietatis ejus & religionis in colendo Numine inſignia teſtimonia referuntur, reverentiæ etiam in ordinem Eccleſiaſticum. Licet enim cum Julio Pontifice ita colliſus eſſet, ut non ſcriptis ſolum, ſed & cuſo nummo, (cujus notiſſimam inſcriptionẽ Autor libro ultimo p. 533. refert) excidium Romæ, quam Babylonem vocabat, intentare videretur; ita tamen mentem ſuam explicaſſe dicitur, ut non niſi ambitionem & vitia Cleri correcturum ſe eſſe profiteretur. Nihil etiam ex Eccleſiæ bonis uſurpavit, neq; in hoc Philippum VI. prædeceſſorem ſuum imitatus eſt, ut Autor obſervat. Fortitudinis militaris magna dedit ſpecimina;

mina; in rebus adversis contra hostes tot fœderatos admirabili fuit constantia. Habuit & alias dotes, eloquentiam, conversationem elegantem, humanitatem majestati non officientem, literarum tincturam quandam, nec exiguam in literatos propensionem. Tenacitas ei objicitur, quæ etiam theatrali licentia, dissimulante illo exagitabatur; sed excusari posse videtur necessitate & injuria temporum suorum. Negligere tamen etiam pecuniam didicerat: sub initium certe Regni oblatum trecentorum millium aureorum donativum recusavit, & tributorum modum, quem antecessor invexerat, partim ad trientem, partim ad dimidium reduxit: unde haud immerito pater populi habitus, maximusque concursus ad templa factus est, quoties adversi aliquid ei contingeret, & diu memoriæ ejus duleedo sub successoribus duravit, quibus non eadem moderatio fuit. Ex apophtegmatibus ejus inter alia non inscita hæc annotavit Autor: *amor Rex est juvenum, sed senum tyrannus. Plebs spolium est nobilium & militum, sed hi sunt dæmonum præda. Nobiles in provinciis Diomedis & Actæonis fatum habent; devorantur enim ab equis & canibus.* Objicientibus, quod subditos nimium sineret opulentos esse, respondit: *bonus pastor nunquam nimis pingue facere suas oves potest.* Celeberrimum est, & ut Autor haud male sentit, ab annis mille nihil melius dictum apparet, quam id, quod omnes ut memorabile exceperunt, cum incitatus ab aliquibus in Tremollium, a quo in regno præcedenti prælio victus, & inde regiæ custodiæ integro triennio inclusus fuerat, respondisset, *Regem Galliæ vindicare non debere injurias Duci Aureliano* (hoc enim titulo ante adeptum regnum utebatur) *illatas.* Post ista de rege, ministrum ejus amicissimum charissimumq; *Georgium Amboisium* (præter ea quæ in contextu historiarum satis libere aliquando tradidit) Autor describit: ut Regis, antequam ad regnum eveheretur, favorem magna fidelitate in rebus ejus adversis sibi paraverit; ut dissolutionem primi matrimonii, quod Ludovicus parum felix habebat, Romæ impetraverit, ipse Cardinalitia purpura in eo negotio ornatus. Laudat ejus continentiam, quod nullum unquam beneficium a Rege postulaverit, multis tamen ipsius liberrimo arbitrio cumulatus; quod Archiepiscopatus Rotomagensis redituũ non nisi tertiam partem in suos usus, reliqua in publicos, aut pauperum sustentationem conver-

verterit; quod intercessione sua rigorem Regis, in male licet meritos, sæpe temperaverit, aut obstinationem ejus (quædam enim aliquando, & maxime cum Helvetiorum societatem exigui æris causa, post mortem Amboisii, magno cum malo suo amitteret, in eo reprehendebatur) flexerit. Literatorum etiam patronus & regiorum stipendiorum procurator fuit, inter quos nominantur *Robertus Gaguinus, Michael Ritius, Cœlius Rhodiginus, Claudius Seisellius, Paulus Æmilius, Lascaris Græcus*, tum celebres JCti *Jason, Decius & Curtius.* Cupiditatem Pontificatus, qua Amboisius agitabatur, multorum incommodorum causam fuisse non negat Autor, neque Julius II securam sibi possessionem Sedis esse putavit, donec ille viveret, ideoque obitum ejus ut Rex ægerrime, ita Pontifex lætissime tulit. Secesserat Amboisius paulo ante mortem in *Cœlestinorum Lugdunensium* cœnobium, quietem quærens, fugamque a negotiis aulæ, quam suis in testamento valde commendavit, si honori & conscientiæ consulere vellent, & pauperibus magis quam illis prospexit. Tædium aulicæ potentiæ vitæque testatus est, cum assistenti sibi monacho, qui *Johannes* vocabatur, sæpius diceret: *optare se, ut semper frater Johannes fuisset.*

COMPENDIUM DIALECTICÆ JURIS ex octo Libris Topicorum Aristotelis, ejusque de Elenchis Sophisticis concinnatum, materiis Juridicis illustratum &c. Autore Johanne Henrico Pott, Phil. & U.J.D. nec non Supr. Regim. Saxo-Jenensis Advocato Ord.

Jenæ, apud Joh. Bielckium, 1688. in 8.

Dialecticæ Artis usum in studio Jurisprudentiæ, non olim Cicero tantum in suo de claris oratoribus Dialogo magnopere commendavit; verum & nostro ævo agnoverunt multisque documentis confirmarunt clarissimi Scriptores, Nicolaus *Vigelius*, Julius *Pacius*, Johannes *Neldelius*, Daniel *Otto*, Matthias *Stephani*, Petrus Cornelius *Brederodius*, Laurentius *Neideccerus*, Udalricus *Zasius*; Johannes Thomas *Freigius*, Martinus *Schickardus*, Cypr.

Regnerus, Hermannus *Vultejus*; Nicolaus *Everhardus*, Johannes *Oldendorpius*: quorum alii *Dialecticam Juris Civilis*, & *Dialecticam Legalem*; alii *Logicam Juridicam*, & *Ideam Juris Logicam*; alii *Locos argumentorum Legales*, seu *Topicam Legalem*, maturo consilio luci publicæ exposuerunt. Eadem præclaræ utilitatis ratione adductum putes Autorem Nobilissimum, ut ipsius, quod nemo forte hactenus tentaverat, Stagiritæ Topica in Compendium redigenda, exemplisque ex felici Juris fundo partem maximam depromtis, illustranda judicaret. Supponit vero cum *Neldelio*, *Piccarto*, *Becmanno*, *Zeidlero*, aliisque melioris notæ Logicis, discrimen apprime necessarium, quod Dialecticæ intercedit cum Analytica: illam esse dubitandi, hanc demonstrandi artem: illam agere de oblato themate ex probabilibus, cujuscunque loci sint, parum de principiis Demonstrationum sollicitam; hanc thema Philosophicum tractare scientifice, illudq; non nisi ex veris, primis, immotisq; examinare principiis, methodo demonstratoria: illam nudo contentam cortice, nunquam ad medullam penetrare; hanc quidvis dijudicare ex propriis intimisque rei visceribus: illam doctrinæ ordine præcedere, hanc subsequi, velut gravis armatura leviorem. Atque cum non temere dictum meminisset ab Oldendorpio: *Quemadmodum ignis in silice latet, nec apparet nisi excutiatur, ita jus in facti circumstantiis situm, non potest intelligi, nisi subtiliter & artificiose ex locis Topicis investigetur:* cumque ipso juris usu edoctus deprehenderet, Locos v. g. a minoribus ad furiosos, prodigos, mente captos; a pacto ad legem, statutum, consuetudinem; a patrono ad parentem, ab usufructuario ad colonum, ab uno contractu ad alium, & mille similes non alio fundamento sustineri, quam comparatione, & similitudine seu analogia, eoque revocari omnes ad unum Comparatorum locum posse; pretium operæ facturum se rectissime arbitratus est, si scientiam de arte dubitandi concinnatam ab Aristotele, inque Libris Topicis, & de Elenchis Sophisticis nobis traditam, redigeret in Compendium, & quam facili quamque commoda ratione Loci universi, & Elenchi nominati applicari Juris Civilis queant materiis, evidenter ostenderet. Nec enim turpe sibi, aut ab officio Sapientis alienum putavit, ἀψευδεῖν μὲν αὐτὸν περὶ ὧν οἶδε, τὸν δὲ ψευδόμενον ἐμφανίζειν δύνασθαι, ut in Elenchorum dictorum principio Philosophus loquitur.

præfat. pag. 123-50. 69.

Quot

Quot libris igitur facultatem hanc complexus olim est Philosophus, tot jam capitibus Compendium hocce distinctum a JCto legimus & digestum. Quorum *primo* agendum censuit de Dialecticæ præcognitis, genere puta, fine, usu multiplici, objecto, mediisque & organis in genere, quibus copiæ argumentorum parandæ causa hæc facultas utitur; ut sunt: Propositiones eligere seu adornare Excerpta, ambigua primum videre deinde distinguere, differentias rerum investigare, & similia analogicæ artis beneficio contemplari; *secundo* excussit loca, problemati Accidentis Simplicis ventilando oportuna: *tertio* Loca Accidentis Comparati: *quarto* Generis: *quinto* Proprii: *sexto* Definitionis: *septimo* Ejusdem & diversi problematis destinata: *octavo* de Interrogantis atque Respondentis officio disserit: *nono* denique de Elenchis Sophisticis cavendis ubique sedulo, dextreque manifestandis atque refellendis, quoties in aliorum scriptis aut sermonibus occurrunt. Nec Locos tantum ordine singulos, sed Locorum etiam theoremata, adhibita quæstionũ & responsionum jucunda vicissitudine, sic ubiq; explicat, ut prolixus statim & amplissimus usus, quem in Jure quisque obtinet, exemplis evidentibus declaratus conspiciatur. Ex quo intelligitur, non immerito hoc Dialecticæ Juris compendium, elegantioris Commentarii vicem utilissimo Topicorum operi præstare posse.

HISTOIRE DE L' EMPRISONNEMENT DE Charles IV Duc de Lorraine &c.

Historia Captivitatis Caroli IV Ducis Lotharingiæ &c.

Coloniæ, 1688, in 12.

DE captivitate Ducis, quam ab Hispanis per annos aliquot passus est, ex commentariis *Marchionis de Beauvau*, anni superioris mense ultimo in Actis nostris p. 674 commemoravimus. Iis ex præsenti libello plura addere non licebit. Quamvis enim totam custodiæ historiam promittere videatur titulus, attamen præter anni unius gesta non præstat liber; nec obscurum est, eo tantum intendisse Auctorem, ut causa ageretur Ducis *Francisci*, cujus fides non Hispanis solum, sed Fratri *Carolo* maxime suspecta fuit. Indicat id Dedicatio-

nis ad Carolum V Franciſci Filium, Auctor *du Bois*, & ſibi abhinc annis quindecim a Duce Franciſco libellum fuiſſe creditum aſſerit, ut inde cognoſceret poſteritas, quantæ ſolicitudini fuerit Francisco fortuna Caroli. Scilicet Baronem *du Chatelet*, & quem laudavimus *du Bois*, ad aulam Regis Hiſpaniarum miſerat A. 1655 Franciſcus, ſollicitaturos captivi dimiſſionem. Quo minus tamen eam a Rege impetrarent, ipſe obfuit captivus Carolus. Dum enim illi cohortes Lotharingicas Regi pro libertate Principis paciſcuntur, hic ſecretis mandatis rem aliter diſponit, & qui Hiſpanis erant promiſſi, in caſtra Gallorum tranſeunt milites. Quo facto ſollicitationibus Franciſci locus porro relictus nullus fuit, ſed qui tunc in aula Hiſpanica reſtabat, exire juſſus eſt Dominus du Bois, Principe Carolo ad pacem usque Pyrenæam in arce Toletana detento.

GOTTFRIDI KIRCHII ADMONITIO AD Aſtronomos, de reditu ſtellæ Bayerianæ in collo Cygni.

Vid. Act. anni 1687, m. Nov. p. 647.

POſtquam anno 1686 variabilem apparitionem hujus ſtellæ primo animadverti, ab illo tempore, quoties temperies aeris & occaſio id permiſit, ſedulo eam obſervavi, & intellexi ſimilem eſſe illi, quæ ſingulis annis in collo Ceti apparet & evaneſcit: eo tamen diſcrimine, quod illa Ceti revolutionem ſuam circiter undecim; hæc vero Cygni (facta computatione a maxima ad maximam apparentem magnitudinem) tredecim menſibus abſolvat: & quod hæc, propter exilitatem corporis, breviori temporis ſpatio nudis oculis ſit conſpicua.

Quoniam vero hæc ſtella (poſtquam, per ſex menſes, ope tuborum meorum opticorum, inveniri non potuit) die 20 Octobris anni labentis, per tubum octo pedum iterum, & quantum ad meas obſervationes, tertia vice ſe conſpiciendam dedit; & jam circa finem Novembris in tantam magnitudinē excrevit, ut ſperandum ſit, eam mox ingruente Decembri nudis oculis conſpiciendam fore: de hujus ſtellæ reditu Aſtronomos monere non inconſultum duxi.

Obſervationes incrementi & decrementi dictæ ſtellæ qui deſiderat, conſulat Ephemerides meas A. 1688 & 1689, ut & Kalendaria mea

mea dictorum annorum, Chriſten- Juden- und Türcken-Kalender nominata. Noviſſimas autem obſervationes alio tempore, aliisque locis L. B. (Deo volente!) communicabo.

LIBRI NOVI.

Stephani Byzantini Ἐθνικὰ κατ' ἐπιτομήν, Gentilia per epitomen, cum verſione Latina & Commentario Abrahami Berckelii, nec non variis lectionibus & notis Jacobi Gronovii. Lugd. Bat. 1688. in fol.

De Privilegiis Ignorantiæ Tractatus Moralis, authore Jo. Chryſoſtomo Philippino, Clerico Regulari Theatino. Venetiis, 1688, in fol.

Dell' Antico Ginnaſio Napoletano, opera poſtuma di Pietro Laſena, dedicata al Sign. Giuſeppe Valletta. In Napoli, 1688, in 4.

Riſleſſioni Filoſofique dedotte delle figure de' Sali, dal D. Domenico Guglielmini. In Bologna 1688, in 4.

Vita di S. Girolamo, ſcritta nuovamente dà Giovanni Cinelli, Accademico Gelato e Diſſonante. In Firenza 1688, in 4.

Prove delle Concluſioni intorno a momenti de Gravi ſopra Piani declivi &c. da Angelo Marchetti. Firenze 1688, in 4.

Viaggio di Levante con la Deſcrittione di Coſtantinopoli, dato in luce dal Sign. Abbate Michele Benvenga. In Bologna 1688, in 12.

Joſephi Lanzoni Animadverſiones variæ ad Medicinam, Anatomiam & Chirurgiam maxime ſpectantes. Ferrariæ 1688, in 8.

Henrici a Moinichen Obſervationes Medico-Chirurgicæ, a Joſepho Lanzoni ſcholiis auctæ. Ferrariæ, 1688, in 8.

Hiſtoire des Variations des Egliſes Proteſtantes; par Meſſire Jacques Benigne Boſſuet Evesque de Meaux. A Paris & Amſterdam, 1688, in 4 & 12.

L'Origine des Egliſes de France prouvée par la ſucceſſion de ſes Evesques; avec la vie de St. Auſtremoine, premier Apoſtre & Primat des Aquitaines. A Paris, 1688, in 8.

Traitté ſingulier des Regales, ou des Droits du Roy ſur les Benefices Eccleſiaſtiques; avec les pieces, titres & memoires, ſervans de preuves. Par M. Pinſſon. A Paris, 1688, in 4.

Diſſertations Eccleſiaſtiques ſur les principaux Autels, les Jubez, & la Cloſture du Choeur des Egliſes; par M. Jean Baptiſte Thiers. A Paris, 1688, in 12.

Leçons de Geometrie Pratique, explicant l'Art d'arpenter & toiſer les Corps ſolides &c. par le S. du Torar. A Paris, 1688, in 12.

Hiſtoire du Divorce de Henry VIII Roy d'Angleterre & de Catherine d'Arragon, avec la Defenſe de Sanderus, la Refutation de Mr. Burnet, & les preuves; par M. le Grand. A Paris, 1688, in 12.

Demonſtration de la Verité & de la Sainteté de la Morale Chrétienne, par le P. l'Amy, Preſtre de l'Oratoire. A Paris, 1688, in 12.

La Regle

La Regle des Moeurs contre les fauſſes maximes de la Morale corrompüe. A Cologne, 1688, in 12.

La Maniere de bien penſer dans les ouvrages d' Eſprit. A Amſterdam, 1688, in 12.

La Politique de Ferdinand le Catholique Roy d' Eſpagne, par Mr. Varillas. A Amſterdam, 1688, in 12.

Defenſe des verſions de l' Ecriture Sainte, des Offices de l' Egliſe & des Ouvrages des Peres, & particulier de la Nouvelle Traduction du Breviaire. A Cologne, 1688, in 12.

Apologie Hiſtorique des deux cenſures de Louvain & de Douay, ſur la matiere de la Grace; par Mr. Gery. A Cologne, 1688, in 12.

Hiſtoire de Mahomet IV depoſſedé. A Amſterdam, 1688, in 12.

Hiſtoire de Soliman III. A Amſterdam, 1688, in 12.

Relation nouvelle & exacte d' un voyage de la Terre ſainte. A Paris, 1688, in 8.

Hiſtoire du Patriarche Abraham, ou Queſtions curieuſes Hiſtoriques & Morales ſur la Geneſe; par le P. Antoine Maſſon. A Paris, 1688, in 12.

L' irrevocabilité de l' Edit de Nantes prouvée par les principes du Droit & de la Politique. A Amſterdam, 1688, in 12.

Les Devoirs des fideles Refugiez, par Jean Barbin. A Amſterdam, 1688, in 8.

Jacobi Rhenferdi Specimen Animadverſionum in V. CL. Decemviros otioſos. Franequeræ, 1688, in 4.

Cornelii Hazard S. I. Diſcurſus Morales in ſelectiora loca Geneſis, Exodi, Levitici, Numerorum. Antverpiæ, 1688, in 4.

De Romana Republica, ſive de Re Militari & Civili Romanorum, auctore Petro Joſepho Cantelio e S. I. Editio ſecunda æneis figuris ornata. Ultrajecti. 1688, in 12.

INDEX
AUCTORUM AC RERUM.

I. Theologica & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantia.

Anonymi Apologia Eccleſiæ Anglicanæ, qua demonſtratur, falſo eam a Romana ſchismatis accuſari. Acceſſit Diſſertatio de uſu Traditionum. Pag. 294

Anonymi Collectanea de Quietiſmo & Quietiſtis, ſive de Michaele de Molinos, ejusque Doctrina. 427

Anonymi Obſervationes in Tractatum Maimburgii de Inſtitutione & Prærogativis Eccleſiæ Romanæ. 423

Anonymi Reſponſio ad Libellum Samuelis Parckeri &c. 574

Anonymi Diſcurſus de Idololatria. 634

Fr. Joſephi Saenz de Aguirre *Notitia Conciliorum Hiſpaniæ atque Novi Orbis &c.* 71

Gothofredi Aletophili *Evangelica Tefferreggenſium Eccleſia centum & amplius annis adverſariis ſuis inviſibilis, nunc autem detecta & diſſipata.* 447

P. F. Natalis Alexandri *Selecta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capita &c.* 109. 184

P. Allix *Conſiderationes in quinque libros Moyſis, ad ſtabiliendam veritatem Religionis Chriſtianæ.* 238

Ambroſii *Opera ad MSS. Codices & ad editiones veteres emendata, ſtudio Monachorum Ordinis S. Benedicti.* 64

Aurelii Auguſtini *Hipponenſis Epiſcopi Opera ad Codices MSS. nec non editiones antiquiores recognita, ſtudio Monachorum Ord. S. Benedicti.* 618

Martyrologium Eccleſiæ Germanicæ pervetuſtum, Commentario illuſtratum a Matth. Frid. Beckio. 74

Johannis Braunii *Doctrina Fœderum, ſive Syſtema Theologiæ Didacticæ & Elenchticæ.* 452

Davidis Auguſtini Brueyſii *Tractatus de Eccleſia, contra Claudium & Jurium.* 193

Georgii Bulli *Defenſio Fidei Nicænæ de æterna Divinitate Filii Dei ex ſcriptis SS. Patrum, qui intra tria prima Eccleſiæ ſecula floruerunt.* 647

Joannis Ciampini *Conjecturæ de perpetuo Azymorum Uſu in Eccleſia Latina vel ſaltem Romana; qua occaſione vox* fermenti *aliique veteres Eccleſiaſtici ritus declarantur.* 658

Johannis Claudii *Opera Poſthuma.* 582

Henrici Dodvvelli *Diſſertatio de ſucceſſione primorum Romæ Epiſcoporum.* 342

Johannis Fechtii *Schediaſmata Sacra, ſeu Exercitationum Singularium Li-*

um Liber. 502
Christophori Franckii *Exercitationes Anti-Wendelinianæ de præcipuis inter Ecclesias Lutheranas & Reformatas Controversiis.* 275
Fides Ecclesiæ Orientalis seu Gabrielis *Metropolitæ Philadelphiensis Opuscula, cum notis Richardi* Simonis. 132
Germani *Traditio Ecclesiæ Romanæ de Prædestinatione & gratia efficaci.* 363. 402
Jacobi Gousset *Controversiarum adversus Judæos Ternio, in specimen Operis jam affecti, quo R. Isaaci* Chizzuc Emouna *confutatur.* 526
Caspari Heunischii *Commentarius Apocalypticus in Canticum Canticorum.* 590
Georgii Hornii *Historia Ecclesiastica cum Notis M.* Leydeckeri. 408
Joh. Nic. Jacobi *de Vulneribus Jesu Christi Tractatus.* 228
Petri Jurii *Tractatus de Natura & Gratia adversus novas hypotheses Pajonii & ejus Discipulorum.* 596
Tractatus de Unitate Ecclesiæ & de Articulis Fundamentalibus adversus Nicolium. 603. 625
Andreæ Kuhnii *Judicium Theologicum de Mysticorum Quietismo contemplativo.* 587
Matthæi Larroquani *Adversariorum sacrorum libri tres.* 444
Philippi a Limborch *de Veritate Religionis Christianæ Amica collatio cum erudito Judæo.* 212
P. Malebranchii *duæ Epistolæ ad L. II. & III. Reflexionum Philosophicarum & Theologicarum D. Arnaldi pertinentes.* 129
Johannis Meyeri *Uxor Christiana, sive de Conjugio inter duos, deque Incestu & Divortiis Dissertationes tres.* 481
Johannis Olearii *Doctrina Theologiæ Moralis totius.* 242
Samuelis Parckeri *Tractatus de abroganda in Anglia solenni Testificatione Parliamenti Membris injuncta, nec non de absolvendis ab idololatriæ crimine Pontificiis.* 569
Johannis Pearsonii *Cestriensis Episcopi opera posthuma.* 342
Tobiæ Pfanneri *de Catechumenis antiquæ Ecclesiæ Liber.* 334
Francisci Pithœi *Codex Canonum Vetus Ecclesiæ Romanæ, ad veteres MSS. codices restitutus & Notis illustratus* 230
Jacobi Reicharti *Responsio ad Christiani Orthodoxi* Ψευδαπόδειξιν, τὸ est *in Propos. Sacram. idem esse ac* τὸ significat. 277

Joh. Richardi *Sententia Desiderii Erasmi Roterodami conformis sententiæ Ecclesiæ Catholicæ.* 267
P. Rigoleucii *e S. I. Tractatus de Devotione & Litteræ Spirituales.* 103
Emanuelis a Schelstraten *Dissertatio de Auctoritate Patriarchali & Metropolitica, adversus ea, quæ scripsit Eduardus Stillingfleet in libro de originibus Britannicis.* 31
Samuelis Schelvvigii *Exploratio Fidei Pontificiæ ad normam S. Scripturæ.* 278
Sebastiani Schmidii *Resolutio brevis Psalmorum Propheticorum de Christo.* 397
Viti Ludovici a Seckendorff *Commentarius Historicus & Apologeticus de Lutheranismo seu Reformatione Religionis, in quo Ludov. Maimburgii Historia Lutheranismi Latine versa exhibetur, corrigitur & suppletur.* 1
Friderici Spanhemii *Introductio ad Historiam & Antiquitates sacras* 271
Selectiorum de Religione Controversiarum, etiam cum Græcis & Orientalibus & cum Judæis nuperisque Antiscripturariis, Elenchus Historico-Theologicus. 57
Eduardi Stillingfleet *Origines & Antiquitates Ecclesiarum Britannicarum.* 24
Gabrielis Tovverson *Tractatus de Sacramentis in genere.* 173
Tractatus de Sacramento Baptismi in specie. 244
De la Valette *Parallelismus Hæreseos Albigensium & Calvinismi.* 226
Jacobi Usserii *Opuscula duo.* 125
Britannicarum Ecclesiarum Antiquitates, nec non Tractatus de Ecclesiarum Christianarum successione & statu. 431

II. Juridica.

Anonymi Ephemerides Fori, seu Sylloge potiorum in summis Galliæ Curiis latarum Decisionum. 84
Anonymi Discursus de Suprematu adversus Cæsarinum Furstenerium. 147
Joh. Friderici Boeckelmanni *Exercitationes de Actionibus.* 224

Florentii de Cocq *de jure, justitia & annexis Tractatus.* 270
Petri ab Eyndhoven *Dissertatio de inani Actione propter inopiam, ad L. 6. Pand. d. dolo malo.* 420
Ulrici Huberi *Prælectionum Juris Civilis Pars prior.* 464
Positiones secundum Institutiones Justinianeas. 464
Digressiones Justinianeæ. 467
Dissertationes Juridico-Theologicæ de Fœderibus, Testamentis, Liberationibus, Satisfactionibus, Acceptilatione, Jure creditidivini, Æquitate, &c. 471
Joh. Heinr. Pott *Compendium Dialecticæ Juris.* 667
Joh. Burchardi Rosleri *Diatribe Juris Publici de protectoriis Cæsareis.* 332
Friderici Schragii *Introductio in Pandectas.* 315
Barthol. Leonhardi Suendendorferi *Actionum Forensium Expositionis specialis Sectio II.* 83
Joh. Ottonis Taboris *Tractatuum Volumina duo, cura Andreæ* Mylii *in lucem edita.* 291
Joannis Torre *de Successione in Majoratibus & Primogenituris Italiæ Tractatus tripartitus.* 654
Casparis Ziegleri *Superintendens ad normam Constitutionum Ecclesiasticarum in Electoratu Saxoniæ descriptus.* 223

III. Medica & Physica.

Academiæ Philexoticorum Naturæ & Artis Acta. 203
Hieronymi Allegri *Epistola, in qua tum principia Physica & fundamenta Medica redduntur dubia, tum possibilia alia e cineribus cunctorum mixtorum demonstrata proponuntur.* 611
Anonymi Pharmacopœa ad mentem Neotericorum adornata. 616
Anonymi Operationes Chirurgicæ methodo brevi ac facili, cum Tractatibus de Affectibus Stomachi & Lue Venerea. 639
De Blegny *Optimus usus potus Theæ, Caffæ & Chocolatæ, ad præservationem & curationem morborum.* 48
Remedium Anglicum pro curatione febrium. 87
Boisoti *Epistola de virgine quadam sine omni alimento vitam ducente.* 330
Cornelii Bontekoe *Oeconomia Animalis.* 487
Fundamenta Medica, sive de Alcali & Acidi effectibus. 616

Rober-

Roberti Boyle *Disquisitio de finalibus rerum naturalium causis, & observationes visum vitiatum concernentes.* 490
Caroli Comitis de Caballis *Phænomena Medica singulari intuitu recensa.* 40
Aur. Corn. Celsi *de Medicina libri VIII.* 146
Joh. Cypriani *Historiæ Animalium a D. Wolfg. Franzio olim scriptæ Continuatio.* 265
Laurentii Donckers *Idea febris petechialis.* 353.
Arnoldi Geulinx *Compendium Physicæ illustratum a Casparo* Langenhert. 623
Joh. Mar. Giareschi *Observationes de vegetabilibus absque terræ adminiculo producendis.* 483
J. Goad *Aphorismi & Discursus de corporum cœlestium natura & influentiis.* 22
Joh. Jac. Harderi *Apiarium.* 115
Edmundi King *Relatio de Glandula Pineali petrefacta.* 234
P. Francisci Tertii de Lanis *Tomus II Magisterii Naturæ & Artis.* 35
A. V. L. Dissertatio Physico-Medica de Febribus. 537
D. Manginot *De Febrium curatione per usum Quinquinæ.* 87
Jacobi le Mort *Pharmacia & Chymia rationibus & experimentis auctioribus instructa.* 481
Dion. Papini *Demonstratio velocitatis, qua cum Aer irruit intra exhaustum recipiens.* 156
Raymundi Restaurandi *Hippocrates de Curatione febrium per usum Chinæ Chinæ.* 87
Henrici van Rhede *tot Draackestein Horti Malabarici pars VI. VII. VIII.* 479
Pompeji Sacci *Medicina Theorico-Practica.* 279
Joh. Shipton *Pharmacopœa Bateana.* 617
Eduardi Tyson *Observationes rerum quarundam præternaturalium, quæ in sectione cadaveris cujusdam occurrerunt.* 279
Veay *Epistola de Hermaphrodito formæ admodum insolitæ* 228
Raymundi Vieussens *Tractatus de Mixti principiis in ordine ad corpus humanum spectatis &c.* 545
Georgii Wolfgangi Wedelii *Physiologia reformata.* 531
Guilielmi Zapfii *Epistola, Aloes Americanæ historiam complexa.* 121

INDEX

IV. Mathematica.

Anonymi Tractatus de Barometris, Thermometris & Hygrometris. 174
Amontons *Epistola de Constructione novi Tubi ad faciendum vacuum &c.* 376
Epistola de invento noviter Hygrometro quodam. 373
Jacobi Bernoulli *Nova Ratio metiendi altitudines nubium.* 98
Animadversio in Geometriam Cartesianam & Constructio quorundam problematum Hypersolidorum. 323
Appendix tertia ad Examen perpetui Mobilis. 591
Joh. Dom. Cassini *Epistola exhibens correctiones circa Theoriam quinque Satellitum Saturni.* 273
Abbatis de Catelan *Animadversio in Varignonii Novæ Mechanicæ Delineationem.* 414
Francisci Jessop *Propositiones Hydrostaticæ.* 339
P. Lamy *Nova Methodus principalia Theoremata Elementorum Mechanicorum demonstrandi.* 390
Ferdinandi Helfrici Lichtscheidii *Nova Accessio ad Hygrometron ex chorda confici solitum.* 181
Godofredi Kirchii *pomum imperiale & sceptrum Brandenburgicum cœlo illata.* 452
Admonitio ad Astronomos de reditu stellæ in collo cygni. 670
Isaaci Newton *Philosophiæ Naturalis Principia Mathematica* 303
Ozanami *Tractatus de lineis primi generis, de locis geometricis, & de constructione æquationum.* 391
Usus Circini proportionum. 394
Dionysii Papini *Meletemata ad geminam appendicem de Perpetuo Mobili.* 335
De novo pulveris pyrii usu. 497
De usu tuborum prægrandium ad propagandam in longinquum vim motricem fluviorum. 644
Picardi *Tractatus de Mensura Terræ.* 578
Samuelis Reyheri *Bacilli sexagenales, & de Meridianorum differentiis accurate & facile invemendis.* 282
D. T. Paralipomenon de speculi cujusdam ustorii singularibus effectibus. 206
Gothofredi Teuberi *Acus Hygrometra seu siccitatis & humoris in aere index.* 179

Vari-

AUCTORUM ACTORUM.

Varignonii *Delineatio nova Mechanicæ.* 411
Erhardi Weigelii *Sphærica Euclideæ methodo conscripta, & globorum Heraldicorum ipsiusque Pancosmi Descriptio & Usus.* 450

V. Historica & Geographica.

Anonymi Explorator Turcicus ejusque Relationes secretæ. 70
Anonymi Epistolæ tres de præsenti statu Italiæ. 422
Petri Josephi Aurelianensis *Historia duorum victoriosorum Tartarorum, qui Chinam subjugarunt.* 382
Bohuslai Balbini *S. J. Miscellaneorum Historicorum Regni Bohemiæ Dec. II. Liber I. & II.* 51
Dec. I. Liber VIII. 405
Marchionis de Beauvau *Commentarii ad Historiam Caroli IV Lotharingiæ & Barri Ducis pertinentes.* 89
Bizoti *Historia Fœderati Belgii Numismatibus illustrata.* 164
Du Bois *Historia Captivitatis Caroli IV. Lotharingiæ Ducis.* 669
Stephani Broderici *Narratio de prælio, quo ad Mohazium A. 1526 Ludovicus Hungariæ Rex periit; cum Commentario Joh. Casp.* Kuhnii. 543
Gilberti Burneti *Defensio Censuræ in librum IX Historiarum Ant. Varillasii.* 461
Censura tertii & quarti voluminum Historiæ Ant. Varillasii, quatenus res Anglicas attinent. 463
Christophori Cellarii *Historia Medii Ævi* 272
Collectanea Historiæ Samaritanæ. 380
Petri Championii *Vita P. Rigoleucii e S. I.* 103
De Choisy *Diarium Itineris Siamici.* 12
P. Coronelli *& P.* Parisotti *Insula Rhodus cum aliis adjacentibus geographice & historice descripta.* 523
Philippi Couplet *Historia Fœminæ cujusdam Chinensis Christianæ* 385
Q. Curtii *Rufi de Rebus Alexandri M. Historia superstes, cum Supplementis, Commentariis, Indicibus, & Tabulis Geographicis Christophori* Cellarii. 13
Michaelis Fabri *Theatrum Turcicum.* 77
Pauli Freheri *Theatrum virorum eruditione clarorum.* 388
Casimiri Freschoti *Memoranda Dalmatiæ Historica & Geographica.* 41
Antonii Geropoldi *Trutina Historico-Politica Imperii Ottomannici.* 159
Nicolai Gervasii *Historia Naturalis & Politica Regni Siam.* 505

Jac.

Jac. Guil. Im Hoff *Genealogia Familiarum Bellomaneriæ, Claromontanæ de Gallerande, & Memmiæ.* 283
De Larroque *Animadversiones Criticæ in Ant. Varillasii Historiam de Hæresibus.* 249
Joh. Henrici Maji *Vita Johannis Reuchlini succincte descripta.* 14
Guilielmi Marcelli *Historia de origine & progressu Monarchiæ Francicæ.* 206
Henrici Meibomii *Rerum Germanicarum Tomi tres.* 286
Danielis Georgii Morhofii *Polyhistor, sive de Notitia auctorum & rerum Commentarii.* 564
Alexandri Oliverii Oexmelini *Historia prædonum, qui in India ab annis viginti inclaruerunt.* 140
Francisci Placentii *Mare Ægæum Redivivum.* 510
Samuelis Pufendorfii *Appendix Isagoges ad Historiam de præcipuis Statibus Europæ, Ant. Varillasio opposita.* 252
Souchu de Rennefort *Historia Indiæ Orientalis.* 409
De Sacy *Historia S. Ludovici Galliæ Regis.* 454
Guidonis Tachardi *Iter Siamense Patrum Jesuitarum.* 7
Antonii Varillasii *Responsum ad Criticam D. Gilberti Burneti.* 246
Historia Ludovici XII. Galliarum Regis. 661
Variorum opuscula Mythologica, Græce & Latine. 475
Francisci Verdizzotti *Nobilis Veneti de Gestis Venetorum Volumen I. & II.* 170
Henningi VVitte *Diarium Biographicum, in quo Scriptores seculi post N. C. XVII recensentur.* 432

VI. Philosophica & Philologica Miscellanea.

Caroli Cæsaris Baudelotii de Dairval *de Utilitate peregrinandi.* 116
Matthiæ Friderici Beckii *Specimen Arabicum, i. e. Bina Capitula Alcorani Latine versa & Notis locupletata.* 443
Andreæ Borrichii *Appendix ad Curas Posteriores recognitas Chr. Cellarii.* 55
Christophori Cellarii *Curæ Posteriores de Barbarismis & Idiotismis Sermonis Latini.* 54
M. T. Ciceronis *de Officiis libri tres &c. ex recensione Joh. Georgii* Grævii. 108
Confucius *Sinarum Philosophus, sive Scientia Sinica Latine exposita.* 254
Claudii Fleurii *Tractatus de Selectu & Methodo studiorum.* 317
Dissertatio de Platone. 369
Auli Gellii *Noctes Atticæ cum notis & emendationibus Jo. Frid.* Gronovii. 123
Joh. Paulini Olivekrans *Tabulæ in Hugonis Grotii de Jure belli ac pacis libros.* 653
Caroli Patini *Commentarius in antiquum monumentum Marcellinæ.* 557
Joh. Ludovici Praschii *Organon Latinæ linguæ.* 46
Alb. Chr. Rothii *Poetica Germanica absoluta.* 225
Guilielmi Saldeni *de Libris, varioque eorum usu & abusu Libri tres.* 540
Pompeji Sarnelli *Basilicographia antiqua.* 168
Martini Schoockii *Exercitationes variæ de diversis materiis.* 395
Sichemitarum Epistolæ Samaritanæ ad Jobum Ludolphum. 378

ERRATA.

Pag. 418. lin. 9. lege: *lineis reciproce sumptis siniunt spatia DZ & DX spatiis potentiarum proportionalia.* Pag. 605. lin. ult. pro *gravitate* lege *pravitate.*

ACTA
ERVDITOR
AO 1688